CASUUM RESERVATORUM,

Et præcipuè Theanensis Diœceseos

CRITERIUM,

Ac de eorum absolutione, facultatis concessione, & interpretatione,

AUTHORE

D. JOANNE BAPTISTA DE GIACCO,

A ROCCA MONFINA;

Ubi laconicè, & clarè ferè innumeræ resolvuntur difficultates ad hanc materiam collimantes.

OPUS DICATUM

EXCELLENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

MUNDILLÆ URSINO

Congregationis Oratorii, Patriarchæ Constantinopolitano, Archiepiscopo Capuano, Solio Pontificio Episcoporum assistentium Decano, ac Cancellario, & Equiti, Inclyti, Realis Ordinis S. Januarii &c.





Neapoli, Typis JOSEPHI SEVERINI, 1739.

SUPERIORUM PERMISSU.

EXCELLENTISS. ; AC REVERENDISS.

PRINCEPS



Emoriæ proditum in antiquis historiis reperitur, magnum illum Persiæ Regem Artaxerxem, quum à villico quodam aquæ urna donatus fuisset, tantulo munere magnopere fuisse delectatum; Et non majus, quàm levidensis, sylvestrisque pomi tanquam integritatis argumentum, amplissimo Macedoni arrisisse donum. Eo sane exemplo permotus, atque excitatus, hoc quidquid est mei laboris, & operæ Excellentiæ tuæ Reverendissimæ dedicare sum ausus, probè sciens quanta sit humanitas tua, Princeps Excellentissime, quantum in Ecclesiastica disciplinæ studium, quantus non modò in tuos Diœcesanos, verum etiam in omnes tuos Provinciales (cui tu Provinciæ sanctissimè, ac sapientissimè praees) amor, & benevolentia; Et quantii juvabit huic operi, si (pro singulari sorte sua) sub tua tutela durabit. Etenim quis unquam ex invidis momis fulmina linguæ, mansuvè semel ac in suo frontispicio tuo præclaro munitum nomine prodit in lucem, construere, atque laxare audebit? Eveniet procul dubio pusillo istiusmodi operi meo sicuti Ægypti obeliscis, inscriptionibus magis, quàm præ mole conspicuis, & celebratis. Itaque hoc qualecumque opusculum benignus excipe, & fove, quo nihil mihi, nihil Theanensi Ecclesiæ gratius, ac jucundius esse poterit.

Excellentiæ tuæ Reverendissimæ

Humiliss., addictiss., obsequentiss. famulus
Joannes Baptista de Giacco.

Cum in cunctis Ecclesiasticis dignitatibus, non solum ætatis maturitas, morum gravitas, longaque temporum experientia; sed potissimum scientia sit inquirenda, immo principem debet tenere locū & multo fortius in iis, qui ad animarum curam (quæ est artium ars) assumuntur; Cum debeant esse vectores animarum ad portum æternæ salutis, & eorum culpæ ipsis sint referendæ; si in tremendo Pœnitentiæ tribunale, in quo Ministri, Judicis, Medici, & Doctoris officio funguntur & in quo tota hilaritate, & affabilitate debent acceptare, & alloqui pœnitentes, non aliter ac à zelantissimo patre, & pastore fuit ovis errabunda, filiusque prodigus, & recidivus receptus, tale munus male gerant. De illis enim dicitur: *Sit scientia vestra spiritualis medicina populo Dei*; Ecclesia enim viris litteratis maximè indiget, c. *cum eo de elect. in 6.* Quia alias multa detrimenta patitur, ut ait text. *in Clem. de æt. & qual.* & meritò, quia ignorantia cunctorum errorum mater est, *dist. 38. c. ignorantia*, quæ licet in laicis sit noxia, tamen in illis, qui ducatum aliis præbere debent, periculosior est 37. *dist. c. ult. §. itaque*. Unde jure optimo Divus Petrus Damianus mœstitiæ plenus, sequentia ad quemdam Episcopum ignaros ordinantem scripsit: *Dolores cordis mei, qui me de sacerdotibus cruciant, tibi potissimū communicare decerno; Per Episcopalis enim temporis ignaviam, ita nunc presbyteri litterarum reperiuntur expertes, ut non modò eorum, quæ legerint intelligentiam non attingant, sed syllabatim quoque vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutiant.* Et Deus ipse contra indoctos sacerdotes multis scripturæ locis gravia minatur, & primò Oseæ c. 4. v. 6. habet *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam; Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi*, & c. 5. v. 1. ait: *Audite sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus Regis auscultate, quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor*: & Malachiæ 2. 7. *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus*; Et demum Matth. 15. 14. *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum; Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Ea propter non solum debent scire totius moralis disciplinæ documenta; sed etiam ea, quæ de casibus reservatis ab Ecclesia traduntur, non solum, quia in diem super hanc materiā (ut in operis progressu videbitis) incidunt difficillimæ quæstiones iuxta Diœcesium variam casuum reservationem, & præcipuè in hac Theanensi; in qua casus magis usitati sunt viginti novem (super quos dum ego officium Rectoris in Parochiali Ecclesia S. Petri de Scalambrice hujus Terræ Roccæ Monfinæ peragerem, varias difficultates incidere) sed potissimum quia homines eo magis alliciuntur ad concupiscendum aliquid, quo magis illud graviter à lege prohibetur, quod docuit Aug. *de spir. & litt.* c. 4. dum ait: *Lex quamvis bona, auget prohibendo desideriū malū, sicut aquæ impetus vehementior fit, obice opposito: Nescio enim quomodo hoc ipsum, quod concupiscitur, jucundius fit, cum vetatur.* Et hujus veritatis experimentum habemus in Adam, cui Deus sub mortis pœna vetuit, ne comederet de fructu indicato in terrestri Paradiso, Gen. 2. 17. & nihilominus pomo illi Adam illicò manum admovit audacē. Cæterum quia iuxta Xenophontem: *Non est aliquid opus, in quo non accusentur homines; Difficilè namque est ita quidquam peragere, ut nihil erres, quod si sine errore quidquam aliquis peragat, difficile est iniquum non reperire Judicem.* Ideo vos humani, & sapientes Lectores oro, ut si quæ erroris, ac correctionis digna in hoc opere invenietis, corrigatis obsecro. Nam omnium, & præcipuè S. Matris Ecclesiæ censuræ submitto; ac etiam mementote auctorem esse discipulorum discipulum, atque ideo verecundari pandere hoc in opere suum nomen; sed si in eo fortè aliquid boni invenietis grande æxtimari cōveniens est: Festuca enim tracta à formica respectu illius magna videtur trabs.

Ego enim his in rebus me applicui, & ad inculcandas graviorum vitiorum miserias, fœditatem, horrorem, turpitudinem ac bona, quæ auferunt, & mala, quæ perditissimis huius mundi habitatoribus inducunt, & pro me ipso ad supprimendas fastidiosas otii horas (putavi ergò solatiū, recreationem, & jocum labores intellectus, & applicationem in litterario bello, etsi cum præiudicio propriæ salutis ob id

jam

iam diminutæ, debilesque effectæ) ac etiam publicæ utilitatis, & præsertim civium meorum amore (Nam, ut habet Cicero de Officiis, pag. mihi 12. ex Platone: *Non nobis solum nati sumus, ortusque nostri, partim patria vindicat, partim amici*) non ut à me, qui inventis addidi, & perfeci (quod ex dicto Cicerone difficile non est) aliquid discant; sed ut alii ex hoc humili tractatu, suo ingenio altiores doctrinas deducant. Ideoque hic functus sum vice vilis bombycis, ex cuius insulso, & vulgari folliculo, seu oviculo, quem componit, homines suo ministerio pretiosissima fila serica extrahunt. Nec ergo hoc egi ob aliqua honoris, aut inanis gloriæ huius caducæ, & fluxæ vitæ cupidine stimulatus; aut ut viderer in litterario fastu grandiloquus, meumque nomen per hominum ora volitaret; Satis enim sciebam, mihi scalam aliquam meritorum non habenti, & in ultimo infimorum scriptorum gradu iacenti non esse permissum, paginas doctis, & sententiosis tingere verbis, nec mira in torculario posse imprimere; Ideoque neque ad has glorias pervenire posse. Vale

INDEX

Disputationum, Quæstionum, ac Capitum, quæ in hoc tomo de casibus reservatis continentur.

DISPUTATIO I.

De Casibus reservatis in genere.

QUÆSTIO I.

De Natura, & quidditate Reservationis.

QUÆSTIO II.

De causis Reservationis.

QUÆSTIO III.

De causa finali Reservationis, ubi de ignorantia excusante à Reservatis, vel à censura eis annexa.

QUÆSTIO IV.

De subjecto Reservationis.

QUÆSTIO V.

De causa materiali, seu materia Reservationis

DISPUTATIO II

De Casibus reservatis in particulari, & præsertim Theanensis Diœceseos

QUÆSTIO I.

De casibus cum censura reservatis.

3 *Fr-*

QUÆSTIO II.

De casibus sine censura reservatis.

DISPUTATIO III.

De Absolutione à casibus reservatis, & censuris ipsis annexis.

QUÆSTIO I.

De modis tollendæ reservationis.

QUÆSTIO II.

De iis, qui absolvere valent à reservatis jure ordinario.

DISPU-

DISPUTATIO I.

De Casibus reservatis in genere.

In tres disputationes hunc de casibus reservatis tractatum dividemus; In prima enim agemus de casibus reservatis in genere: In secunda de reservatis in particulari, & præcipuè Theanensis Diœceseos; In tertia demum de absolutione à dictis casibus, facultatis concessione, ac interpretatione.

QUÆSTIO I.

De Natura, & quidditate Reservationis.

IN hac quæstione, primò quærendum est quid, & quotuplex sit Casus, & Reservatio? quid differat reservatio lata à jure, à reservatione lata ab homine? & denique quotupliciter fieri possit reservatio?

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Reservatio?

APOPHASIS.

1 *Casus undè dictus? quid significet? & undè denominetur reservatus?*
2 *Casus est duplex Communis, & Reservatus.*
3 *Reservatio quid sit?*
4 *Dividitur primò in pœnalem, & medicinalem.*
5 *Rursus alia est à jure, ab homine altera; & quomodo differant inter se?*
6 *Dividitur demum reservatio in Papalem, Episcopalem, & Regularem.*
7 *Reservatio fieri potest directè, & indirectè.*

1 CAsus à cadendo dictus, & propriè idem, ac ruina est, juxtà illud Curtii: *Inopinato rhedæ casu oppressus*, & per translationem, pro miseria per quam aliquis è statu feliciori ruit, accipiunt. At in hac materia casus accipitur pro peccato, quo quis à virtutis rectitudine excidit; & significat casum, seu ruinam, vel animæ lapsum à statu gratiæ. Sed quando casus generaliter sumitur, significat quæstionem aliquam de materia conscientiam concernente.

Et denominatur reservatus; quia aufertur, & minuitur facultas absolvendi ei, qui illam actu, vel habitu habebat: Cum juxtà *Graff. in prax. lib. 1. c. 1. n. 8.* Sacerdos in reservatis ordinis executionem non habet; cum Episcopus sit, qui animarum curam committit, & executionem.

2 Duplex est casus, Communis, seu non Reservatus unus, à quo quivis Confessarius absolvere potest. Alter Reservatus, à quo non quilibet absolvere potest. Et nota, quod juxtà Divinum jus, nullum datur irremissibile peccatum vera accedente pœnitentia; Nam omne deletur per Christi merita. Nec secundum jus commune datur peccatum, à quo proprius Sacerdos absolvere non possit.

3 Reservatio, est negatio, vel restrictio jurisdictionis ad absolvenda certa peccata, facta illi, qui alias ordinariam, vel delegatam jurisdictionem habebat; Ideoque quorumdam Casuum retentionem, reservatio sonat.

4 Dividitur in pœnalem, & medicinalem. Pœnalis est quæ fit in odium, & pœnam alicujus peccati. Medicinalis verò, est, quæ fit propter bonum fidelium, vel ob rectam alicujus Communitatis gubernationem.

Illam *Castrop. tom. 1. disp. 17. nu. 8.* pœnalem vocat, per quam facinus ipsum specialiter prohibetur, vel punitur. Medicinalem appellat, per quam peccatum, tantum simpliciter reservatur.

Croix verò *de ministr. sacr. t. 5. 2. num. 1602.* tenet ut certum, reservationem tunc esse pœnalem, quando supponit delictum, & addatur ex suppositione illius jam commissi: E contra, tunc ait esse medicinalem, si non supponat delictum,

fed ponatur pro medicina praefervativa, ne delictum fiat, vel repetatur, & ideò habet, quod omnes refervationes, funt fimul medicinales.

5 Dividitur fecundò refervatio, quod una fit à Lege, ab homine altera. A lege, eft, quæ jure Communi, Provinciali, vel Diœcefano ftabili, ac permanente, lata eft. Ab homine, eft quæ abfque Lege, feù Conftitutione, vel ftatuto, fed per fimplex edictum, feù publicationem ab Ecclefiaftico Superiore fertur; & mortuo legislatore ceffat lex.

Differunt inter fe, ut differt lex à præcepto; quia refervatio lata à jure, etiam mortuo legislatore durat, *cap. fin. de offic. leg.* Lata tamen ab homine, mortuo illo extinguitur, ut evanefcit præceptum præcipiente extincto: Sicque peccata refervata ab homine, mortuo refervante, vel jurifdictionem amittente, fiunt non refervata, & per quemcumque approbatum Confeffarium abfolvi queunt.

6 Dividitur demùm in Papalem, Epifcopalem, & Regularem. Papalis, eft refervatio à Papa pro toto Orbe, vel ftatu Ecclefiaftico prout ab ipfo magis, vel minùs producitur, vel contrahitur, indicta. Epifcopalis eft, quæ indicitur ab Epifcopo pro tota fua Diœcefi, *Trid. feff. 14. cap. 7. & de pœnit. can. 11.* Regularis à fuperiore regulari pro fuis fubditis, promulgatur juxta *Clem. VIII.* Conftitutionem.

Etiam Parochi antiquitus refervabant, fed Confuetudo ab ipfis hanc poteftatem fuftulit.

7 Demum dupliciter fieri poteft refervatio, vel directè, vel indirectè. Directè fit cum quis jurifdictionem Confeffarii, quam reftringit, fubordinatā habet, ut eft Epifcopus refpectu Parochi. Indirectè fit, cum quis non habet fubordinatam; ex eo quod hic non eft fuus fubditus: fuum tamen fubditum eidem fubiicit quod aliqua tantum peccata, non autem quoad omnia. In hoc enim cafu fubditus hujus Epifcopi non fubiicitur ifti Confeffario, quoad illa peccata, quæ fibi ifte Epifcopus refervat; adeoque ifte Confeffarius non poteft ab iis abfolvere; Cum in pœnitentem refpectu iftorum peccatorum, jurifdictione careat.

CAPUT II.

Utrum in Ecclefia refideat poteftas refervandi?

APOPHASIS.

1 Refidet in Ecclefia poteftas remittendi peccata, ut eft de fide; ideo & refervandi.

1 De fide contra hæreticos eft, in Ecclefia poteftatem remittendi peccata refidere. Ita definitum eft *in Trid.* mox citato. *Joan. 20. Matth. 19.* ibi: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiferitis, &c. Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & Joan. ult. Pafce oves meas.* Ex quibus, & aliis locis, quæ ne tedii legentibus fim, relinquo, evidenter arguitur, quod ficuti Ecclefiæ data eft poteftas abfolvendi, ita & ligandi; Ergo quidquid dicitur de poteftate abfolvendi; de illa ligandi quoque dici debet; Cum contrariorum eadem fit difciplina. Claves enim de fua natura important fimul aperire, & claudere, nempe abfolvere, & ligare. Idem determinatum fuit in Concilio Carthaginenfi *arti. 397.* relato *in cap. final. 2. q. 6. & in c. Si quis Epifcopus de Pœnit. & remif. in 6. & in cap. latorem 23. q. 1.* & docent Doctores omnes apud *De Lugo difp. 20. de Pœnit. fect. 1* & ufus, Praxifque Ecclefiæ confirmat. Nam jurifdictio neceffaria ad Pœnitentiæ Sacramentum miniftrandum à fuperioribus Prælatis ad inferiores miniftros emanat; adeoque juxta illorum arbitrium, eft magis, vel minus limitata.

CAPUT III.

An Refervatio fit pœnalis pœnitenti, & odiofa Confeffario? & an largè, vel ftrictè fit interpretanda?

APOPHASIS.

1 Et fi multi doceant, refervationem effe pœnalem pœnitenti, & odiofam Confeffario. Tamen dicenda eft etiam medicinalis pœnitenti, & reftrictiva poteftatis Confeffariorum.

2 Refervatio, cum fit pœnalis, & odiofa, ftrictè eft interpretanda.

3 Regula pro interpretatione legis odiofæ, vel pœnalis.

4 Interpretatio legis, & ejus forma quid fit?

sit? Et si Legislator extra legem dicat: se aliter intelligere, quam verba legis sonant; non tenemur stare ejus interpretationi; nisi talem voluerit tanquam novam legem esse.

5 *Triplex legis interpretatio, Authentica, Usualis, & Doctrinalis.*

6 *Quomodo intelligatur Bulla PII IV. prohibentis sub excõmunicatione omne interpretationis genus super decreta Tridentini.*

7 *Regulæ communes servandæ in interpretatione omnium legum.*

8 *Duplex verborum legis proprietas, Naturalis, & Civilis.*

9 *In odiosis sensus verborum restringi debet ad proprietatem Naturalem tantum.*

10 *Et ex Merolla lex odiosa restringitur citra proprietatem naturalem. At in aliquibus casibus, tenetur subditus servare voluntatem Legislatoris, etsi non sit expressa.*

11 *Probabilius est, quod lex non possit extendi ad casum suis verbis non comprehensum, ob paritatem, vel Identitatem rationis, aliquibus casibus exceptis.*

12 *Etiam lex odiosa exprimens rationem, ob quam lata est extenditur ad casum, in quo clare occurrit eadem legis ratio, & tunc illa non censetur esse ratio extensiva, sed declaratio comprehensiva.*

13 *Quid sit agendum in dubio de verborum legis significatione? & quid quando lex plures sensus proprios habet?*

14 *Quomodo sumantur particulæ seu, sive, verbis Legis insertæ?*

15 *Ab æquipollentibus in reservatis, illatio non fit.*

16 *In reservationis lege sensus proprius est attendendus. Et delictum verum, non præsumptum, vel probabile reservatur.*

1 Circa primum, affirmant cum *Bordono Gabriel à S. Vincentio, Gobat, Merolla, Naldus, Graffius, Coriolanus, & Caramuel Regulari, tom.2.n.2405. & fundamentali tom.3. num. 1335.* esse pœnalem pœnitenti, & odiosam Confessario. Quod sit pœnalis pœnitenti constat; Quia ejus declinat libertatem: Cum vel debeat adire Superiorē suo cum labore, ruboreque; Vel in peccato cum animæ damno persistere. Quod sit Confessario odiosa, etiam liquet; Quia ejus jurisdictionem, ex vi ordinis non coartatam, contrahit.

At alii *cum Felice Potestate, & Tamb.* in locis citandis *q.4.c.1.n.2.* docent, quod reservatio juxta sententiam *Sanch. lib.9. de matrim. disput.32. nu.18. & De Lugo de Pœnit. disp.20. nu. 11.* & aliorum interdum sit pœnalis, nempe quando superior aliquod prohibet peccatum, & in ejus odium, reservationem adiicit; Tamen potius dicenda est medicinalis, & odiosa pœnitentibus, & potestatis Confessariorum restrictiva, nec ipsis tam odiosa; quia etsi illorum jurisdictionem contrahat; meritò tamen hoc fit ab Ecclesia; ut pœnitentes timore pœnæ, à gravioribus delictis absterreantur. Nec ex eo Confessarii onus aliquod, aut incommodum sentiunt; Immo potius de severitate illius in coercendis aliquibus facinorosis, & obcæcatis hominibus, à committendis aliquibus enormioribus delictis, gaudere debent. Et quamvis eis displiceat, non debent ipsi in hoc gravari; Cum juxta dicenda *q.2.c.1. n.3.* institutione Apostolica sint in hoc Episcopis subjecti. Vide tamen dicta, *q.1. c.1.n.4. & dicenda q.4.c.5.n.4. & disp.2.q. 1.c.4.casu 4.* in tertia parte *n.96.* immo pro majori capacitate *q. 2.* in secunda parte, casus 14. *cum censura à n.84.*

2 An autem strictè, vel largè sit interpretanda? docent super allati DD. *cum Gabriel. Bela, & Lup.* esse strictè interpretandam; Quia cū sit pœnalis, & odiosa, est restringenda *c. odia, c. in pœnis de reg. iur. in 6. c. pœnæ 18. dist. 1. de Pœnit.* & in pœnis ad mitiora declinandum, *c. 49. de reg. jur. in 6.* ex *L. interpretatione, ff. de pœnis,* pœnæ sunt molliendæ, non exasperandæ.

3 Unde regula pro interpretatione legis odiosæ, & pœnalis, est, quod semper accipi debet, quod est minus, ut non obscure patet ex *reg. jur.* Nam *reg. 49. in 6.* habet; *In pœnis benignior est interpretatio facienda; Reg. 9. ff. de reg. iur. semper in obscuris, quod minimum est, sequimur, Reg. 56. semper in dubiis benigniora præferenda sunt, Reg. 155. In pœnalibus causis benignius est interpretandum. Reg. 192. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius.*

4 Interpretatio Legis, est actus prudentiæ, quo declaratur sensus Legis non ita claræ; seu est indagatio mentis Legisla-

gislatoris ex sensu verborum. Forma vero Legis, sunt verba, quibus lex profertur.

Si Legislator extra legem dicat; *se aliter intelligere, quam verba Legis sonant*, ejus interpretationi non tenemur stare, nisi talem interpretationem tanquam novam legem esse velit; Quia Lex non constituitur per solam Legislatoris voluntatem, nisi hæc per verba in significatione propria exprimatur, & promulgetur.

5 Triplex esse potest Legis interpretatio, Authentica, Usualis, & Doctrinalis. Authentica, est, quæ fit auctoritate illius, qui legem ferre potest, & hæc habet vim legis, si promulgatur.

Usualis, est, quæ ab ipso usu, & consuetudine habetur, & hæc optima legum interpres dicitur, & aliquando etiam vim legis, ut patet de consuetudine, habet.

Doctrinalis est, quæ habetur à Doctoribus, ideoq; ie suam habet probabilitatem, imò, si in ea Doctores consentiant, quoque vim legis habet; Quia alia interpretatio contra communem Doctorum sensum vix probabilis potest esse; Licitum enim ex Doctoribus legem interpretari, ut usu praxique constat.

6 Neque obstat Bulla *PII IV.* prohibens sub excommunicationis pœna, ne ullum interpretationis genus edatur super decretis Trid. Nam id intelligitur de interpretatione ex professo, vel quasi authentica, aut f..tili, non vero doctrinali, docent *Bon. Suarez. &c.*

7 Regulæ servandæ in interpretatione legis reservationis, & aliarum, sunt. 1. ut standum sit consuetudini declaranti ipsam legem, ex *l. si, ff. de leg.* Unde in hac Diœcesi, juxta dicenda *disp. 3. qu. ult. c. 1.* in concessione casuum reservatorum, intelligitur etiam de censuris, illis annexis; Nam talis est hujus Diœcesos consuetudo. 2. ut nova lex interpretanda sit juxta antiquam, etsi hæc desierit, ex *l. nihil, ff. de conjungendis* 3. ut Lex posterior non intelligatur abrogare priorem, nisi clarè sit ei contraria; Quia correctio legis, quantum fieri potest, vitanda est ex *l. præcipimus, C. de appellat.* 4. ut observetur semper finis legis, & Legislatoris mens, quæ anima dicitur legis. 5. quod quando reservatio est dubia, vel obscura, ab eo, qui facultatem reservandi habet, interpretationem accipit. At si non esset valde obscura, vel dubia, etiam à Confessario fieri potest interpretatio. 6. ut lex reservationis interpretanda sit juxta proprietatem verborum, & communem usitatamque acceptionem in sensu naturali secundum usum hominum; itaut quo minor possit, obligatio inducatur. vide *Laymann. de legibus cap. 18.*

8 Sicque proprietas verborum legis duplex, Naturalis, & Civilis. Naturalis est, qua verba ex primæva institutione, & communi loquendi modo, aliquid significant. Proprietas Civilis, est, qua eadem verba in jure aliud quid simile significare possunt: sic verbum *mors*, significat mortem naturalem, qua anima à corpore separatur; at secundum proprietatem civilem, professionem religiosam significat; atque ideò in nomine analogo, pro famosiori analogato standum, ut si Lex loquatur de filio, de naturali, nõ autẽ adoptivo intelligitur, si de morte intelligitur naturalis nõ civilis, *Cast. to. 3. p. 3.*

9 Et sic in odiosis restringi debet verborum sensus ad solam proprietatem naturalem; sic in reservatione homicidii, cum sit odiosa, non incurritur casus, nisi opere homicidii consumato. Similiter Lex liberans à pœnis percussorem Clerici inventi turpiter agentis cum sua uxore, filia, matre, aut sorore, ad has tantum restringitur; quia statui Clericali odiosa est

10 Immo, ut notat *Merolla disp. 4. c. 9.* etiam citra proprietatem præd..am, Lex odiosa restringitur. Lex enim odiosa de Monachis, & Monialibus loquens, non solum non comprehendit Novitios, aut Novitias, sed neque Abbatem, vel Abbatissam (& loquens de Clericis secundum se, & nisi specialis causa, & consuetudo obstet; non comprehendit Canonicos, aut Sacerdotes) imo probabiliter ex eodem Merolla, nec Clericos conjugatos. similiter nomine filii venit solus filius legitimus.

At, etsi subditus non teneatur servare non expressam Prælati voluntatem. Excipiunt tamen. 1. quando reservatio contineret publicam utilitatem; Quia tunc diceretur potius favorabilis, quam odiosa, atque ideo valet argumentum à simili. 2. si contineat favorem Ecclesiasticum. 3. quando contineat favorem animarum. 4. si sensus proprius absurdum contineat, nisi

ex-

extenderetur. 5. si communis usus loquendi, propriæ significationi repugnet. 6. si reservationis Lex intelligatur iuxta propriam significationem, lex redderetur inutilis. 7. quando includit alios casus graviores eiusdem generis; tunc Lex reservans quoque illos includit; V.G. quia major est rapina, quam furtum, prohibito furto (quo nomine intelligitur omnis usurpatio rei alienæ) includit etiam rapinam. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit. Ideo.

11 Quæres an Lex extendi possit ad casum suis verbis non comprehensum ob paritatem, vel identitatem rationis?

Et dicendum, quod si in lege expressus sit unus tantum casus, causa exempli, certe tunc comprehenduntur alii similes casus non expressi, sive lex sit favorabilis, sive odiosa, ut si lex imponat pœnam contra furantes centum aureos; comprehendit etiam furantes nonaginta. Quia in illa generali lege, centum aurei ponuntur causa exempli. Si verò in lege ponitur casus, non exempli causa. Complures utriusque juris Doctores cum Merolla docent, in favorabilibus fieri extensionem ad alium consimilem casum non expressum; præsertim, si in lege communis ratio sit expressa, & in odiosis etiam fieri extensionem quoad obligationem, etsi non quoad pœnam.

Sed Bon. Castrop. & alii probabilius docent, neque in odiosis, neque in favorabilibus fieri extensionem à casu ad casum ob paritatem, vel identitatem rationis. Quia ratio legis non est lex; Ergo quamvis militat pro alio etiam casu sub forma verborum legis non comprehenso, hoc ad illum non extenditur.

Neque obstat, quod Legislatoris voluntas ex legis ratione cognoscatur, quæ dicitur anima legis. Nam si verba secundum omnem suam proprietatem, unum tantum casum comprehendunt; dicendum quod Legislator hunc tantum voluit ex ea ratione prohibere, aut præcipere, etsi in illis eadem sit ratio. Hinc *L. non aliter, ff. de legatis*, dicitur, *quod ex verbis non provenit, neque ex mente creditur provenire.* Vide etiam dicenda, *disp. 3. q. 5. c. 2. n. 5. vers.* probat secundo.

Excipe tamen nisi alias Legislator injustitiæ, aut imprudentiæ argueretur; aut si lex elusoria redderetur; tunc enim sive favorabilis, sive odiosa de casu ad casum ob rationis identitatem, extendenda est. Et primò in correlativis, quod enim est dispositũ in uno correlativo, censetur etiam dispositum in altero; si eadem ratio militet pro utroque. Sic si ob longam absentiam sponsi sine Sponsæ licentia, potest hæc dissolvere sponsalia, *cap. de illis de sponsalibus*; Sequitur ut possit etiam Sponsus ea dissolvere ob absentiam Sponsæ sine eius licentia. Sic quia potest uxor communicare cum marito excommunicato vitando, *c. quoniam 2. q. 3.* potest e converso maritus communicare cum uxore excommunicata vitanda. At si reservetur sodomia, probabiliter dicit *Bardus* contra complures, quod non extendatur ad patientem. Quia etsi sit correlativus, tamen non est sodomita, sed mollis. Vide dicenda *disp. 2. q. 2. casu* 10.

Secundò in æquiparatis, V. G. quia in jure Electio, postulatio, provisio, & præsentatio ad beneficium æquiparantur, ideo quod in lege disponitur de uno ex æquiparatis, censetur dispositum etiam de aliis, *Glos. in cap. si postquam de electione.*

Tertiò in connexis sive ex iure, sive ex consuetudine, V. G. quod disponitur in lege canonica de Vicario Episcopi, censetur dispositum de Vicario Capituli sede vacante, & quod disponitur de Diaconatu, censetur dispositum de Subdiaconatu.

Quartò denique, si lex frequentioris usus causa, aliquid decernit, comprehendit etiam casum minus frequentem. Sic lex PII V. prohibens monialibus egressum, nisi ex causa incendii, lepræ, epidemiæ; extenditur etiam ad invasionem hostium, terremotum &c. Quia frequentioris casus causa, illos tantum expressit, Doctores communiter contra aliquos apud *Merollam, cap. 4. n.* 140.

12 Ideoque dicendum, quod quando lex etiam de se odiosa, exprimit rationem ob quam lex lata est, extenditur etiam ad casum, in quo clarè occurrit, atque convenit eadem legis ratio, colligitur *ex l. 2. §. 20. quod si Curatores. ff. ad Ser. Cons. Tertyll. ex c. si postquam cum Gl. fa vers. mente de elect. in 6. ex l. illud, ff. ad legem Aquil. ex l. a Titio* 103. *ff. de verb. sig.* junctis glossis, & docent *Pan. Gutt. Mart. Tiraq. Decian. Mascard. Barbos. Gront. Paris. &c.* apud Pignatellum in novissi-

mis

mis consultationibus 195. *pag.* 478. & *de Justis l.* 2. *c.* 19. *n.* 3. Quia ubi ratio exprimitur, eadem legis dispositio esse debet etiam in pœnalibus. Vide dicenda *disp.* 2. *q.* 2. *cap.* 1. *n.* 3.

Nec illa censetur esse ratio extensiva, sed declaratio comprehensiva; sequenda enim est legislatoris mens ubi exprimitur, & non solum verbum. Sic quamvis canones de impedimento criminis in matrimonio loquantur in masculino, etiam intelligunt fœminas; atque ideo si uxor occidat maritum, etiam oritur impedimentum. Item si percussor Clerici incurrit excommunicationem canonis, *Si quis suadente*, quoque mulier illum percutiens, incurrit, *Croix de matrim. n.* 381. 615. & 635. Vide etiam dicenda *q.* 2. *cap.* 3.

Nec obficit regula illa: *In pœnalibus non est facienda extensio ex identitate rationis*; Quia quando agitur de puniendis delictis, materia dicitur favorabilis, & expediens Reip. *L. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. Fagnanus lib.* 3. *c.* 10. *n.* 13. *de immunitate.* Vide etiam dicenda *in casu* 8. *cum censura n.* 4.

13 Ex dictis infertur primò, quod in dubio de significatione verborum legis: in odiosis, strictius; in favorabilibus, latius est intelligenda, nisi aliunde Legislatoris mens dignosci possit. Quod si plures habeant sensus proprios, nec sciri possit, quem sensum Legislator intendat, facienda est interpretatio juxta sensum, qui magis convenit rei, de qua agitur; Et si uterque sensus æque conveniant, nec addiri possit Legislator; tunc supradicta, & sequens regula est tenenda: *Tene certum, dimitte incertum, & standum consuetudini, & statuto loci*; Quia consuetudo dat, tollitque in hujusmodi rebus jurisdictionem.

14 Infertur secundò ex Bartolo, particulas istas, *seu, sive* verbis legis insertas, in materia favorabili sumi pro particula copulativa; & in odiosa pro disjunctiva, *vel.* Sed alii melius cum Bon. docent, tunc accipi copulativè, quando apponuntur post aliquem terminum universaliter, vel pluraliter dictum, aut si apponantur indefinitè; ut si dicas: *Lego tibi vina, quæ habeo sive domi, sive ruri.* At si apponantur post aliquem terminum particularem, sunt disjunctivè, ut si dicas: *Lego tibi vestem meam, sive librum*, hoc est vestem, sive librum.

15 Infertur tertiò, quod ab æquipollentibus in reservatis non fit illatio. Nam tantum expressa veniunt, licet alia sit superioris voluntas; Quia propositio mente concepta, & retenta nihil operatur. *L. si referendi, C. de conditionibus ob turpem causam.* Et interpretatio est facienda contra ipsum Legislatorem, qui potuit, & noluit se clarius explicare, *Lazarius de blasphemia n.* 10. *n.* 17. *Bordonus, Antonius à Spir. S. Corislanus de cas. reser. sect.* 1. *art.* 5. *n.* 4. *Floronus de cas. reser. par.* 1. *c.* 1. *n.* 42. Et meritò quia Superior debet authenticè, hoc est solemniter, & expressè se explicare in legis reservationis verbis, ad hoc ut ejus explicatio, & interpretatio sit sequenda; Cum debeat habere conditiones legis, ad hoc ut ad instar legis subditos obliget, *L. cum de novo, C. de legibus, cap. inter alios* 21. *de sent. excom. l. non expediens, ff. de legibus*, & alias interpretatio ut doctrinalis, & privata, non ligat subditos habentes per se aliam etiam probabilem interpretationem, *Bon. de matrim. q.* 4. *punt.* 10. *num.* 5. Quia superior gerens se, ut Doctor privatos, alios ligare nequit.

16 Infertur quartò quod si verba reservationis multiplicem habeant sensum, & rem propriam, & impropriam significent; Tunc propria, exclusa impropria attenditur significatio; ut si exprimant dolum (qui dividitur in verum, & præsumptum) restringuntur verba ad dolum verum, exclusa præsumpto. Unde reservato homicidio, intelligitur reservatum verum, non præsumptum, *Ant. à Spir. S. part.* 5. *direct. tract.* 5. *disp.* 14. *n.* 415. *Lezzana, Bassæus &c.* Ideoque reservato homicidio, reservatione ligantur ipsi occidentes; non autem consulentes, mancantes, &c. Quia occidentes propriè sunt homicidæ, *Bord. tom.* 2. *resol.* 38. *n.* 10. *Sustinetur.* Igitur reservato delicto, A, intelligitur reservatum certum, non probabile, aut præsumptum, vel dubium, *Caramuel tom.* 3. *Fundament. n.* 1335.

CAPUT IV.

An reservatio teneat cum periculo fractionis sigilli? an addat, vel minuat speciem peccati, & an ratione reservationis, quis teneatur con-

confiteri circumstantiam peccati, quam aliàs non teneretur?

APOPHASIS.

1 *Reservatio non tenet cum periculo fractionis sigilli.*
2 *Reservatio non addit, vel minuit speciem peccati.*
3 *Aliquando quis tenetur per accidens peccati circumstantiam fateri.*
4. *Securius est explicare circumstantiam incestus saltem primi, & secundi gradus, & si non sit reservatus.*
5. *Probabiliter pœnitens, etiam tenetur confiteri circumstantiam incestus ex spirituali cognatione provenientis.*

1 Reservationem non tenere cum periculo fractionis sigilli, docent cum communi. 1. quia lex humana non obligat in præjudicium legis divinæ; Reservatio enim est juris humani, & sigillum juris naturalis divini. 2. reservatio cum præjudicio sigilli, in damnum, non autem in bonum Ecclesiæ esset. Cum arceret Christianos à confitendo. 3. quia voluit Deus peccata occultissimè tegi sigillo. Nec demum lex humana potest velle, quod aliquis seipsum diffamet, occultam ignominiam propalando, *Caramuel Regulari to. 2. n. 3299. 2786. & 2767.*

2 Nec reservatio addit, vel minuit speciem peccati. 1. quia ex *Trid. sess. 14. c. 7.* supponitur flagitium reservationis capax, non autem quod reddatur capax. 2. quia ablata reservatione, sine absolutione, remanet peccatum à quolibet Confessario remissibile; Ergo reservatio non dat novam speciem; Nam si daret, non posset sine absolutione tolli. Quia species peccati commissi absolutione tollitur. Unde ablata reservatione, vel censura, non requiritur, ut quis dicat, se commisisse peccatum, quod erat reservatum, & sic peccatum commissum ante, & post reservationem, specie non differt, *Caramuel Regulari to. 2. n. 1723. & Toletus lib. 3. cap. 1*[illegible]

3 Verum tamen est, quod aliquando quis per accidens, peccati circumstantiam pandere teneatur, puta ob annexam censuram, vel reservationem &c. V. G. quia in hac nostra Diœcesi, incestus in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradu, ac etiam cognationis spiritualis reservatur cum censura; & in secundo gradu absque illa, sequitur, quod committens incestum in primo gradu, teneatur illum Confessario explicare, ut videat, an incurrerit casum cum, vel sine censura reservatum?

4 Quamvis sit probabilis opinio, quod omnes gradus incestus non differant specie inter se; tamen securius est, saltem primi, & secundi gradus circumstantiam explicare, & si incestus non sit casus reservatus; Cum enormiter aggravent. At ubi est reservatus (ut in hac Theanensi Diœcesi) sufficit dicere; Commisi incestum cum censura reservatum; Si incestum cum conjunctis in primo gradu; vel sine censura, si cum conjunctis in secundo gradu. Quia tunc satis innotescit Confessario gradus incestus.

5 Incestum verò cum conjunctis cognatione spirituali proveniente ex Baptismo, vel Confirmatione, etiam tenetur pœnitens explicare; Quia distinguitur specie ab aliis incestibus cum consanguineis, vel affinibus commissis, licet non sit necessariò explicandum, an ex Baptismo, vel Confirmatione orta fuerit cognatio? Quia incestus spiritualis habet circumstantiam Sacramenti; prohibetur enim ex motivo reverentiæ Sacramento debitæ, ratione cujus, sacrilegii rationem adjunctam habet, *Tamb. in methodo confessionis c. 7. §. 7. n. 50. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 5. n. 9. Lugo n. 333. Croix lib. 6. part. 2. de confess. n. 1078. Bon. &c.* At incestus cum consanguineis, vel affinibus prohibetur ob reverentiam conjunctis debitam.

QUÆSTIO II.

De Causis Reservationis.

Quatuor sunt reservationis causæ Efficiens, Finalis, Objectiva, & Materialis. De omnibus singillatim agemus, ideo sit.

CAPUT I.

De Causa effectiva Reservationis.

APOPHASIS.

1 *De fide est, quod Papa jure Divino potestatem remittendi peccata habeat, sicut & reservandi in toto Orbe.*
2 *Dicta facultas, etiam competit Concilio generali.*
3 *Etiam competit Episcopis pro tota sua Diœcesi, ac etiam cæteris prælatis*

tis quoad suos subditos, sed jure humano; At non Parochis.

4 *Dictam potestatem reservandi, hodie non habent Priores, vel Guardiani, sed alii super ipsos, & limitatè quoad certos casus.*

5 *Reservatio peccatorum cæpit in Concilio Lateranensi.*

1 DE fide est, quod solus Papa potestatem remittendi peccata Divino jure in sui electione, & ordinatione accipit. Nec suprema Pontificis jurisdictio à Cardinalibus per electionem confertur, sed provenit immediatè à Christo vi promissionis divo Petro factæ, Matth.6. Sicque potestatem reservandi sibi casus, & quidem in toto orbe, & respectu omnium, tam Episcoporum, quam aliorum inferiorum Prælatorum tanquã partem Ecclesiasticæ jurisdictionis à Christo Domino, habet. Ideoque potest obligare etiam invitos ob supremam potestatem concessam, quam non constat, esse limitatam ad acceptationem subditorum, à quibus dicta potestas non dependet.

2 Item hæc potestas competit Concilio generali etiam pro tota Ecclesia, sed confirmato à Papa.

3 Rursus dicta potestas competit Episcopis pro tota sua Diœcesi, qui quamvis à Christo Domino sint in partem regiminis, & sollicitudinis Ecclesiæ instituti, habeantque in ea speciale munus: Tamen ipsi non divino, sed humano jure, neque à summo Pontifice, dictam facultatem reservandi casus graviores in sua Diœcesi habent, non tantum respectu Confessariorum simplicium, sed etiam Parochorum

Et quamvis Parochorum jurisdictio sit ordinaria, & ab institutione summorum Pontificum tantum dependeat, ideoque, juxta nonnullos, videatur, quod Episcopi non possint illorum jurisdictionem limitare; tum quia à Pontifice procedit Parochiarum divisio, & multi Parochi quando beneficium Parochiale vacat in Curia, accipiunt Parochiam ab illo: ita ut etsi videantur dependere ab Episcopis inseri, non autem in conservari (ut scolasticè loquar) Cum ab illis parochiale beneficium tollere nequeant, nisi ob causas in jure statutas; nec jurisdictionem eorum omnino extinquere. Non enim potest Episcopus facere, quod Parochus non habeat in suas oves jurisdictionem; Ergo neque reservatione, quod eos absolvere non possit.

Tamen asserendum est, quod etsi Parochorum jurisdictio sit ordinaria, & ab institutione summorum Pontificum, ab eadem institutione provenit, ut Parochi in hoc sint Episcopis subjecti, & ideo dicti Episcopi limitatam in foro conscientiæ concedere possunt potestatem. Tum ut graviora crimina securius corrigantur, salubriaque iis remedia adhibeantur. Tum ut difficultate impetrandæ veniæ infræni homines minus proclives in delictis committendis reddantur; cum facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, Extravag. *Etsi Dominici de Pœnit. & remis.*

Demum eadem reservandi potestas convenit etiam Prælatis, qui in utroque foro jurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem habent, ut sunt quidam exempti Abbates. Item Generales, & Provinciales Religionum quo ad suos subditos. Et meritò quia his, & omnibus prædictis convenit; ut graviora crimina majoribus Prælatis reserventur; Nam, ut supponitur, illi sanctitate, & doctrina cæteros antecellunt, ideoque melius perditorum hominum contagioni medebuntur. Non secus ac fit in particularibus, & gravioribus corporis infirmitatibus, quæ à doctioribus medicis curantur: ita majora delicta à majoribus Prælatis sunt medenda, juxta illud Exod.18. *majores, & difficiliores quæstiones referetis ad Moysen.*

4 Olim Priores, & Guardiani ex privilegio Alexandri VI. poterant occultos casus sibi reservare. Sed tamen hodie ex decreto Clem. VIII. omnis potestas reservandi casus Superioribus regularium infra Provincialem dempta est. Immo in dicto decreto etiam est sancitum, ut certi tantum casus in illo contenti pro Religionis conservatione à dictis Superioribus reserventur. Parochi casus non reservant, ut constat ex rationibus allatis n.3.

5 Reservatio, seu jurisdictionis limitatio quoad peccata, & eorum absolutionem, cæpit in Concilio Lateranensi sub Inn.II. ut docet *Sotus in 4. dist. 22. q.2. art.3. Nav. manuali, cap.27. n.76.* qui etiam notat, peccatum primò in Ecclesia reser-

servatum, fuisse violentam in Clericum manuum injectionem, *cap.17. Si quis suadente.*

CAPUT II.

An Superior possit pro libito reservare peccata? & an summus Pontifex, non solum censuras, sed etiam culpas sibi reservet?

APOPHASIS

1 *Superioribus illicita est, licet sit valida nimia peccatorum reservatio, & hoc est verum non solum de Pontifice, erga Episcopos, sed quoque de Episcopis erga Parochos. Imo aliquando probabilitèr etiam est invalida.*

2 *Probabiliter edictum generale Episcopi non receptum, aut abrogatum à majori parte alicujus Parochiæ, non obligat.*

3 *Reservationes Pontificis, reservantur propter censuram, qua ablata tollitur reservatio.*

4 *Excipitur casus simoniæ tum promoventis, tum promoti ad ordines.*

5 *Episcopi, & alii inferiores Prælati non reservant peccata propter censuram, sed ut reservatio sit gravior, & difficilior.*

1 Quamvis *Sotus*, *Ang. Fieellus*, *Henr. & De Lugo disp.20. sect.3. n.36.* apud Cabrinum *in Elucidario casuum, par.1. resol.4.* doceant, quod nimia, & insueta multorum peccatorum reservatio non solum sit illicita, sed & invalida: Quia alioquin posset fieri reservatio tam excessiva, & exorbitans, ut Parochorum jurisdictio fieret inanis.

Sed tamen sententia contraria, docet esse validam, quamvis sit illicita: Quia omnis jurisdictio Ecclesiastica convenienti ordine à summo Pontifice in Episcopos, & alios inferiores descendit, & Superior semper confert jurisdictionem à sua voluntate dependentem; ideoque etsi circa aliquod peccatum, illam auferat, & si forte sit illicita; Si absque convenienti ratione id faciat, valida est.

At, ut verum fatear, si reservatio esset tanta, ut nequiret Parochus, moraliter loquendo, adimplere suum officium; ita ut ejus jurisdictio fieret inanis; tunc etiam invalida probabiliter esset.

Non debent ideo Episcopi, & alii Prælati inferiores suis subditis multiplicare præcepta, exemplo Dei, qui primis parentibus tantum duo præcepta servanda imposuit, *Gen.2. vers.17. & Act.5. Matth. 16.* & ab Apostolis rarissimè etiam legitur fuisse talem gladium evaginatum, ut patet in *Epist.* Pauli, in quibus ter tantum excommunicavit, *ut in 1. Cor.1. ad Gal.* & *1. ad Timoth.* Unde meritò Seneca habet: *Remissius imperanti, facilius paretur.* Nam natura animus contumax est, atque arduum nitens, qui facilius sequitur, quàm ducatur. Vide dicenda *q.5. cap. 1. n.10. & 11.*

Quod est verum non solum de summo Pontifice erga Episcopos, sed etiam de Episcopis erga Parochos, & ideo à *Trid. sess.14. cap.7.* admonentur Episcopi, ut sua potestate utantur in ædificationem, non in destructionem, quod etiam fit à Cong. Card. ne in ea re, modum excedant, ex quibus sequitur, quod debeant potius esse rari, quàm modum excedere.

2 Sed incidenter petes, an in casu, quod Episcopus edictum generale condidisset pro tota Diœcesi, si constet illud non fuisse receptum à majori parte alicujus Parochiæ, aut certè fuisse abrogatum, sciente, & non reluctante Legislatore, an illud edictum obliget populum illius Parochiæ?

Non obligare, docent *Bon. de leg. disp. 1. q.1. pun.4. n. 33.* Quia quando dicitur acceptationem populi debere fieri à majori illius populi, vel communitatis parte, id non tantum intelligitur de populo illius Regni, vel Provinciæ, vel Diœcesis, sed etiam de populo, vel communitate particulari, & si non sit ampla, licet alii aliarum Parochiarum, communiter observent.

3 Circa verò reservationes Pontificis dicunt illas consistere in censura, & solum accidentaliter redundare in culpam. Et quamvis Pontifex nudas culpas reservare possit, sicuti Episcopi &c. Tamen censetur tantum sibi reservare censuram, qua ablata, cessat reservatio, *Vide de Jubileo q.11. art.1. n.1.* & ideo casus Papales, omnes habent annexam censuram, ut certum est de casibus contentis in Bulla cœnæ: cum initio semper ponatur verbum: *excommunicamus*, & in fine additur, quod absolutio à dictis sententiis

nempe excommunicationis, reservatur soli Pontifici, ergo reservatur propter illam, ergo quæcumque causa, quæ excusat ab incursu censuræ, excusat etiam à reservatione, *Tamb. de cas. reser.*

Circa verò alios casus extra Bullam Cœnæ etiam probabile est, quod tantum sibi reservat ratione excommunicationis, suspensionis, vel interdicti peccato annexæ, Clem. VIII. & Sixtus V. in Constitutione, quæ incipit *Sanctum & Salutare*, *Tol. Suar. Layman lib. 3. tract. 6. cap. 12. n. 2. &c.* & ideo concessa facultate absolvendi à reservatis etiam extra confessionem illico peccata absolvi valent, posita à censuris absolutione, Fagund. Hen. Con. Leand. &c. Adeoque, ut docent Nav. Tann. Tol. & alii, si Papa relaxet censuram sibi reservatam, ex consuetudine aufertur etiam reservatio inferioris, puta Episcopi, non tamen e converso. Secus si plures sint reservationes propter plures censuras.

4 Excipitur casus simoniæ, tum promoventis, tum promoti ad ordines, quod peccatum dictus Sixtus V. dempta etiam suspensione, Sedi Apostolicæ pariter reservat, ut ex Bulla emanata 1588. apud Quarantam verbo *Ordo*.

5 Aliud est de casibus Episcopis, vel Prælatis regularibus reservatis etiam habentibus annexam censuram. Mens enim horum est, ut quamvis non incurratur censura, peccatum tamen reservatum maneat, censuram enim addunt, ut reservatio sit gravior, & difficilior.

CAPUT III

An Episcopo reservante sibi aliquot casus, cesset Reservatio aliorum per legem facta? & an possit absque juxta causa efficere, ut unum peccatum pro aliquibus personis sit reservatum, & non pro aliis, seu pro uno loco Diœcesis, & non pro alio?

APOPHASIS.

1 *Probabiliter cessat Reservatio per legem facta, si Episcopus reservet alios casus, non exprimens illos per legem. Tamen alii cum De Luca negant, si nova lex emanet per viam declarationis.*

2 *Non possunt superiores absque justa causa facere, ut unum peccatum pro uno loco Diœcesis, vel pro aliquibus personis sit reservatum, & non pro aliis.*

3 *Summam prudentiam, multasque circumspectiones debent Superiores adhibere in legibus condendis.*

4. *Quanta mala causent Legislatores si indistrictè ferant leges graves, & incompatibiles.*

1 Cessare reservationem casuum per legem factam, Si Episcopus reservet aliquot alios casus, affirmant cum Comitolo, Pasqual. Homob. Lezana, Lupus *par. 1. de casib. reserv. art. 5 diff. c. 2. n. 4.* contra Bordonum, qui *tom. 2. resol. 37. n. 5.* distinguit casus reservatos à Jure, & ab homine, primosque asserit durare, non verò reservatos ab homine, nisi expressè oppositum superior exprimat.

Probatur sententia Comitoli, primò quia vana esset expressio, si non expressi adhuc in suo robore permanerent; Quia in hoc taciti, & expressi eadem esset virtus. 2. quia in oneribus ad mitiora declinandum. 3. quia stante opinionum diversitate, dubium est, an superior voluerit alios, quàm expressos casus durare? & in dubio, favore libertatis, est pronunciandum, ablata ab aliis reservatione. 4. Quia superior potest dicere, se addere expressos, non expressis reservatis à jure, ideoque in dubio interpretatio contra illum est facienda, qui potuit, & noluit se clarius explicare, & sic ut comprehendat tantum expressos, abrogatis non expressis, argum. *cap. nuper de sent. excom. in 6.* ita ut non expressa censentur in odiosis neglecta, cap. *nonne præsumptionibus*, *cap. inter corporalia de translatione Episcoporum*, *cap. dilectus de offic. ordin. cap. is qui de sent. excomm.*

Sed alii cum de Luca, *de benef. disp. 29. n. 20.* docent, quod si lex nova emanet per viam *declarationis*, respicit, & firmat etiam præteritam. Quia tantum manifestat, quod antecedenter erat jam constitutum; secus dicendum, si emanet per viam *dispositionis*.

2 Non posse ex juxta causa Superiores ferre leges privatas, & particulares, & maximè si esset cum perturbatione, scandalo, aut gravi alio inconvenienti, con-

contra Jura aliter clamantia. Nam in l.2. ff. de legib. habetur: *Lex est communis sponsio Civitatis, ad cujus praescriptum omnes, qui in Republica sunt, vitam instituere debent*, & l.8. dicitur: *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur*; & Ethnicus Cicero ait: *Majores nostri in personas privatas leges ferri noluerunt, id enim est privilegium*; Atque ideo non posse licite absque justa causa superiores efficere, ut unum peccatum pro uno loco Diœcesis, vel pro aliquibus personis sit reservatum, & non pro alio loco, vel aliis personis. Vide dicenda quaest. 5. cap. 2.

3 Maxima enim prudentia, & circumspectio in legibus condendis adhibenda est. Nam primò Legislatores in legibus condendis, non semper severitate, sed sepè suavitate necessariò uti debent, aliter pro sanandis plagis magis exacerbabuntur, & evadent incurabiles; & potius transgressiones ipsarum legum, rixas, tumultuationes, & alia graviora mala excitabunt, quàm morum correctiones: Secundò debent circumspicere, & habere rationem ad loca, tempora, & alias circumstantias; quia licet interdum liceat aliquid agere, non tamen expediet, ut Apost. 2. ad Chor. 10. habet: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, & ad Thim. 18. ait: *Scimus autem, quia bona est lex si quis ea legitimè utatur*; & Greg. habet: *In Episcopis effulgeat severitas cum pietate; Quia justitia sine misericordia, non est Justitia, sed crudelitas*. Et Bern. in cant. serm. 27. habet: *Debent Prelati studere magis amari, quàm timeri & si interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica*, & ideo Eccl. cap. 4. habetur: *Noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi*. Vide etiam Trid. *sess. 13. cap. 1. de refor.* Et meritò, nam etsi aliquae leges ad terrorem facinorosorum hominum, asperè, & rigidè sint conditae; tamen in illis exequendis, probi Legislatores dulces, & placidi esse debent.

4 Nec debent Superiores industriosè ferre leges graves, & incompatibiles, quia tunc non pro corrigendis moribus. Sed ad perdendas hominum animas, & ad eorum bona captanda, potius deservient. Et contra tales sunt verba Christi Domini Matth. 23. 4. *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere*: & Isaiae, cap. 10. vers. 1. habetur *Vae qui condunt leges iniquas*. Vide Delbene *de Imm. Eccl. cap. 15. dubio 2.*

QUÆSTIO III.

De causa Finali Reservationis; ubi de ignorantia excusante a Reservatis, vel a censura eis annexa.

Quia omne agens egit propter finem, ideo Superior reservans debet habere finem rationabilem respicientem bonum Ecclesiae, ut constat ex Trid. sess. 7. can. 11. quo fine deficiente, Reservatio existere nequit; Cum effectus poni nequeat sine causa; ideo sit

CAPUT I.

Quid sit finis Reservationis? & an cessante ejus fine, per aliquod oppositum isti fini, cesset Reservatio?

APOPHASIS.

1 *Finis legum, & legis Reservationis qualis sit?*
2 *Docent nonnulli, quod cessante fine Reservationis, cesset Lex illius.*
3 *Quare Sacra Congregatio statuit, in locis remotis à Cathedrali, debere constitui ministrum, qui absolvat à reservatis?*
4 *Finis legis cessare potest vel contrariè, vel negativè.*
5 *Finis legis aliquando distinguitur a materia legis, aliquando non.*
6 *Finis legis alius est adaequatus, alius inadaequatus.*
7 *Quando finis legis cessat contrariè, non obligat lex.*
8 *Quando finis legis non distinguitur à materia legis, cessante fine legis, cessat obligatio legis.*
9 *Si finis legis Reservationis cessaret inadequatè in aliquo particulari, ille non esset liber à lege.*
10 *Probabiliter etiam cessat obligatio legis, quando finis legis cessat adaequatè in aliquo particulari.*

1 Finis legis nō solum Divinae, sed & Ecclesiasticae, est respicere primò, & per se virtutem, & honestatem,

tanquam media, quibus subditi dirigantur ad bonum spirituale: ideoque finis Reservationis est, timore pœnæ, obviare enormioribus peccatis, *Trid. sess. 14. cap. 7. de Pœnit.* Ubi potestas reservandi est in *ædificationem*, non in *destructionem*; atque ideo *cum grano salis* adhibenda est, pro delictis enormioribus tollendis, & impediendis, *cap. cum in cunctis*, ibi: *Ut quos Dei timor à malo non revocat, Ecclesiasticæ coerceat severitas disciplinæ*. Sicuti enim in foro sæculari majores causæ, majores exposcunt Judices; ita à pari in foro animæ, sic enim ob peritiam majorum Judicum, & difficultatem pœnitentium illos adeundi, benè prospicitur arduis illorum delictis, Homobonus *par. 1. d. cas. res.* Lupus *de cas. reser par. 1. art. 1. diss. 2.* Grassius, Bassæus, Sotus, Pasqu. Bordonus &c. Vide etiam dicenda *disp. 2. quæst. 1. casu 14. cum censura n. 84.*

2 Et ideo nonnulli cessare reservationem docent, si cesset finis Reservationis, per advenientem contrarietatem, puta si ob reservationem, quis non solù nō resipiscat, sed in deterius labatur, & desperata absolutione, desperatè vivat. Nam finis Reservationis est, ut corrigatur ab excessibus gravioribus, non ut præceps magis impellatur ad delinquendum, non inveniens, à quo absolvatur, Trid. sess. 14.

3 Unde ad tam enorme absurdum impediendum summus Pontifex, & de ejus voto S. Congr. statuit, debere constitui ministrum à reservatis absolventem, maxime in locis remotis à Cathedrali, ne difficultate absolutionis, fideles retardentur à pœnitendo contra Dominicam voluntatem, quæ *vult omnes homines sanctificari*. Sed in hoc, cum prudentia agendum cum ipso superiore.

Ideo modò non levis difficultas est, num cessante fine legis Reservationis in aliquo particulari, cesset pro hoc particulari obligatio Reservationis, V. G. Lex reservans hujus nostræ Diœceseos prohibet conversationem sponsorum, ultra duas vices, ante contractum Matrimonium, ut vitentur actus turpes & fornicarii inter ipsos sponsos, an qui certò scit ex tali conversatione, non oriri dictos actus, possit cum sponsa conversari?

4 Ut sine difficultate in prædicto dubio procedamus, notandum cum Croix *lib. 1. de legibus n. 864.* primò, quod finis legis dupliciter potest cessare, vel contrariè, vel negativè. Cessat contrariè si fiat illicitus, aut impossibilis. Negativè cessat, si non reddatur quidem illicitus, aut impossibilis, attamen per observationem legis, non obtineatur finis intentus à lege.

5 Notandum secundò, finem legis aliquando distingui à materia legis: ut lex, quæ præcipit noctu manere domi, ut vitentur rixæ; ubi vitatio rixarum distinguitur à mansione domi, præcepta propter rixas vitandas. Aliquando non distinguitur, ut si præcipiatur Oratio propter cultum Dei, materia præcepti est oratio, quæ eadem etiam est cultus Dei.

6 Notandum tertiò, quod finis legis alius est Adæquatus, & Totalis; Alius inadæquatus, & Partialis tantum. Adæquatus est totum illud, sive sint omnia illa, quæ intenduntur à lege, & propter quæ obtinenda fertur lex. Inadæquatus est aliquid, seu aliqua pars illorum, quæ lex intendit.

7 Certum est primò, quod quando finis legis cessat contrariè, nō obligat lex. Quia ad illicitum, vel impossibile nemo tenetur.

8 Secundò, quod quando finis legis non distinguitur à materia legis, cessante fine legis, cessat obligatio legis. Quia non est obligatio, ubi non est materia legis. His notatis.

9 Dico primò, quod si finis legis reservationis cessaret inadæquatè in aliquo particulari, ille particularis non esset liber à lege. Quia quando sunt plures fines, licet simul sumpti faciant unum totale, & adæquatum, tamen deficiente uno, si alius maneat, hic censeri debet sufficiens, adeoque hoc sensu adæquatus ad movendum Legislatorem, nisi aliter de opposito constet.

10 Dico secundò, quod si finis legis reservantis cessaret adæquatè in aliquo particulari, & si videatur certum, quod etiam cessaret obligatio legis, ut docet *Nav. Caiet. &c. apud cit. Croix n. 867.* tamen docent alii, quod nunquam talis finis potest quoad aliquem in particulari cessare, quoties manet quoad communitatem. Quia finis adæquatus, & primarius omnium legum, est dirigere communitatem; nec leges respiciunt speciales casus, vel circumstantias; sed feruntur pro Communitate secundum hoc, quod communiter contingit, & est uniforme ut o-

pere-

peretur in illa materia, quam lex prescribit. Qui finis semper manet, licet fortè cessent in aliquo particulari alii speciales fines. Et ideo juxta hanc sententiam, si quæratur, si in uno, vel altero particulari, cesset finis adæquatus legis, an ille particularis liber sit ab obligatione legis? negant suppositum; Quia supponunt finem adæquatum legis humanæ nunquam posse cessare in aliquo particulari, quoties quoad communitatem manet, Viva in prop. 45. damnata ab Alex. 7. n. 4.

Non desunt tamen aliqui cum *Abb. Comitolo, Syl. Nav. Cajet. Henr. Sà, Gran. &* aliis apud Dianam *resol.* 28. qui contrarium probabiliter doceant, quorum ratio est primò; Quia ratio est anima legis, ergo sicuti corpus sine anima non potest aliud movere: ita lex sine ratione legis non potest subditum obligare. Alias rationes, & responsiones, vide tum apud cit. Dianam, tum apud alios.

CAPUT II.

An Reservatio sine causa teneat? & an se extendat ad peccata commissa non confessa ante Reservationem?

APOPHASIS.

1. *Probabiliter Reservatio sine causa facta à Papa, tenet; secus vero facta ab Episcopo: Quamvis contrarium teneant alii.*
2. *Non se extendere Reservationē ad peccata commissa, & non confessa ante reservationē docēt nonnulli; tamen contrariū ut probabilius docent alii cum Tāb. secus, si tūc Reservatio sit ablata.*

1. Leander *tom. 1. tract. 5. disp. 12. quæst.* 18. citans decem DD. ait, Reservationem factam à Papa sine causa esse validam, sed illicitam. Factam verò ab Episcopo esse nullam. Quia illicitè agit sine causa reddens difficilius, & arduum confessionis præceptum. Hanc sententiam etiam sequuntur septem DD. apud Bassæum ver. *Cas. reser. n.* 4. & Antonium à Spiritu Sancto *tract.* 5. *n.* 924.

Sed Henriquez lib. 6. cap. 14. n. 4. Ang. Sotus, Riccardus, & Bord. tom. 2. resol. 37. quæst. 9. n. 10. in fine docent non posse; immo dictus Bord. de Pœnit. cap. 4. quæst. 5. n. 5. ait, Nec Papa id posse.

Probant 1. quia quando deest causa, deest etiam Jurisdictio, quæ non est nisi ad bonum publicum Ecclesiæ; & ut sine Jurisdictione, ita sine causa, nulliter casus reservantur. 2. quia ad constituendum casum, requiritur usus Jurisdictionis, & sine causa esset abusus: & superior non habet jus abutendi Jurisdictione, sed ædificandi, sua reservatione, bonum Ecclesiæ, Trid. sess. 14. c. 7. ibi: *Episcopis omnib. in sua cuique Diœcesi in ædificationem tantum, non in destructionem liceat.* Contrarium tamen credo de Papa, & ideo sequenda sententia Leandri in hoc. Tamen vide etiam Croix, & Vingaht *de legib.*

2 Reservationem non se extendere ad peccata commissa non confessa ante Reservationem, docent DD. cit. *n.* 1. Primò, quia dicunt, esse attendendum tempus absolutionis, non delicti. Et etiam quia in peccatis commissis ante reservationem, cessat finis reservationis, scilicet, ut timore illius non committantur, & sic cessat reservatio. 2. Quia dicta Lex reservans respicit futura, non præterita, *L. leges, C. de legibus, L. adiungere §. quamvis. ff. de Jure patr. cap. fin. de constitut. Ancaranus, Ang. & Ridolfinus lib. 2. variarum, cap.* 35. *n.* 4.

Contrarium tamen docent alii, & Tamb. *de conf. reser. cap. 1. n.* 10. Quia tunc Jurisdictio illa in Confessario invenitur esse restricta, ut patet in definitione Reservationis. Secus dicendum, si tunc Reservatio illius peccati sit ablata.

CAPUT III.

De Ignorantia, & ejus divisione.

APOPHASIS.

1. *Ignorantia quid sit, quæ ex parte objecti alia est Juris, alia Facti, alia Pœnæ.*
2. *Ignorantia ex parte subiecti alia est vincibilis, alia Invincibilis.*
3. *Vincibilis alià est Crassa, seu Supina, alia Affectata, alia Notabilis, alia Levis.*
4. *Solet etiam dividi in Antecedentem, Concomitantem, & Consequentem.*
5. *Quædam per se, & sua natura sunt mala, quædam tantum per accidens, & per positivæ Legis probibitionem.*
6. *Quid sit ignorare, errare, & titubare?*

1 Quia ex causis, quæ frequentius à pœnis excusant, potissima est ignorantia, ideo videndum quid & quotuplex sit; Ignorantia ergò · *A scientiæ alicujus objecti carentia, in subjecto apto.*

Dividitur primò ignorantia, ex parte objecti, in Juris, Facti, & Pœnæ ignorantiam. Ignorantia Juris dicitur quando ignoratur aliquid esse à Jure prohibitum sub aliqua pœna; ut cum quis nescit ab Episcopo latam esse legem, qua alicujus delicti absolutionem sibi reservat. Facti est cum quis habita scientia Juris, ignorat factum ipsum, seu cum in actu practico ignorat, se patrare delictum, in tabella Reservationis contentum, illudque involvere eam specialem malitiam, ac deformitatem, cujus intuitu, & in cujus odium, lata est Reservatio, V. G. scio percussores Clerici esse ipso Jure excommunicatos, tamen quem percussi, nesciebam, esse Clericum. Pœnæ ignorantia, est cum quis ignorat, in tali delicto esse latam talem pœnam; seu quando quis ignorat non Jus, neque factum, sed tantum pœnam ea lege impositam: ut si scias dictam legem, & quem percussisti, esse Clericum, sed ignoras illam percussionem esse sub excommunicatione prohibitam.

2 Ignorantia Juris, vel facti, ex parte subjecti, subdividitur, quod alia sit invincibilis, quæ etiam dicitur *inculpabilis, Justa, Probabilis, Involuntaria*, & *Antecedens*, quia antecedit omnem cognitionem, & potestatem arbitrii. Alia Vincibilis, seu *Culpabilis, Injusta, Improbabilis, Voluntaria*, & *Consequens*. Invincibilis dicitur, quæ morali diligentia adhibita, vinci, & tolli non potest; vel quia nunquam venit in mentem de opposita veritate cogitare; vel si venit, error deponi non potuit. Vincibilis dicitur quæ superari, ac tolli, & opposita scientia acquiri potuisset, ut si audieris, dubitaveris, adverteris, suspicatus fueris &c. quod forte sit dicta lex, vel factum, vel pena.

3 Ignorantia Vincibilis rursum dividitur in *Crassam*, *seu Supinam*, *Affectatam*, *seu directè volitam*, *Notabilem*, seu *notabiliter culpabilem*, & *Levem*, seu *tenuem*. Crassa sic dicta, desumpta metaphora ab hominibus crassis, & obesis, qui desides esse solent (dicitur etiam *Supina* ab iis, qui de rebus suis nullam curam suscipiunt, sed supine in lecto jacent) Et est illa, quæ procedit ex magna cognoscendi negligentia, & tantum indirectè est voluntaria; atque hæc, cum procedat ex culpa lata, est inferior affectata. *Affectata*, & directè voluntaria, est cum quis data opera vult ignorare, nec inquirere veritatem, sive ob eicendi tedium, sive ut legis obligatione ignorata, liberius peccare possit, atque hæc, cum procedat à culpa latissima, æquivalet scientiæ, adeoque gravissimè culpabilis. *Notabilis*, est quando quis adhibet quidem aliquam diligentiam ad habendam obligationis notitiam, sed non tantam, quantam moraliter sufficit: ut si quis inquirat a rustico, an percussio Clerici sit sub excommunicatione prohibita? sed non à perito. *Levis*, sive *tenuis*, est quando adhibet mediocrem, & sufficientem diligentiam, sed non tantam, quantam potuisset: ut si inquirat à mediocriter docto.

4 Solet etiam ignorantia tàm *Invincibilis*, quàm *Vincibilis* dividi in Antecedentem, Comitantem, & consequentem. *Antecedens*, quæ, ut dictum est n. 2., non distinguitur ab Invincibili dicitur, quæ est causa operis; quia si abesset, opus non fieret. *Comitans* est, quæ non est causa operis, quia si abesset, adhuc opus fieret. *Consequens*, quæ non distinguitur à *Vincibili*, est illa, quæ aliquo modo voluntaria est, V. G. si jacias sagittam in scopum, ignorans ibi adesse tuum patrem, vel tuum inimicum. Ignorantia patris dicitur causa actus, quia si scivisses, ibi adesse patrem, certè non jaceres. Ignorantia inimici dicitur *Concomitans*, quia si scivisses adesse inimicum, adhuc jecisses. Utraque ignorantia potest esse invincibilis, si nihil prorsus de patre, vel inimico tunc cogitaveris: *Vincibilis*, si aliquo modo de his cogitans, non adhibearis debitam diligentiam. Utraque cognosci potest ex sequenti regula: Si adveniente postea scientia, statim displiceat actus positus, signum est, ignorantiam fuisse causam; si statim placeat, signum est, fuisse comitantem seu concomitantem. Dictæ ignorantiæ divisiones accommodari possunt Inadvertentiæ, Oblivioni, & Inconsiderationi, bonæ Fidei, Simplicitati, quæ in moralibus ignoran-tiæ

tim æquiparantur, D.Thom.Sanch.Layman,&c.

5 Insuper sciendum, quod quædam per se,& suapte natura, sunt mala, ut homicidium, mendacium, blasphemia ; atque ideo preceptis Divinis, & humanis prohibita. Quædam verò per se mala non sunt, sed talia fiunt per positivæ legis, (V.G. Episcopalis Constitutionis) prohibitionem: ut die festo laborare, legatorum piorum denũciationes omittere,&c.

6 Et demum nota, dari *Ignorantiam, Errorem, & Titubationem*. Ignorare, est *ex toto nescire, quod sciri debetur*. Errare verò est *unum pro alio putare*. Titubare, est, *cum quis est dubius inter duo, atque ideo nescit quid eligat.*

CAPUT IV.

Quæ ignorantia, aut error excuset à Reservatis, & quæ à Censura, si eis sit annexa?

APOPHASIS.

1 *Tripliciter quis potest ignorare circa casus reservatos.*

2 *Ignorantia Invincibilis, sive juris, sive facti, sive antecedens, sive concomitans; Sicuti etiam Vincibilis levis alicujus delicti, & reservationis ei impositæ, excusat à reservatione.*

3 *Ignorantia Invincibilis juris excusat ab incurrenda reservatione, quoties versatur circa ea, quæ per se mala non sunt, sed fiunt talia per prohibitionem positivæ legis.*

4 *Ignorantia Invincibilis juris naturalis, excusat à culpa, & pæna.*

5 *Etsi non sit possibilis ignorantia invincibilis, in ordine ad prima synthereseos principia: tamen est possibilis relatè ad plures veritates mediatè ex illis deductas.*

6 *An incurrat Reservationem, qui ignorat illam, etsi sciat peccatum propter quod imposita est? DD. graviter disputant.*

7 *Qui ob ignorantiam non contrahit malitiam peccati reservati, non innodatur reservatione.*

8 *Ignorantia Invincibilis, excusat à Censura.*

9 *Ignorantia culpabilis facti, vel juris imponentis censuram, non excusat ab illa, nec à peccato.*

10 *Ignorantia Vincibilis non pertingens ad crassam, etsi notabiliter culpabilis, ex Tamb. etiam excusat à censura, & à fortiori vincibilis levis*

11 *Ignorantia Vincibilis crassa, seu supina, excusat ab incurrendis pænis latis cõtra præsumentes, audentes &c aliquid facere, dummodo temeritas, non sit tam ingens, ut dolo, & præsumptioni comparetur.*

12 *Quando simpliciter imponitur pæna, tunc ignorantia crassa, & supina, non excusat ab illa incurrenda, quamvis minuat gravitatem culpæ.*

13 *Ignorantia affectata non excusat à censura, quamvis sit imposita scienter, & temerario ausu peccantibus.*

14 *Sciens aliquid esse prohibitum sub excommunicatione, excusatur ab illa, si dum illud agit, non recordetur de ea.*

15 *An putans censuram esse Episcopo reservatam, illam contrahat si reservata sit Pontifici, utrumque docent DD: sed tamen probabilius est, illam contrahere.*

QUia solent in Diœcesibus reservari aliqua gravia delicta, partim cum, partim sine censura, nempe graviora cum censuris, minus gravia sine illis: Et cum finis Reservationis sit, ut subditi timore pœnæ ab enormioribus criminibus se abstineant (qui finis in ignorante cessat) Ideo videndum in hoc capite, quæ ignorantia excuset à reservatis, & quæ à censuris, si forte illis sint connexæ.

1 Pro faciliori casuum resolutione, sciendum, quod tripliciter potest quis circa hanc materiam ignorare. Primò ignorando peccatum, & Reservationem illi impositam. Secundò ignorando Reservationem peccato annexam, & non ipsum peccatum. Tertiò ignorando speciem illius peccati, cui Reservatio est annexa, & sic contrahendo unam malitiam pro alia. Exemplum primæ, & secundæ ignorantiæ esset V.G. hoc: in hac Diœcesi reservatur *conversatio Sponsorum* ante contractum matrimonium, potest accidere casus, quod sponsus ignoret talem conversationem esse peccaminosam, & reservatam, vel quod sciat illam esse peccatum, sed nesciat esse reservatum. Exemplum tertiæ esset V.G. Si quis commit-

mitteret peccatum fornicationis cum consanguinea, invincibiliter ignorans, talem mulierem esse sibi conjunctam. His notatis.

2 Dicendum primò, quod ignorantia invincibilis, sive Juris, sive facti, non tantum Antecedens, sed & Comitans, sicuti etiam vincibilis levis peccati, seu culpæ Theologicæ, & Reservationis, ei impositæ, excusat ab illa. Quia in invincibili nullum datur voluntarium, adeoque nullum peccatum. Ratio, quod excuset etiam vincibilis levis, est, quia sicuti ignorantia levis excusat à peccato gravi, ita etiam æquum est, ut pœnam gravem tollat.

3 Dicendum secundò, quod ignorantia Invincibilis juris, seu latæ Reservationis, excusat ab ea incurrenda, quoties versatur circa ea, quæ per se mala non sunt, sed fiunt talia per prohibitionem positivæ legis. Unde ignarus talis legis, est à Reservatione immunis. Quia talis Reservatio se habet per modum pœnæ statutæ in transgressores hujusmodi constitutionum, quæ sicuti per ignorantiam culpabilem, excusant à culpa, ita à Reservationis pœna, Ugol. Homob. Hur. & De Lugo disp. 20. de Pœnit. sect. 1. n. 9.

4 Etiam ignorantia Invincibilis juris naturalis excusat à culpa, & pœna; quod liquet ex duplici propositione damnata; prima Doctorum Lovaniensium, damnata Romæ tanquam temeraria, anno 1685. 8. Augusti quæ sic habet: *Nullam admittimus ignorantiam juris naturæ in ullo homine, dum hic, & nunc contra jus naturæ agit*: Secunda Jansenistarum vaticano fulmine percussa ab Alex. 7. propt. 31. quæ sic se habet: *Tametsi detur ignorantia Invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat à peccato.*

5 Unde ex dictis resolvendum, quod quamvis non sit possibilis ignorantia Invincibilis, in ordine ad prima synthereseos principia (nempe: *Quod malum sit fugiendum, bonum amplectendum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris &c.* cum hæc unicuique habenti usum rationis, sint latenter à natura impressa); Tamen possibilis est relatè ad plures veritates naturales, saltem mediatè, & non adeò clarè ex illis deductas (V. G. quod non liceat in gravi necessitate surripere alienum, occidere innocentem Judicem, à quo certò imminet iniqua sententia, &c.) quæ nonnisi ex clara declaratione Sedis Apostolicæ innotuere; & sic de cæteris, de quibus imperiti nunquam audierunt, neque per se potuerunt deducere: sicque ignoranter operantes contra legem naturalem, non peccant; Quia talis actio non est voluntaria, neque in se, neque in causa. Nec potuerunt in particulari petere à Deo lumen ad cognoscendas dictas veritates; quia nunquam de his cogitarunt; quamvis generaliter petentibus, Deus non deneget lumen necessarium necessitate medii ad salutem; secus verò tali necessitate non necessarium ad quæ Deus non tenetur dare cognitionem. At ignorantia Vincibilis legis Divinæ, non excusat à pœnis jure naturali debitis, ut Infernus, Purgatorium; Quia illæ connaturaliter pœnam Theologicam sequuntur.

6 An verò incurrat reservationem, qui ignorat illam, etsi sciat peccatum, propter quod imposita est, altercatio est inter Doctores. Nam in sententia tenentium, Reservationem non esse pœnalem, sed medicinalem pœnitenti, & restrictivam potestatis Confessariorum, ignorantes illam non excusantur. Quia tunc Confessarii jurisdictionem æquè restrictam habent in scientibus, quàm ignorantibus, Tamb. *de cas. reser.* Felix Potestas *tom. 2. à nu. 289.* Croix *lib. 6. de Ministro Pœnit. nu. 1607. & 1608.* Idemque docent de pueris.

In sententia verò tenentium, Reservationem esse pœnalem pœnitenti, & odiosam Confessario (de qua, sicut de prima abundè diximus quæst. 1. cap. 3. n. 1.) ignorantem reservationem etiam vincibiliter, excusari a Reservatione solius peccati. Hanc sententiam tenent Quintanadvenas, Gabriel, Facundez, Faucius, Regin. Homob. & alii. Tamen Henriquez *lib. 6 cap. 14. n. 1.* id concedunt de reservatis ob censuram, & Bassæus, Ant. à Spir. S. Lugo, Arriaga, & Sanchez id concedunt de omnibus reservatis in pœnam, non in medicinam.

Probat suam conclusionem Gabriel; primò quia in ignorante cessat finis Reservationis, ut scilicet deterreantur à delinquendo; Cum Reservatio ignota nequeat ignorantem timore arcere; cum nemo timeat, quod ignorat. Quæ ratio æ-

que

què probat, sive Reservatio sit cum censura, sive non. Cum ergo in utroque cesset finis, cessat etiam Reservatio. Pœna enim videtur imponi in contemptores legis, & contumaces. Secundò quia Reservatio, etiam sine censura, est pœna, quæ nequit ignorantes non crassè, & supinè afficere, *cap. ut animarum de constit. c. quod dicitis dist. 55. cap. finali*, qui matrimonium accusare possunt, Serra *par. 2. to. 2. qu. 76. art. 3. dub. 2.* Anton. à Spir. S. *to. 1. tract. 5. de pœnit. disp. 14. resol. 933.* Laym. &c. Sed quia in hac difficultate, ob dissonantiam DD. adeo ingravescunt tenebræ, ut nequeat aliquid certi discerni (cum videamus in diem, multos simplices Confessarios, tales ignorantes absolvere, & è converso, innumeros alios non inquirere à pœnitentibus, an sciverint, tale esse reservatum, sed inabsolutos relinquere, & si ignoranter illam incurrerint): ideo judicio prudentum has duas sententias eligendas relinquo. Tu tamen pro majori claritate vide, quæ dicam *disp. 2. qu. 2. casu 14. cum censura, in secunda par. à n. 84.*

7 At, quia (juxta dicta n. 1.) ignorat speciem peccati, seu, qui materialiter committit reservatum, quod formaliter ob ignorantiam non est tale, non incurrit reservatum & sic, qui ignoranter cognovit mulierem sibi conjunctam in primo, vel secundo gradu, putans esse aliam fœminam, non sibi conjunctam, & si peccaverit juxta qualitatem mulieris putatæ, non incurrit in hac Diœcesi reservatum Incestum. Quia ob ignorantiam facti, non contraxit malitiam illius, in cujus odium præcipue lata est Reservatio, sed aliam malitiam juxta conditionem personæ, cum qua peccavit, vel putavit peccare. Vide etiam dicenda *disp. 2. qu. 2. in casu primo sine censura n. 24.*

8 Circa verò ignorantiam, quæ excusat à censura. Dico primò, quod Ignorantia Invincibilis pariter excusat à pœna censuræ. Ex eo quia pœna infligitur propter culpam, quæ in invincibiliter ignorante non adest, & neque dicitur contumaciter in pœnam, seu censuram delinquere, Sanch. Nav. Dian. &c. qui etiam dicunt hoc habere locum in irregularitate ex delicto. Quomodo verò ignorantia pœnæ à lege positiva impositæ, contingere possit, & an excuset ab incurrenda pœna, vide Tamb. *lib. 1. cap. 2. §. 10. à n. 9.*

9 Dico secundò, quod ignorantia culpabilis facti, vel juris simpliciter imponentis censuram (puta sic: *Qui hoc fecerit hoc non servabit*) non excusat ab illa, nec excusat à peccato transgressorem legis, quia sequitur ex voluntario, & patet, ex c. *ut animarum periculis obvietur*. Ratio est quia ignorans culpabiliter censuram, contumax censeri debet, cum contumacia præsupponat scientiam, ut docent Sanch. Dian. Mol. Suar. Layman, &c.

10 Ex cit. Tamb. ignorantia vincibilis notabiliter culpabilis, quæ non pertingit ad crassam, etiam excusat à pœna censuræ. Quia, habet ipse, *in legibus positivis, talis ignorantia, si non pertingat ad crassam, est reputanda tantum leviter culpabilis, quæ gravem pœnam non meretur*. At alii Doctores contrarium tenent. Quæ possunt in praxi ex dictis colligi. Vide cit. Tamb. à n. 20. Unde sequitur, quod ignorantia vincibilis levis eo magis excusat. Negligentia enim levis non potest parere peccatum grave; Nec peccatum non grave, potest aliquam pœnam gravem, qualis est excommunicatio, inducere, Sotus lib. 5. *de just. qu. 1. art. 9.* Suarez &c.

11 Dico tertiò, quod ignorantia Vincibilis crassa, seu supina, excusat ab incurrendis pœnis, seu censuris latis contra præsumentes, vel audentes aliquid facere, ut quandò imponitur pœna sub his, vel similibus verbis: *Qui scienter: qui audacter: Qui temerè: qui malitiosè: qui consulto id fecerit*: dummodò temeritas non sit tam ingens, quæ dolo præsumptioni, *& moraliter*, scientiæ comparetur. Quia, ut ait Tamb. *lib. 1. c. 2. §. 10.* sub illis verbis, lex ad incurrendam pœnam videtur requirere non solum meram transgressionem, sed & contemptum, & contumaciam, quæ certè non adsunt, etsi ignoret crassè, seu supinè. Immo, ut vult dictus Tamb., nec in ignorante affectatè, nisi affectatio sit temeraria, Bon. & alii cum Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 32. à nu. 33.*

12 At verò quando simpliciter imponitur pœna, nempe sub formulis, dictis n. 9. tunc ignorantia crassa, seu supina, non excusat ab incurrenda pœna. Quia sic operans, cum dolo, peccato, & lata culpa, dicitur operari, & ideo in pœnam consentit.

sentit. Sumitur ex cap. *de const. in. 6.* & *lic. 1. ff. de legibus.* Sylv. *ver. Ignorantia q. 5.* Adverte tamen, quod ignorantia minuit gravitatem, quia semper minuit voluntarium, & consequenter, pro rata, culpam.

13 Similitèr neque ab incurrenda censura excusat ignorantia affectata, quamvis imposita sit *scienter, & temerario ausu* peccantibus; Tum quia, ut dictum est, æquiparatur scientiæ, & præsumptioni; Tum etiam quia hæc non minuit, sed potius auget malitiam, cum affectetur ad liberius peccandum; ideoque formalem dolum in se continet, ut habet. Psaltes, *Psal. 35. v. 3. ibi: Noluit intelligere, ut benè ageret.*

14 Sed petes, an sciens aliquid esse prohibitum sub pœna excommunicationis si dum illud agit, non recordetur de tali pœna, excusetur à mortali, & consequenter ab excommunicatione? V. G. Scio Cajum esse excommunicatum vitandum, sed quia actu non venit mihi in mentem, communico cum illo in divinis, celebrando coram ipso missam.

Docent Syl. *v. exc. mm. 5. n. 26. in fin. Cajet. 1. 2. qu. st. 6. art.* 8. apud Graffium *par. 2. de . . . r. lib. 4. cap. 9. n. 37.* non incurrere; quia sic involuntariè, & sine contemptu celebrat.

15 Quæres, an putans censuram esse Episcopo reservatam, illam contrahat, si reservata sit Papæ?

Negant nonnulli, ex eo quia videtur cessare finis Reservationis Papalis, nempè retardandi à delictis timore majoris, & Papalis reservationis; Multi enim, si hoc scirent, non delinquerent. Alii verò tenent, impingere in censuram, ex eo quia, non cessat totalitèr finis reservationis; Nam remanet finis legis, nempè retardandi à delictis enormioribus, etsi censura sit Episcopo reservata; cum semper idem finis sit, sivè lex reservans, sit Papalis, sivè Episcopalis.

QUÆSTIO IV.
De subjecto Reservationis.

NON dantur in hac vita homines exleges; Undè Apost. ad Rom 13. habet: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; ideoque subditi omnes, quamdiu Reservantis jurisdictioni subsunt, *Reservationi* sunt subjecti; Quia ex dictis, Reservatio, est actus jurisdictionis spiritualis respicientis subditos, & sic carentes subditis, ut sunt Titulares, Depositi &c. reservare nequeunt.

CAPUT I.
An impuberes intra Territorium existentes, subsint Reservationi, seu an subjaciant legibus humanis quoad culpam, & pœnam?

APOPHASIS

1 *Subsunt Impuberes statim ac adepti sunt usum rationis legibus humanis quoad culpam; nisi ex aliqua causa excusentur.*

2 *Probabilitèr docent, Impuberes non teneri quoad pœnam; nisi exprimantur, & utantur perfecta ratione; Etsi in sententia tenentium, reservationem non esse pœnalem, sed medicinalem pœnitenti, incurrant casus reservatos, sed non censuram.*

3 *Excipiunt Impuberes in percussione Clerici, quos incurrere volunt excommunicationem, quod non placet Tamb. contrarium docenti.*

1 NON pauci fuere, qui ineptè docuerunt, pueros usque ad annum 14. & puellæ usque ad 12. (in quibus annis incipit pubertas), non teneri legibus humanis, etiam Ecclesiasticis, nequidem quoad culpam. Communiter tamen tenent cum Tamb. *de methodo communionis cap. 6. §. 12. n. 10.* quod pueri statim ac adepti sunt usum rationis, humanis legibus astringantur, nisi pro aliquo tempore aliquâ legitimâ causâ, excusentur (ut in præcepto Jejunii ad quod non tenentur, nisi completo anno 21.; Ex eo quia usque ad illum annum crescunt, & firmantur): Quia pueri, eo ipso, quod usum rationis habent, sunt capaces legis Humanæ, Naturalis, & Divinæ: ut confiteri semel in anno, abstinere à carnibus diebus vetitis, &c.

2 Sed, an subjaceant quoad pœnam, magnoperè controvertitur apud DD. Quidam enim docuere cum Azorio, Vasquez, & Sanchez, *in selectis disp. 51. n. 31.* pueros ante pubertatem non adstringi censuris, & pœnis ab homine latis, sed tantum à Jure communi. Alii cum Sâ, & Fagundez tenent, nullam prorsus pœnam, neq; à Iure, neq; ab homine latâ à pueris incurri. Quia

ri. Quia *in cap. 1. & 2. de delictis puerorum*, ante decimum quartum annum eximuntur simpliciter à pœnis.

Alii demum probabiliter tenent cum hac secunda sententia, non comprehendi, nisi exprimantur. Quia, ex dictis, pœna ordinaria legis, vel præcepti, non ligat impuberes non expressos, *cit. cap. ul. de del. puer.* Sed Reservatio est pœna ordinaria legis, ergo non ligat impuberes, nisi exprimantur. Et etiam quia Superior aliud non exprimens se Iuri conformat: Jure autem impuberes delinquentes, non puniuntur pœna ordinaria, nisi exprimantur, Constitutio Regni *Minorum jura*: Idque à fortiori currit in Reservatione ob censuram; quia cum sit pœna atrox non ligat impuberes, Palud. Gabr. Graf. Nav. Aver. &c. Si verò exprimantur, & utantur perfecta ratione, docent comprehendi. Quia nihil deest, quin lege Reservationis coarctentur subditi impuberes, qui ut sunt potentes delinquere, ita deterreri possūt à delinquendo. Dixi, *& utatur perfecta ratione*; quia si non utantur non subsunt: Cum tunc desit materia Reservationis, nempe peccatum lethale, quod nequit committi à perfecta ratione destitutis.

At Felix Potestas, *in Examine Confessariorum, to. 1. c. 5. n. 3306. &* Tamb. *to. 2. lib. 5. de cas. reser. c. 1. n. 5.* quia tenent Reservationem non *pœnalem*, sed *medicinalem* esse pœnitentibus, & *restrictivam* potestatis Confessariorum: docent, Impuberes non eximi à Reservatione, sed tantum à censuris, Quia, cum per hos, Reservatio sit restrictio jurisdictionis Confessarii; æque est restricta in impuberibus, ac puberibus. Et de facto talis est praxis in his partibus, ut nempe pueri, qui utuntur perfecta ratione si incidant in reservatū, non absolvantur, nisi obtineatur facultas a Superiore: Tamen circa pœnam censuræ reservatis annexam, non ligantur ante pubertatem, nisi exprimantur. Quamvis non sit improbabile, quod non ligentur neque quoad reservationem.

3 Excipiunt percussionem Clerici in *cap. Si quis suadente*. Hanc enim volunt incurri à prædictis pueris ante pubertatē, & si non exprimantur. Quia, ajunt, dicti DD. quod *ex cap. super eo, de sent. excom. & cap. quamvis de sent. excom.* pueri doli capaces sint mittendi ad Episcopum, ut absolvantur à tali excommunicatione percussionis Clerici, Dian. *par. 9. tract. 4. resol. 18.* Licet Tamb. *loc. cit. n. 16.* subtiliter, suo more explicans dictos textus, teneat, n. q. hāc incurrere; Quia, ait: *Dicti text. dicūt, tales percussores non necessariò esse ad Episcopos mittēdos, nec eos incurrisse pœnā excōmunicationis, sed tantū eximi à recursu ad Pontificem, ergo supponuntur non incurrisse excommunicationem Papalem.* Vide pro dicta sententiam omninò citatum Tamb.

CAPUT II.

An Reservans in reservatione comprendatur? & an Vicarius Generalis ligetur reservatione ejus Episcopi, cuius vices gerit?

APOPHASIS.

1 *Lex ex sui ratione duo dicit.*

2 *Superiores non ligantur propria lege vi coactiva? tenentur tamen vi directiva.*

3 *Legislator debet voluntarius non coactus legem implere. At si ex non impletione oriatur scandalum, aut aliud grave inconveniens; tunc ex aliquorum sententia tenetur æquè ac subditi.*

4 *Legifer, quando lex est circa materiam, cujus observantia conditionem legislatoris dedecet, nec vi directiva tenetur.*

5 *Vicarium Generalem ligari reservatione ejus Episcopi, cujus vices gerit probabiliter docent cum Naldo.*

1 Antequam ad resolutionem dubiorū hujus casus deveniamus; Notandum prius ex S. Thoma, quod lex, ex sui ratione, duo habet. Primò, quod sit regula humanorum actuum; Secundò, quod habeat vim coactivam, & ideo habet, quod duplicitèr homo potest esse legi subjectus: uno modo, sicut regulatum regulæ; & hoc modo omnes illi, qui subduntur potestati, subduntur legi à potestate latæ: Secundò dici potest aliquis subjectus legi, sicut coactum cogenti, & sic homines virtuosi, & justi non subduntur legi, sed soli mali. Quod enim est coactū, & violentum, est contrarium voluntati, Voluntas autem bonorum consonat legi, à qua malorum voluntas discordat; & ideo Apost. 1. ad Tim. ait: *Justo non est posita lex.*

Ca Un-

2 Unde resolves, quod Superiores ferentes legem Reservationis, non ligantur propria lege vi coactiva: Cum nullus in seipsum ferre possit condemnationis sententiam, si contra legem agat; nec in proprio facto esse Judex. Lex enim non habet vim coactivam, nisi ex Legislatoris potestate, & sic Legislator dicitur solutus à lege. Reservatio enim est actus jurisdictionis, qui exercetur erga subditos; & cum nemo sit subditus sui ipsius, quia nullus à seipso distinguitur; ideo Superior non potest in seipsum judicium ferre. Tenentur tamen vi directiva, ut capita Reipublicae, reliquis partibus congruere videantur, S. Th. *12. q. 96. art. 5. ad 3.* Laym. *lib. 1. sect. 4. n. 3.* Jura enim & Divina, & Humana clamant (& ratio ipsa suadet) quod caput semper debeat caeteris membris conformari. Constat etiam *ex cap. cum omnes de constit.* ubi dicitur: *Quod quisquis juris in alterum statuit, ipse eodem uti debet*; Et Cato ait: *Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Unde Christus Matth. 23. ver. 3. reprehendit Scribas, & Pharisaeos, cum ait: *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Hinc cap. 2. dist. dicitur: *Justum est Principem legibus obtemperare suis*, & *ex l. digna vox 4. C. de leg. & const. Principum* habetur: *Digna vox est majestate Regnantis, legibus alligatū se Principem profiteri, adeo de authoritate juris nostra pendet authoritas, ut revera majus imperio est submittere principatum, & oraculo praesentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis judicamus.*

3 Infertur ex dictis, quod legislator debet voluntarius, non coactus legem implere. Est autem supra legem, in quantum, si expediens fuerit, potest legem mutare, & in ea dispensare pro loco, & tempore: Ex lege enim naturae debet se conformare Communitati: *Turpis enim omnis pars est, sue universo non congruens, cap. Quae contra 2. dist. 8.* At ex sententia Cardinal. Sfondrati *in Reg. Sacerd. lib. 4. §. 2.* & Anacleti Reiffenstuel. si per accidens sequeretur perturbatio, scandalum, aut aliud grave inconveniens in Communitate, tunc docent, teneri aeque ac subditi; quamvis dictus Card. addat, tunc Superiorem posse secum dispensare.

4 Excipe tamen quando lex esset circa materiam, cujus observantia conditionem Legislatoris dedeceret. V. G. Si Legislator esset Princeps, & lex esset de non portando gladio, quod certe conditionem Principis dedeceret; tunc nec quoad vim *directivam* teneretur.

5 An autem Vicarius Generalis ligetur Reservatione ejus Episcopi, cujus vicem gerit?

Affirmant Naldus *ver. casus nu. 7.* Mazzucchellus *de cas. reser. disp. 1. q. 2. diff. 5 n. 4* Lupus *de cas. reser. par. 2. casu 3. §. 6. n. 37.* Ugol. Floronus & alii. Quia etsi Vicarius generalis sit una, eademque cum Episcopo persona, & faciat cum ipso unum Tribunal; Tamen quando ut privatus delinquit, non reputatur una, eademq. persona cum ipso; ideoque est subjectus Episcopo, ejusdemque legibus, & poenis obnoxius; & consequenter potest ligari Episcopali Reservatione. An autem possit mutare casus ab Episcopo reservatos, & an si dictus Vicarius in reservatum incidat, possit alteri Confessario facultatem delegare, ut ab eo absolvatur, dicetur *disp. 3. q. 2. cap. 4. n. 3. & 4.*

CAPUT III.

De operante ex metu.

APOPHASIS.

1 *Quid sit metus.*
2 *Metus alius est Levis, alius Gravis, seu cadens in virum constantem.*
3 *Metus gravis alius est absolutè, alius respectivè talis.*
4 *Quid requiratur, ut metus dicatur cadere in virum constantem.*
5 *Metus, alius est ab intrinseco, alius ab extrinseco.*
6 *Metus ab extrinseco dupliciter incuti potest, vel Justè, vel Injustè.*
7 *Ut metus excuset à culpa factum illicitum, debet esse majoris mali, quàm sit, quod metus causa suscipitur.*
8 *Lex humana non semper obligat cum periculo vitae, benè tamen aliquando per accidens.*
9 *Regulae pro cognoscenda lege humana quando obliget cum vitae dispendio.*
10 *Operans ex metu cadente in virum cōstantem, probabiliter non subjacet Reservationi tali operationi annexae.*

1 Metus ex Ulpiano in l. 1. ff. *de eo, quod metus causa: est instantis, vel futuri periculi mentis trepidatio.* Metu fit, quod quis declinandi causa

fa mali facit, alioquin non factus.

2 Metus dividitur primò in Levem, qui etiam dicitur *vanus*, & *injustus*, & Gravem, dictum etiam *probabilem*, & *justum*, quia iustè, & meritò aliquis tunc timet. Levis, est quando timetur malum leve, aut grave ex causa levi, aut improbabili, ideoque hoc *panicum*, à Iuristis dicitur cadere in virum inconstantem, seu in personas leves, & meticulosas; ut si quis metu venti omittat audire sacrum in die festivo. Gravis est quando timetur malū grave; ut mors, exilium, mutilatio, enormia verbera, servitus, durus, & longus carcer, damnatio ad triremes, amissio omnium, vel notabilis partis bonorum, moraliter indelebilis Infamia, excommunicatio injusta, ablatio instrumentorum artis, fine quibus non potest victum lucrari, stuprum sibi inferendum &c. & hic metus dicitur cadere in virum constantem.

3 Metus gravis alius est absolutè, alius respectivè talis, absolutè gravis, est ex Lugo disp. 12. n. 144. non præcisè de perdendo magno lucro, sed de incurrendo gravi malo. Respectivè gravis, est de malo, de quo non timeret vir fortis, sed trepidat hic homo, quia senex, quia mulier quia puer.

4 Ideo, ut metus dicatur cadere in virum constantem, seu ut sit gravis. 1. consideranda est qualitas personæ timentis. 2. ut sit de malo respectivè gravi, 3. debet prudenter timeri. 4. quod metum incutiens sit solitus, & potens exequi minas. 5. ut malum illud non possit à timente facilè evitari.

5 Insuper metus alius ab intrinseco oritur, & potest inferri à duplici causa, idest vel ab intrinseca complexione hominis; vel à causa naturali, seu necessaria, seu rationis experte, ut à naufragio, peste &c. Alius est ab extrinseco, idest ab alia causa libera, & extrinseca incussus, puta ab alio homine.

6 Hic metus dupliciter incuti potest, justè, & injustè. Justè, ut si Judex minetur stupratori mortem, vel triremes, nisi ducat in uxorem stupratam. Injustè, si talis metus incutiatur ab alia persona privata, seu à patre, vel fratre puellæ; quia hi non habent jus occidendi, vel damnandi ad triremes stupratorem.

7 Nota ex Laym. *lib. 1. tract. 2. cap. 6.*, quod metus, ut excuset à culpa fa?um aliquod alioquin illicitum, cuius causa existit, oportet, ut sit majoris mali illius, quod metus causa suscipitur, & ideo metus, etiā gravissimi mali, non excusat à veniali; Quia veniale majus malum est omnibus malis.

8 Sed quæres, an lex Reservationis, aliquando obliget etiam cum periculo vitæ? Dico, quod non semper lex humana, qualis est Reservatio, cum vitæ dispendio, obligat: Quia non tam strictè obligat, quàm Divina. Sed hæc non semper ligat cum periculo vitæ; ergo à fortiori nec humana. Minor ostenditur ex facto Davidis, qui ne moreretur fame, comedit panes propositionis, quos solis Sacerdotibus permissum erat edere 1. *Reg.* 12. & *Matth.* 12. Christus apud Phariseos, excusavit discipulos, propter necessitatem in Sabbato, vellentes spicas, quod prohibitum erat; sic integritas confessionis sacramentalis, est Jure Divino, & tamen non semper obligat cum notabili detrimento, & ita de aliis.

Tamen lex humana aliquando per accidens, nempe ratione alterius legis juris Naturalis, vel Divini concurrentis: vel si observatio ejus sit necessaria ad bonum commune conservandum, potest cum dispendio vitæ obligare.

9 Regulæ pro dignoscendo an lex humana obliget cum periculo vitæ, sunt. Prima si Legis observantia prudenter iudicetur esse majus bonum, quàm propriæ vitæ conservatio: Altera esse potest, si transgressio legis humanæ, cum metu mortis, alicui in contemptum Legislatoris incutiatur; Exemplum est in Eleazaro. 2. *Machab.* 6., qui maluit mori, quàm carnes porcinas edere. Majoris enim momenti est defensio fidei, & Ecclesiasticæ potestatis, quàm propriæ vitæ conservatio. Vide dicenda *disp.* 3. *q.* 4. *cap.* 7.

10 An operans ex metu cadente in virum constantem, subjaciat casuum Reservationi, tali operationi annexæ?

Non subjacere docent Graf. *de cas. reser lib.* 1. *c.* 13. *n.* 33. cum aliis cit. à Tamb. *de cas reser. c.* 3. *n.* 2. Quia sicuti excusat ab excommunicatione; ita à Reservatione: Tū quia sumus in odiosis. Et etiam quia, quæ fiunt ex metu, licet absolutè voluntaria sint; sunt tamen aliquo modo involuntaria, Laym.

CA-

CAPUT IV.

An Delinquens comprehendatur in Reservatione sui Ordinarii, si extra Diœcesin delinquat?

APOPHASIS.

1 *Jurisdictio circumscribitur loco, nempe intra fines Territorii.*

2 *Delinquentem extra diœcesim non incurrere Reservationem sui Ordinarii, docent innumeri cum Aversa; Immò ex Antonio à Sp. S. nec si peccatum sit reservatum, etiam ubi delinquit. At contrarium tenet alii. cum Dicastillo.*

1 Quia Jurisdictio, loco circumscribitur, ut activitas naturalis suâ sphærâ, c. *ut animarum. 2. ibi: statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint sententia excommunicationis promulgatur, subditi ejus, furtum extra ipsius Diœcesim committentes, minimè ligari noscuntur; Cum extra territorium jus dicenti, non parcatur impunè.* Causa namque legalis, imitatur causam naturalem *l. adoptio ff. de adoptionibus*; & sic, ut causa naturalis extrà suam sphæram non agit; ita nec legalis, ut est Jus jurisdictionale. Sphæra autem Jurisdictionis, sunt fines territorii, intra quos agit in non exemptos, & extra quos fines agere nequit, *c. fin. de constit. c. in vit. de offic. leg. l. finali, ff. de Jurisdictione omnium Judicum, l. pupillo, §. territorium, ff. de ver. sig.* & sic intra, non extra territorium, pro tribunali, residere valet, cap. Episcopus de off. c. ord. & subditi extrà existentes, ut docet Suarez, manent subditi habitualiter tantum, non autem actualiter.

2 Delinquentem extra Diœcesim, non comprehendi Reservatione sui Ordinarii docent Sà, Aver. *de Penit. sect. 17. quæst. 3.* Quaranta *de cas. reserv. lect. 2. cap. 4. &c.* Quia ex cap. ut animarum de constit. in 6. Jurisdictio Ordinarii non afficit subditos extra Sphæram territorii existentes; & exemptio esset impedimentum ratione cujus, nequit Jurisdictio ligare, ut ignis nequit comburere lignum in aqua intra sphæram existens, ob impedimentum; Sed quia Jurisdictio Episcopi, non se extendit ad locum exemptum: restat, quod committens reservatum in loco exempto, non ligetur Reservationis lege; Ideoque posse absolvi à quocumque confessario in Diœcesi, ubi est reservatum, docens Palud. D. Antonius, Cajet. Suarezq. Quia cessat finis Reservationis deterrendi à delinquendo, cum Reservatio in loco delicti, non extet.

Nec officit (aiunt), confessarium debere judicare secundum leges sui Territorii, Cum respondeant, hoc debere intelligi de re, quæ tali lege ligatur: Sic de contractu facto Roccæ Monfinæ, si sit judicandum Suessæ, non judicatur juxtà leges Suessanas, sed Roccolanas. Immo Antonius à Spir. S. par. 1. *Directorii* tract. 5. disp. 14. n. 927. citans pro se quatuor Doctores, docet nec incurrere, & si peccatum, sit etiam in Diœcesi, ubi delinquit, reservatum. Quia ex cit. cap *ut animarum*, non ligatur Reservatione suæ patriæ, existens extra fines illius; nec reservatione loci, ubi delinquit. Quia ibi non est subditus, & leges ligant tantum subditos.

Sed Dicastillus *de Penitentia disp. 11. à num. 244.* cum pluribus aliis docent, incurrere: Quia ad bonum commune interest, ut subditi ubicumque sint, abstineant ab hujusmodi criminibus; adeoque post reditum in Diœcesim suam, non possunt absolvi ab inferiori confessario. Quia illi est ablata jurisdictio absolvẽdi; secus verò dicendũ de cõfessario loci, ubi non est reservatum, Croix *de Penit. n. 1632.* Bon. *de abs. l. à reservatis* §. 2. n. 11.

CAPUT V.

An contrahens reservatum in suo domicilio, pergens extra, ubi est etiam reservatum, valeat absolvi?

APOPHASIS.

1 *Contrahens reservatum in suo domicilio non potest absolvi ab eo extra domicilium, si sit etiam ibi reservatum, contra multos cum Arriaga; Secus si ibi non sit reservatum, modò non fiat in fraudem Reservationis.*

2 *Contrahens reservatum in domicilio, potest absolvi extra, ubi non est reservatum, etiam si data opera id faciat.*

3 *Si casus habet annexam censuram, secundum Vingadht, non potest penitens absolvi*

solvi in aliena Diœcesi, ubi non est reservatus. At contrarium, est potius tenendū.

4 *Quæ sit differentia inter casus cum censura, & sine censura reservatos?*

1 AFfirmant contra Arriagam, & Aversam, Pellizarius, Pasqualigus, Sanchez, Ant. à Spr. S. Delb. Pont Vasq. Hen. Cajet. &c. posse absolvi cōtrahentem reservatum in suo domicilio, extra, ubi etiam est reservatum. Quia existens extra Territoriū, non ligatur lege sui Territorii, & Reservatio loci, ad quā pervenit, nō obligat nisi subditos, qualis ipse non est.

Sed contrarium est verum; Tum quia confessarius tunc non habet Jurisdictionē: Tum quia ità declaravit Clemens. X. *in bulla mox citanda*: Tum etiam quia, judicandus est juxta leges loci, ubi cōfitetur, Croix *de Ministro Penit. n.* 1631. Secus dicendum est, si in loco, quò pergit, non sit reservatum; at non à confessario Episcopi reservantis, ob carentiam facultatis circa illud reservatum peccatum. Quia, ut constat ex Bulla Eugenii IV. Unusquisq. potest confiteri, & satisfacere præcepto, etiā extra Diœcesim, ubi invenitur; ne differat converti ad Dominum, de qua declaratione, vide Aversam de Pœn. quæst. 16. sect. 4. concl. 4. & etiam, quia iter agens eo ipso, quod in aliena Diœcesi versatur, potest confiteri, & absolvi more incolarum illius Diœceseos, & ita se gerere, ac si esset subditus illius Episcopi. Nec Confessarius unius Diœcesis tenetur scire casus reservatos alienæ: Sed debet judicare juxta leges loci, ut ex Declaratione Clem. X. edita anno 1670. quę incipit: *Superna magni patris familias*, qui tantum excipit eos, qui in fraudem Reservationis id faciunt. Quia, etsi quis possit uti jure suo: tamen non habet ius utendi in fraudem legis, Croix supracit. Bonacin. *de absol. ... r. 4* 2. n. 9. Felix Potestas &c.

2 Si data opera id faciat, etiam potest absolvi. Quia extra Territorium existens etiam data opera, est extra Jurisdictionem & sic nequit ligari Lege Jurisdictionali, quæ ex dictis cap. antecedenti, Territorio circumscribitur, cap. fin. *de constit.* in 6. Et pergere data opera extra Diœcesim, ut absolvatur, non habet malum finem; Nam non pergit ad peccandum, sed ut à peccato se liberet, quæ est voluntas Christi Domini, cui, voluntas humana, refragari non debet. Nec dicta fraus attenditur in foro conscientiæ, sed in foro fori.

Nec adest fraus illicita, vel dolus malus, sed utitur jure suo; & nullus censetur dolo facere id, in quo jure suo; utitur, ex reg. 55. ff. *de reg. jur.* Nec illud præceptum prohibet exire à suo Territorio.

3 Si verò sit excommunicatio reservata, seu casus habeat annexam censuram; tunc docet Vingadht *de cas. reser. quæsito* 3. non posse pœnitentem in alia Diœcesi absolvi: *Quia* (habet ipse) *excommunicatio habet rationem pœnæ afficientis ipsum pœnitentem*: quæ pœna non potest tolli nisi ab eo, qui eam inflixit, aliter fieret Reservanti præjudicium, & ideo jure communi prohibetur, excommunicationem ab uno Episcopo latam, ab alio posse absolvi, si sit reservata, liquet ex cap. *Pastoralis*, §. *præterea*, & ex can. 47. Conc. Nicæni Arabici, ubi hæc habet: *Nullus Episcopus absolvat, quem alius ligavit*, & c. verbum dist. 1. de pœnit. dicitur: *Par est jus solvendi, & ligandi*: Tamen consuetudo aliter se habet circa casus reservatos, quibus Episcopi addunt censuram, non ut propriè afficiat ipsum pœnitentem, sed ut reservatio sit gravior, & difficilior, ut alibi dictum est. Ed ideo contrarium circa censurā reservationi annexā; meritò est tenendum Non nego tamen quod quando quis per edictum fuerit nominatim denunciatus, non potest absolvi. Quia censura ab homine per specialem sententiam lata, relaxāda est ab eo, qui eam tulit; & id ne ordo judicandi in foro externo pertubetur; Excipe necessitatis casum.

4 Et hæc est differentia inter casus cum, & sine censura reservatos. Quia Reservatio sine censura, non est pœna nisi impropriè, sive indirecte, seu occasionaliter tantum sumpta, nempe ex parte pœnitentium, ob difficultatem inveniendi confessarium, qui possit absolvi à reservatis, imo est tantum quædam prohibitio facta solum confessariis, Episcopo reservanti subjectis, ne ab illis absolvant; non verò pœnitentibus, ne alibi absolutionem recipiant.

CAPUT VI.

An committens reservatum in loco exempto intra propriæ Diœcesis fines existente, possit à quocumque Confessario suæ Diœceseos absolvi?

APO.

APOPHASIS.

1 *Duplex locus exemptus datur; propriè, & per se, & impropriè, & per accidens*

2 *Incidens in reservatum in loco per se exempto, potest in eodem absolvi, dummodo non sit reservatum Episcopo loci exempti.*

3 *Committens reservatum in loco exempto per accidens, non potest absolvi, neque a Confessario loci exempti; Quamvis oppositum doceant aliqui.*

1 Ante dubii responsionem, notemus oportet, quod duplex datur locus exemptus; Unus propriè, & per se ut sunt Parochiæ quædam intra fines alicujus Diœcesis sitæ, sed jurisdictioni alicujus finitimi Episcopi subjectæ, de quibus in cap. de divisione Diœcesium. Alter impropriè, & per accidens, ut sunt Monasteria Regularium intra Diœcesim sita, quæ licet à jurisdictione Episcopi sint exempta, eorum tamen exemptio non per se, & ratione loci, sed per accidens, ratione scilicet Religiosorum ibi degentium, qui ex privilegio sunt exempti, sicuti constat ex cap. *cum Episc. de offic. ordinandorum in 6.* His notatis.

2 Dico primo, quod qui intra Diœcesim, sed in loco exempto prioris generis, in reservatum incidit, potest in eodem loco, Incolarum more, & ex consuetudine ab Eugenio IV. approbata, confiteri, & à Confessario inferiori absolvi, dummodo tamen, inibi tale delictum non sit etiam reservatum Episcopo loci exempti.

3 Dico secondo, quod si pœnitens in loco exempto posterioris generis, in Monasteriis Regularium, & Monialium exemptarum commisit delictum, cui annexa est censura, vel Episcopalis reservatio; tunc non potest absolvi nec à Confessario dicti loci exempti. Quia illa Monasteria à Jurisdictione Episcopi exempta, dicuntur exempta ratione personarum tantum, hoc est Religiosorum ibi degentium non ratione Territorii. Nam si Religiosi Monasterium deserant, & in aliud causa habitandi se recipiant, Monasterium ab ipsis recens habitatum, efficitur exemptum; derelictum verò, & in ipso habitantes, remanent subjecti jurisdictioni Episcopi intra cujus Diœcesim existunt; ut est Monasterium SS. Annunciatæ Carmelitarum hujus Terræ Roccæ Monfinæ, anno 1653. derelictum à Carmelitis, (vide Cl. Ferrotta lib. 3. Sed. Aurunc. cap. 4.) quod modò est subjectum nostro Theanensi Episcopo & ideo etiam Episcopus existens in his Monasteriis (ut resedit jam per totam Æstatem noster providissimus Antistes D. Dominicus Antonius Cyrillus in Monasterio S. Mariæ Lattanorum ordinis Franciscanorum, anno 1727.) dicitur residere in sua Diœcesi, & alternativa gaudet, si eam habet. Gomen, Suarez, Conin. Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 11. num. 5.*

Non desunt tamen innumeri alii apud Felicem Potestatem, pag. mihi 528. à n. 217. qui negant ligari; Quia, ait laudatus Auctor, *non solum personæ, sed etiā ipsa loca Regularium, sunt exempta præter quosdam casus in Jure expressos, in quibus possunt Episcopi tamquam Delegati Sedis Apostolicæ procedere*, Cum locus licet sit intra Territorium Episcopi, tamen est formaliter ab ejus Jurisdictione, ex privilegio Sedis Apostolicæ exemptus, dummodo ibi habitent. Tamen mihi nullibi dubium est, non posse ab ipsis Regularibus. Quia Regulares, quoad confessiones sæcularium, subduntur Episcopis, & ab ipsis restrictam potestatem habent, quoad reservata, ut alii Confessarii inferiores.

CAPUT VII.

De Vagis, & Peregrinis.

APOPHASIS.

1 *Qui dicantur vagi, quique peregrini?*

2 *Vagi, & peregrini ligantur non solum reservatione casuum Papalium, sed etiam ejus Episcopi, in cujus Diœcesi confitentur.*

3 *Quis sit proprius vagorum Sacerdos, seu Parochus.*

4 *Peregrini neque possunt absolvi à reservatis Episcopo loci, in quo confitentur, etiam si casus illi, Episcopo proprii domicilii non sint reservati.*

5 *Quanta temporis mora requiratur, ut vagi, & peregrini teneantur ad legē alicujus loci.*

1 Vagi dicuntur, qui nullibi certam sedem, & domicilium habent, sed hinc inde vagantur, carentes omne, tam originis, quàm habitationis domicilio, de quorum numero veniunt etiam ii, qui primum domicilium relinquentes navigant, vel interfaciunt, quærentes ubi se collocent, docent Sanchez lib. 3. *de matrim.*

trim. disp. 28. *n.* 4. Reginaldus &c. Peregrini verò secundum naturalem vocis significationem, dicuntur, qui à sua patria peregrè proficiscuntur, quàvis secundum communem acceptionem significentur illi, qui extra suam patriã, devotionis gratiâ, Romam, Ædem Laurentanã, ad Compostellam &c. iter faciunt.

2 Vagi, & Peregrini, juxtà sententiã Ugolini *de offic. & potest. Ep. par.* 2. *cap.* 39. *n.* 4. cum Sancio, non ligantur reservatione casuum summo Pontifici reservatorum, si violent leges Juris communis, & Ecclesiæ Universalis. Quod non ligentur casuum reservatione Ordinario loci reservatorum, probat primò; quia Vagi non sunt parochiani, & ideo si in casum Episcopo reservatum incidant, ejus absolutio non est Episcopo reservata. 2. quia Reservatio fit ab Episcopo non nisi in bonum suæ Diœcesis; ergo non nisi in peccata suorum Diœcesanorum. 3. quia confessarius viatoris, absolvit per Jurisdictionem ab Episcopo Viatoris ex recepta consuetudine delegatam, Facund. Stox &c.

Sed resolvendum est, vagos, & peregrinos ligari, non solum casibus summo Pontifici reservatis; sed etiam ejus Episcopi, in cujus Diœcesi confitentur. Ratio est, quia licet Episcopi reservatio, nihil operetur circa vagos pœnitentes; operatur tamen circa confessarios Episcopo reservanti subjectos, quibus ita limitat, ac ligat jurisdictionem, ut illos à tali delicto absolvere non possint. Quod impedimentum non provenit ex defectu jurisdictionis, quam ligatam, & impeditam Confessarii habēt pro eo tempore, quo vagorum confessiones excipiunt: ergo ligantur Reservatione Episcopali illius Diœcesis, qui non habent facultatem absolvendi à reservatis. Nam quilibet judicari debet juxtà leges loci, in quo reperitur, ut docent communiter cum Bon. *de pœnit. disp.* 5. *quæst.* 7. *punt.* 5. §. 2. *n.* 11. Laym. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 10. Immo & æquitas, & Reipublicæ bonum postulat, quod peregrini, & vagi, ubi inveniuntur, quoad morum directionem, & correctionem, subsint alicui capiti: quia alias essent exleges, & darentur membra alicui capiti non subjecta; sed tale caput pro ipsis convenienter assignari non potest, quàm caput illius loci, in quo morantur, ergo &c.

Confirmatur, quia, qui fruitur commodo, & incommodum perferre debet: Atqui vagi fruuntur commodis; itaut si habeant peccata Episcopo loci, in quo ea commiserunt reservata possunt à quolibet Confessario illius Diœcesis, in qua eadem confitentur absolvi (si tamen ibi non sint reservata), De Lugo, Bon. Laym. Flor. & Gambarupta *de cas. reserv. cap.* 2. *n.* 35. *& g* &c.

3 Adde, quod secundum communiorem sententiam, proprius vagorum, & peregrinorum, sacerdos sit Parochus ille, in cujus Parochia pro tēpore versantur; Quia cum indigent Sacramentis, Parochus loci, ex officio tenetur illis ministrare; imo potest illos ad implendum annuæ confessionis, præceptũ compellere. Quia actualis habitatio, pro hujusmodi succedit loco domicilii; idcirco obstringuntur casibus illius Episcopi, in cujus Diœcesi confitentur.

Unde patet responsio ad Ugolini sententiam; Etenim vagi licet non sint parochiani domicilii, sunt tamen parochiani actualis habitationis, Suar. Vasq. Bass. *ver. confessarius*, n. 15. Tamen Ugolini sententia non omnino improbabilis est.

4 Sed, an peregrini, habentes casus reservatos Episcopo loci, in quo confitentur, possint absolvi à quocunque confessario, si casus illi Episcopo proprii domicilii nõ sint reservati, apposite queritur?

Affirmativam sententiam defendunt Fag. *in secundo Ecclesiæ præcepto, lib.* 8. *n.* 27. Graff. Bellochius, Joseph. de Januario *de cas. reser.* 8. *n.* 1. Horum ratio est, tum quia peregrinus, sicuti non incurrit censuram latam ab Episcopo loci, in quo cõfitetur, quando peccavit extra ejus Diœcesim: ita neque in reservationẽ; quæ cum habeat rationem pœnæ, afficere debet tantum subditos, non peregrinos. Tum quia Reservatio est actus jurisdictionis, se extendens tantum circa subditos.

Sed Pas. De Lugo, Bon. Suar. Laym. & Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *quæst.* 2. *n.* 10. negativam sententiam viriliter sustinent. Ratio est & quia quilibet judicãdus juxta leges, & consuetudines loci, in quo reperitur; Et quia in foro Sacramentali pœnitens judicari debet secundum conditionem delictorum, quæ confitetur, & etiam absolvi juxta jurisdictionẽ, quã obtinet Confessarius pro tempore, quo pœnitentis confessionẽ audit. Cum ergo, tunc temporis, respectu reservatorum, ligatam,

& impeditam jurisdictionem habeat;ideo neminem ab iis directè extra mortis articulum, absolvere potest. Et hanc sententiam roborant,dicentes circa hoc extare decretum Cong. 19. Novemberis 1616. quod irritam decernit,in tali casu, absolutionem.

Rationes primæ sententiæ solvuntur à Josepho Cabrino,in *Elucidario casuum* par.1.resol.22.circa finem. Nam ad primã rationem habet, quod ideo non incurrit censuram;quia censura lata per statutum immediatè afficit Territorium, illique cohæret;atque id circo neminem ligat extra Territorium peccantẽ,ut docet Laym *lib.1.tract.5. cap.4. n. 7.* Reservatio verò afficit confessarios,quibus adimit, vel limitat jurisdictionem, ut non possint absolvere, tali crimine obstrictum.

Ad secundam rationem cõcedit,quod Reservatio fit actus jurisdictionis;sed talis actus nihil operatur circa penitentes, sed circa Confessarios tantum, quibus limitat jurisdictionem.Liquet,quia,si diœcesanus, commisso crimine reservato in Diœcesi,deinde se trãsferat ad aliam Diœcesim, ubi tale delictum non est reservatum,potest à quocumque Confessario absolvi;quod non fieret, si reservatio Episcopi aliquod vinculum afferret Diœcesano peccanti,

Addit, quod cum jurisdictio in peregrinum & detur ab Episcopo limitata, & ab ejus voluntate dependeat,non censetur postea,necessitatis casum ampliare,ex sola peregrini conditione.

5 Demum pro majori intelligentia,& conscientiarum quiete,nota,quod ut vagi, & peregrini incurrant reservationem, requiritur,ut tantum temporis morentur in aliquo loco,in quo est aliquod delictũ reservatum quantũ requiritur ad observantiam illorum præceptorum, ejusdem loci quorum trangressio,V.G.est casus reservatus: Ut si in aliquo loco celebretur festum de præcepto,vel ex aliqua consuetudine sit observandum aliquod jejuniũ, sic ut vagi,aut peregrini teneãtur ad audiendam missam, & ad se abstinendum ab opere servili,vel a cibis prohibitis in die jejunii, requiritur, ut sint ibi toto mane respectu festi,ut teneantur audire missam vel toto die, respectu jejunii, sicque discurras de aliis similibus præceptis.

CAPUT VIII.

De Novitiis, & Religiosis S. Joannis militaris,& aliorum ordinum.

APOPHASIS.

1 *Novitii incidentes in reservatum Episcopi loci,sive ante,sive post ingressum in Religionem, non possunt per confessarium sæcularem communem absolvi, tamen possunt per quemcumque à suo Prælato deputatum.*

2 *Novitii pro reservatis Religionis non possunt absolvi, nec à simplici confessari sæculari,nec regulari.*

3 *An autem Novitii possint absolvi à reservatis Religionis à confessariis sive sæcularibus,sive regularibus, quibus Episcopus facultatem absolvendi suos subditos dederit,controvertitur inter Doctores.*

4 *Probabiliter Novitii subjacent casibus in Religione reservatis.*

5 *Religiosi sancti Joannis militaris, non subsunt casibus Ordinarii, sicuti neque alii.*

6 *Circa electionem confessarii, quia dubium est, temeri potest, quod quando sunt extra Conventum, non possunt, seu ussi merent in suo clausto.*

1 Novitii,si inciderint in aliquem casum Episcopo loci reservatum sive ante,sive post ingressum in Religionem,probabiliter non possunt absolvi per communem confessarium sæcularem, nisi prius obtenta facultate à suo Episcopo. Quia talis confessarius habet jurisdictionem limitatam.At possunt absolvi per quamcumque simplicem confessarium à suo Præsato deputatum; Quia in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum,& gaudẽt omnibus privilegiis suæ Religionis propter communẽ vitam, quæ discit statũ perfectionis.Unde sicuti professi possunt absolvi per simplicem confessarium Religionis, ita etiam Novitii, Tamb.de cas.reser.Henr.Card. Suarez.de Religione *to.4.lib.2.cap. 17.n.11.*

2 Pro casibus verò reservatis in Religione,non possunt absolvi,nec à simplici confessario sæculari, nec regulari absque speciali facultate superioris Religionis: Quia ambo limitatam habet facultatem.

3 An autem possint à reservatis Religionis à confessariis sive sæcularibus,sive regu-

regularibus, quibus non superior regularis, sed Episcopus jurisdictionem, & approbationem absolvēdi suos subditos dederit? mox aperitur. Quare.

Duplex apud Tamb. de cas. reser. cap. 3. à n. 9. est Doctorum sententia. Alii enim negant, posse absolvi: Quia per ingressum in Religionem Novitius quasi mutavit domicilium, relinquens territorium Episcopi, cui amplius non est subditus; & ut nequeunt ab eo judicari in foro externo ita nec absolvi in foro interno, Cord. Laym. lib. 4. tract. 6. cap. 4. n. 4. Sarez &c.

Alii verò partem affirmativam tuentur. Quia quamvis Novitii sint exempti à jurisdictione Episcopi propter privilegia Religionis, tamen in odiosis non veniunt nomine religiosorum; Sed quia odiosum est ip. s, non posse absolvi ab Episcopo, jam poterunt ab ipso absolvi; Et novitio licitum est acceptare, quod sibi favet, ob privilegium exemptionis, & respuere, quod sibi nocet, Hern. La Crux Boss, Aver. Barb. Dian. &c.

4 Immo juxtà sententiam Ugol. Sà, Graff. Dian. Leand. Mazzuch. Homob. Azor. to. 1. lib. 12. cap. 2. quest. 10. Felicis Potestatis &c. Novitii non subjacent casibus in Religione reservatis. Quia in odiosis, ut est Reservatio, non veniunt nomine Religiosorum, nec sunt pars communitatis, cum non perpetuò ibi manendi sed experiendi animum habeant, an manere velint? & ideo possunt absolvi a reservatis in Religione à quocumque Confessario etiam sæculari.

Contrarium tamen tenent Pirinus, Cord. Aver. Dian. par. 5. tract. 9. resol. 66. Tamb. de Jure Abb. lib. 1. quest. 2. Laym. lib. 4. tract. 5. cap. 4. n. 4. Quia Novitii pro eo tempore sunt commissi jurisdictioni Religionis, ideoque censentur mutare domicilium, & territorium; & consequenter ligari reservatione lata à superiore Monasterii.

5 An Religiosi S. Joannis militaria viventes domi, subsint casibus Episcopi? & an valeant, sicuti cæteri Religiosi, eligere confessarium, cui fateantur?

Quoad primum dubium, dico, quòd non subsunt, quia ut cæteri religiosi, non sunt comprehensi sub jurisdictione Episcopali, cum non sint Episcoporum subditi. Circa verò alios ordines militares S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, Velleris aurei &c. supposito, quod sint veri Religiosi, eadem modo discurras, Tamb. lib. 5. de Pœnit. cap. 5. num. 20.

6 Circa verò electionem confessariorum, non posse, docet Diana, & Aver. Quia ita fert usus, ut confiteantur confessario approbato ab Episcopo. Sed complures alii affirmant; Quia prædicti Religiosi non debent esse deteriores, ac cæteri regulares. Sed quia iis etiam manet sub Judice; idcirco pro ea dirimenda, attendenda sunt Statuta, & privilegia Religionis. Tamen quia hi milites Hierosolimitani S. Joannis, magna libertate vivunt, & non modico tēpore solent vivere extra conventū, hoc est extra Melitam; ideo dum sunt extra illam practicè potest teneri sententia Aversa: Quando verò sunt in suo claustro, eorum Confessarii non indigent, nisi licentia sui superioris; Quia revera sunt Religiosi.

CAPUT IX.

De Religiosis, & quæ conceduntur ipsis iter agentibus, & peregrinantibus, ubi de Monialibus.

APOPHASIS.

1 *Religiosi non afficiuntur casibus Episcopi, sed tantum Papæ; dummodo ex privilegio non concedat, ut etiam à sibi reservatis absolvantur.*

2 *Undecim tantum casus, Regulares reservare possunt.*

3 *Solet Religiosis peregrinantibus concedi, ut si non habeant Sacerdotes proprii ordinis, possint confiteri Sacerdoti sæculari, qui an debeat esse à suo Episcopo approbatus, controvertitur.*

4 *Probabiliter etiam possunt absolvi à reservatis commissis in Monasterio à quolibet confessario, sive sæculari, sive regulari.*

5 *In transitu per aliud Monasterium, valent etiam absolvi ab illius Superiore.*

6 *Præcisa autem peregrinatione nequit Religiosus, nec à reservatis, nec à nō reservatis extra suum Monasterium confiteri.*

7 *Moniales, sive subditæ, sive exemptæ à Jurisdictione Episcopi subjacent casibus Episcopalibus.*

8 *Hodie Ordinarii possunt non solùm reserva-*

servare casus ad clausuram spectantes, sed etiam alios.

9 *Reservatio facta pro Monialibus non comprehendit novitias.*

1 Religiosi non afficiuntur casibus ab Episcopo reservatis, quamvis habeant domicilium in Diœcesi Episcoporum; Quia sunt exempti à sua jurisdictione; at subduntur casibus Summo Pontifici reservatis. Quia non fuerunt liberati ab universali lege, à Summo Pontifice, sicuti à lege Episcoporum. Quamvis juxta tenorem privilegiorum, soleat concedere Pontifex, ut à casibus ipsi reservatis, possint absolvi à suis Superioribus.

2 Undecim tantum casus, Regulares reservare possunt, ut patet ex bulla Clem VIII. 26. Maii 1592. confirmata ab Urb. VIII. ... 26. Casus enim, qui reservantur in dicta Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Sanctissimus Dominus noster*, vide apud Aversam, *de Pœnit. q. 17. sect. 1.* Tab. *de Pœnit. de casib. reser. lib. 5. c. 7. §. 2*

3 Solet Religiosis im peregrinatione, sive ex tacita, sive expressa licentia suorum Superiorum, concedi, ut si non habeant Sacerdotes, proprii Ordinis, possint confiteri Sacerdoti sæculari. Sed

Modò dubitatur primò, an talis Confessarius sæcularis debeat esse ab Episcopo approbatus? Secundò, an valeant absolvi à reservatis sui Superioris, commissis in Monasterio?

Circa primum dubium; necesse esse, cõfessarium sæcularem esse ab Episcopo suo approbatum, docent aliqui cum Vasquez sed Suarez *to. 4. d. Religione tract. 8. lib. 2 cap. 17.* probabiliter tenet, non esse necesse, esse ab Episcopo approbatum. Quia Trid. requirit in Sacerdote approbationẽ Episcopi pro solis sæcularibus, non pro Religiosis. Nec ad hoc restringuntur à suis Superioribus; ergo nec per nos restringi debent. Secus si ab ipsis restringatur.

4 Circa secundum, affirmant Diana, & Aversa *de pœnit. q. 16. sect. 3.* posse absolvi à sæculari confessario Religiosos iter agentes à reservatis commissis in Monasterio, si careãt Confessario sui ordinis. Imò Bord. *to. 2. res. 34. n. 9.* extendit privilegium eligendi simplicem Sacerdotem in cõfessarium, semper ac adest aliqua necessitas, puta suscipiendi ordines, vel celebrãdi, & deficit Confessarius sui ordinis. Vide Peregrinum, *in compendio privilegiorum verbo: Absolutio quoad Fratres §. 2.* Nec tenentur postea se sistere Superiori, nisi eis sit restrictum.

5 Rursus in transitu per aliud Monasterium sui ordinis, valent absolvi ab illius superiore. Quia jurisdictio sui Superioris, loco etiam est circumscripta, nec ad aliud monasterium pertingit.

6 Præcisis autem peregrinationibus, & hospitiis, nequit Religiosus sine speciali licentia confiteri neque reservata, neque non, extra suum monasterium, cujus est pars, & si sit ejusdem ordinis, ut docet Lezana regul. *to. 1. c. 18. n. 27.*

7 Circa verò Moniales, quarum aliquæ sunt Episcopis subditæ, aliquæ verò sunt exemptæ à Jurisdictione Episcopi, & subditæ Prælatis religiosorum exemptorum; Subditas Episcopis, subjacere casibus Episcopo reservatis, nullibi dubiũ est? Quoad exemptas, quamvis Jure antiquo approbatio confessariorum spectabat ad proprios earum Prælatos: Hodie tamen, ex constit. Greg. XV. edita nonis Febr. 1622., quæ incipit: *Inscrutabili*, etiam hæ non alios sacerdotes, quam ab Episcopo approbatos habere possunt in confessarios, quos approbant eodem modo, quàm alios, nempè, ut non absolvant à reservatis; Ergo si moniales exemptæ habeant aliquod reservatum, non possunt à dictis confessariis absolvi, cum non habeant facultatem in reservata; ergo probabiliter sequitur, quod dictæ Moniales exemptæ, subjaceant reservationi Episcoporum.

8 Sicque hodie Ordinarii non solum possunt reservare casus ad clausuram spectantes, sed etiam, ut delegati sedis Apostolicæ, alios casus expressos in dicta Bulla; *Inscrutabili*, Croix Vingadht, & alii.

9 At Reservatio facta pro Monialibus, non comprehendit Novitias; Quia in odiosis, non veniunt nomine Monialium; & à fortiori neque puellas Sæculares, quæ non sunt Moniales; quæque dicuntur *Educandæ*.

QUÆSTIO V.
De Causa Materiali, seu Materia Reservationis.

Quamvis materia legis sint actus humani, quos illa præcipit, vel prohibet, tamen materia Reservationis,

nis, vel est censura supponens peccatum, vel peccatum ipsum; De censuris nihil dicemus, sed tantum de peccato: Ideo sit

CAPUT I.

Quale peccatum possit reservari?

APOPHASIS.

1 *Peccatum capax Reservationis, debet esse lethale, non veniale.*
2 *Mortalia certa, & non alias legitimè absoluta sunt materia Reservationis.*
3 *Non omnia mortalia possunt reservari*
4 *Probabiliter nec mortalia interna, sunt materia Reservationis.*
5 *Non contrahit Reservationem aliquis; si malitia externa sit levis, licet interna sit gravis*
6 *Peccatum ad hoc ut sit materia Reservationis, debet esse malum externum, externè consummatum, & materialiter grave externè.*
7 *Quando peccatum internum dicatur prodire in actum externum. Unde inferuntur tres illationes.*
8 *Peccata iam confessa, non sunt materia Reservationis, nec reservata confessa, si pœnitens velit ea iterum confiteri.*
9 *Nec iuxta Gobat possunt frequentes lapsus reservari.*
10 *Prælati debent reservare paucissima, & graviora crimina.*
11 *In reservandis casibus contra Castitatem maxima cum prudentia incedendum.*
12 *In tota Diœcesi, potissimum in locis remotis à Cathedrali, debent Episcopi constituere Pœnitentiarios.*

1 PEccatum Reservationis capax, debet esse lethale, & tale, ut magis restringatur intra propriam significationem. Sumus enim in pœnalibus, & odiosis intra propriam significationem restringendis, cap. *in pœnis*, cap. *odia de reg. Iur. in 6. l. interpretatione, ff. de pœnis*.

Nec cujusvis generis peccata reservari possunt, licet non sit improbabilis sentẽtia Mazzuch., quod spectata absoluta Ecclesiæ potestate, etiam venialia, reservari possint. Tamen verius est contrarium. Tũ quia ad confessionem venialium, nemo tenetur, nec unquam confessio venialium ab Ecclesia fuit præcepta; cũ sit onus intolerabile reservare venialia, in quibus quotidie etiam cadit Justus; & potestas à Christo data est in ædificationem, ad salutem Fidelium, & ad publicum Ecclesiæ bonum; ergo non ad ea, quæ non expediunt, nec ad intolerabilia, quæ parant, nõ arcent præcipitia; Tum quia Reservatio est pœna gravis, & consequenter supponit culpam gravem: pœna enim debet esse æqualis culpæ. Tum demum quia in venialibus cessat finis Reservationis, qui est arcere à delinquendo timore difficultatis absolutionis, & tunc teneremur venialia fateri, quod intolerabile esset. Imo finis reservationis cessaret contrariè: quia fortasse non peterent absolutionem, si reservatione difficilis redderetur absolutio, ut lacrymabili comprobatur perditorum experimento. Et ut docet Lupus de *cas. reser. par. 1. dist. 1. diff. 2. n. 2.* adest decretum Congr. quod non possint reservari venialia; de quo, quia non constat authenticè, non est improbabilis supradicta Mazzucchelli sententia.

2 Igitur tantum mortalia certa, & non alias legitimè absoluta sunt materia Reservationis, alias iniiceretur laqueum fidelibus, & in eorumdem intolerabile cederet damnum, & eo magis, quia, ut refert Quaranta, *Summa Bullarii* verbo *casus reservati* n. 14. Sacra Congreg. Ordinarios monendos censuit, ut non passim mortalia delicta, sed tantum atrociora, & graviora reservent.

3 Imo non omnia mortalia possunt reservari. Quia si Superiores possint cogere pœnitentes, ut pro omni mortali ipsos adeant, præciperent plus ipsi, quàm Deus; & talis Reservatio non promoveret bonum subditorum, sed propriæ Jurisdictionis, quæ debet respicere bonum publicum Ecclesiæ, ut patet ex Trid. sess. 14. cap. 7. Nec potest subesse aliqua causa reservandi omnia peccata mortalia, & Reservatio sine causa, nulla est.

4 Nec juxta probabiliorem sententiã, peccata mortalia interna sunt Reservationis materia: Quia cum Ecclesia non exerceat Jurisdictionem in actus mentis, ab illa puniri nequeunt, l. *cogitationis pœnam nemo teneatur, ff. de pœnis, cap. cogitationis de pœnit. dist. 1. c. fin. 32. quæst. 5.* Nec Reservatio internorum conduceret ad regimen publicum Ecclesiæ. Et ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 114. art. 5. *In internis Deo tantum obediendum*, Suar. Fill. Laym *lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 3. &c.*

At contra hanc sententiam urget DD. contrariæ sententiæ his rationibus, & pri-

primò: Jurisdictio ad solvendum interna, emanat à Superiore; ergo tantum habet confessarius, quantum illi dat Superior: Ergo si dat ad hæc,& non ad alia,ab istis, & non ab aliis internis absolvere potest.

R. Jurisdictionem ad absolvendum esse radicatam in charactere ordinis Sacerdotalis,ita ut nequeat esse Sacerdos,quin absolvere nequeat,& non possit absolvere quin sit Sacerdos. Est tamen jurisdictio limitata à Trid. & à Superiore coarctari valet in ordine ad illa, quæ subjacere valent judicio Ecclesiæ, & puniri aliqua pęna possunt,ut sunt externa; adeoque jurisdictio etiam se extenderet, nisi Reservationis limite coarctaretur.

Urgent secundò sic: Reservare interna,non est judicare de internis,(quod nō potest ab Ecclesia), sed est denegare jurisdictionem Sacerdoti illa absolvendi, quod potest Ecclesia.

R. Reservare non esse quidem judicare de internis,sed punire interna, cum Reservatio sit pęna, & sic non potest judicare,& multo minus punire, D.Th.l.c.

Urgent tertiò:Confitenda sunt peccata interna,& externa, ergo æquè omnia reservari valent.

R. Non valere paritatem,cum confiteri externa, & interna teneamur ex lege divina, volente subiici clavibus omnia peccata. At reservare est tantum de lege humana, quæ non interna, sed tantum externa judicat.

Urgent demum: Reservatio non est pęna,sed restrictio jurisdictionis Confessarii, & sic, ut non Confessarius,ita confessarius simplex,non poterit occulta interna reservata absolvere.

R. Reservationem peccatorum esse pœnarum maximam, non solum minuentem libertatem pęnitentis, sed Confessario onerosam, & odiosam,ut cum Bordono diximus q.1.c.3.n.1.& si contrariū, ut ibidē diximus,sit valde probabile. Et si est pœna aufetre à delinquente pecuniam, quātò magis eius libertatem minuere? Immo redigit incautos ad se infamandos,publicè quærentes, qui eos possint à reservatis absolvere, & multoties inabsoluti dimittuntur. Hæc enim est ne maxima pęna, an non?

5 Ex dictis sequitur, non incidere quis in Reservationem, quando malitia externa est levis,licet interna pertingat ad culpam gravem V. G. in reservatam percussionem parentum non incidit filius, si percussio sit levis externè,quamvis internè habeat pravum animum graviter verberandi.

6 Peccatum, ad hoc ut sit materia Reservationis, non solum debet esse externum, sed & completum,& consummatum, nisi Superior exprimat, se reservare peccatum externum,licet non consummatū, docent Bon.de pęnit.Palud.Dicast.& alii Liquet.1:ex l.interpretatione,ff.de pęnis, ubi interpretatio, mitius facienda est. 2. quia pęna intelligitur apposita delictis consummatis, nempè cum effectu secuto. Quia non punitur affectus sine effectu, l. 1.ff. quod quisque, Gizarellus dec.25.n.2. Ricc.&c.

Et non solum debet esse malum externum,externè consummatum; Sed ipsa exterioritas peccati,debet esse lethalis, etiam materialiter;ita ut(ut modo dixi) non sit satis,peccatum externum esse leve, licet actus internus sit gravis.Unde sequitur, quod ut aliquod peccatum sit reservatum,requirantur hæ conditiones, 1. ut sit peccatum externum.2.ut sit mortale.3 ut sit materialiter grave.

7 Peccatum internum, ad hoc ut dicatur prodire in actum externum, non sufficit quomodocumque manifestari externnè: Sed requiritur ut illa manifestatio censeatur,in ratione peccati externi,esse mortalis,ut modo dictum est, Sanch. in Decal.lib.2.c.8.

Ex dictis infertur primò,quod si quis in sōno,vel ebrietate,suam propalet hæresim non ideo hæresis dicitur prodire in actū externum. Quia talis locutio, non est actus humanus, nec sufficiens signum veri animi hæretici;cum plurima etiam falsa, tunc inaniter effutiantur.

Infertur secundò;quod si quis affirmativè, idest, si internè judicet, articulum fidei esse dubium, & hoc judicium internum sufficienter manifestet, fore externā hæresim. Si verò negativè dubitet,idest,si suspendat omne judicium, non fore hęresim internam,adeoque nec externam,quāvis manifestet suum dubium,Viva de Jubileo q.11.art.1.n.8.

Infertur tertiò, quod si reservetur pollutio, & ex luxuria internè plenè libera, sequatur ea plenè inadvertenter, non ideo,ut docent Sanch.Suar. & Dicast.incurri-

curritur reservatio. Quia tales actus externi, non censentur in se reservari, nisi quando in se sunt peccata, saltèm denominativè; Nam quando sequuntur inadvertenter, non sunt in se peccata, nequidem denominativè; sed tantum sunt effectus peccati; secus si reservata sit omnis luxuria interna.

8 Neque peccata jam confessa, sunt reservationis materia, nec reservata confessa, si pœnitens velit iterum confiteri. Ratio primæ partis est, quia in jam confessis cessat finis Reservationis, & etiam quia futilis esset Reservatio, cum quis non teneatur de illis confiteri, etiam vt statuti, Faber, Beja, Miranda, Fordonus, Floron. *de cas. res.* r. par. 1. cas. 1. n. 2. & D. Thom. apud Coriolan. *de cas. reser.* par. 1. q. 1. art. 9. Ratio secundæ partis, nempè quod reservata confessa, nec sint materia Reservationis, si pœnitens velit ea iterum confiteri, est 1. quia jam fuit Reservatio sublata à primo Confessario. 2. Quia non debet quis de eodem iterum judicari, *c. sunt 42. de pœnit. dist. 3.*

9 Nec in sententia Gobat, experimen. tract. 7. n. 355. possunt frequentes lapsus reservari. Quia semel ac etiam ob frequẽtes lapsus quis superiorem deberet adire, confessio odiosa, & intolerabilis redderetur, contra textum, in cap. *erit* dist. 4. Unde asserit, quod in septẽtrionalibus sublata est reservatio legendi libros prohibitos ob frequentiam eorum librorum. Esset enim gravissimum onus semper superiorem, vel Romam petere. Et constituens casus reservatos, nō debet esse subditis nimis onerosus, Sac. Cong. apud Ric. *par. 3. praxis, res. 84. ibi. Ne locorum Ordinarii, quibus jus reservandorum casuum competit, plurium, quos opus sit subditis reservare, aut confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint oneros, ymonentur omnes, paucos, eosque tantū, quos ad Christianam discip linam retinendam, animarumque sibi creditarum pro cujusvis Diœcesis statu, & qualitate reservandos esse judicaverint, reservent 1. Januarii 1605.*

10 Idem Riccius par. 3. *praxis*, resol. 81 n. 3. & *resol.* 84. n. 7. & Gobat *tract.* 7. num. 355. docent, quod Prælati debeant reservare paucissima, & graviora crimina. Probatur ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. & liquet etiā ex sequenti declaratione Sac. Cong. 26. Novembris 1602. apud cit. Ricc. ibi: *Multitudinem sic reservantes, ut ad quam paucissimos, eosque maximè necessarios redigantur eidem casus. Unde salutaris ille sequatur effectus, cujus causa reservandi atrociores quosdam casus, Episcopus, cui jure in sua Diœcesi tributa est hæc auctoritas.* Eadem Sacr. Congr. prohibet, reserventur peccata parvi momenti, maximè inter personas idiotas ut damni dati, & similiū, ut ibi loquitur S. Cong.

11 In Reservatione casuum contra castitatem, maxima circumspectione agendum est, ad hoc ut evitetur scandalum ob accessus pœnitentium ad Pœnitentiarios, & reditum ad eosdem. Et ideo Neapoli summa cum prudentia in reservatis contra castitatem, masculi non fœminæ comprehenduntur. Quia istæ nolunt sine scādalo insolitos adire Pœnitentiarios.

12 Subdit etiam Sac. Cong. in fine apud Riccium, *res.* 1. 85. c. 6. ut in tota Diœcesi, & maximè in locis remotis à Civitate, & Cathedrali constituantur Pœnitentiarii, aut alii Sacerdotes Confessarii, cum facultate absolvendi à reservatis, & subdelegandi, si opus fuerit, & maxime in festivitatibus solemnibus, idque, ut alliciantur pœnitentes ad confessionem, copia confessariorum, à quibus absolvi valeant, ne omittant confiteri difficultate longius quærendi Confessarios, ut. quæst. 3. c. 1. n. 3. diximus.

CAPUT II.

Utrum Superiores possint unum peccatum uni, alterum alteri reservare, seu absolvi ab uno, non ab alio Confessario? & an valeant plura pro Regularibus, quàm pro Secularibus reservare?, & demum an possint reservare casus à Summo Pontifice reservatos?

APOPHASIS.

1 *Non possunt Superiores; unum peccatum uni, alterum, alteri reservare; si sequatur dimidiatio confessionis: Secus si non tolleret integritatem confessionis, & fiat ex justa causa.*

2 *Non possunt Episcopi absque justa causa, plura pro Regularibus, quam pro Se-*

Sæcul. nimis reservare.

3 *Nec possunt Superiores inferiores Papa reservare casus illi reservatos.*

4 *Non possunt Superiores habentes supra se Superiorem concessa a lege communi tollere; sicque Episcopi non possunt tollere Parochis privilegium concessum à Trid. ut possint abesse per duos menses à Parochia absque pœnarum incursione.*

1 NON possunt Superiores unum peccatum uni, alterum alteri reservare; si sequatur dimidiatio confessionis, ut si quis habeat duo reservata, & non possit uni confiteri, sed deberet unum, uni; alterum, alteri, tunc Reservatio non tenet. Quia Reservatio utpotè juris humani, non potest tollère integritatē confessionis, quæ est de jure divino. Si verò hanc integritatem non tolleret; tunc potest Superior ex justa causa non solom validè, sed etiam licitè reservare, sicuti etiam potest efficere, ut unum peccatum absolvatur à tali, puta V. G. à Parocho, ab Archidiacono &c. & non a Confessario simplici.

2 Circa Regulares, an possint Episcopi plura pro ipsis, quàm pro sæcularibus reservare? Negant Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5.* Rodr. Malfes. Suar. Regin. Flor. Bord. Pasqual. &c. 1. quia tūc esset Reservatio sine causa. 2. quia reservatio reservat rem judicio reservantis, Trid. cit. ibi: *peculiari judicio reservare*, ergo sine denegatione eorum, absolutio non magis competit uni, quàm alteri.

3 Non posse Episcopos, aut alios Prælatos reservare casus à summo Pontifice reservatos, docent de Lugo *de Pœnit. quæst. 17. sect. 2. §. respectu, Dian. par. 5. tract. c. resol. 7. &c.* Quia ob Reservationem summi Pontificis, causa tota est in supremo illo Tribunali, & sic ablata ab Episcopali Jurisdictione. Unde juxtà dicenda disp. 3. *quæst. 7. cap. 2. n. 3.* ubi afferemus decretum Cong. allatum à Stephano Quaranta, quod prohibet, ne Episcopi reservent casus sedi Apostolicæ reservatos: Imo frustra reservaret, quia ablata reservatione Papali, tollitur Episcopalis, nec ipse tollere potest Papalem.

4 Sic non possunt habentes supra se Superiorem, concessa à lege communi tollere: ut est privilegium concessum a Trid. sess. 23. de refer cap. 1. Parochis, ut possint abesse per duos menses, absque pœnarum incursione (sicuti Episcopis conceditur per tres menses): Et tamen quidam Episcopi sequentes sententiam eorum, qui, in ipsorum favorem, interpretant illa Tridentini verba *Quemadmodumque eos abesse contingerit debere causam esse prius cognitam, & Approbatam ab Episcopo*, prohibuere per synodales constitutiones, ne U. G. per duos, vel plures dies (& hoc non solum Parochis, sed etiam aliis Sacerdotibus, imo in aliquibus locis, etiam Clericis, qui non tenentur ut Parochi residere) possint abesse; & sic etiam quod eis Jus commune concessit, auferre ausi sunt.

Et tamen probabilissimum est, quod Parochus possit sine licētia abesse ad duos menses continuè, vel divisim absque Episcopi licentia, relicto tamen idoneo substituto. Tum quia ante Trid. hoc ipsum licebat, cap. *transmissionem 7. q. 1.* Tum quia idem concedit Episcopis, qui magis tenētur residere, quàm Parochi; Cum ipsi non alicujus tātum Parochiæ, ut Parochi (qui etiam in multis Parochiis sunt plures ut hic Roccæ Mōtanæ, & tunc non indigent substituto, quia remanet socius); sed totius Diœcesis, soli curam gerere debent. Tum quia absentia ad duos mēses est modica, ut patet ex cap. *cum ex eo de elect.* in 6. c. *beneficium* de regul. eodem libro. Nec videntur abesse, qui statim reversuri sunt *l. postliminium §. captivis, l. nihil, ff. de captivis, & post. l. rever.*

Nec Trid. verba interpretantur, quod ut possint abesse intra duos menses, causa debeat esse cognita, & approbata ab Episcopo, sed intelliguntur, quod ea licentia ex gravi causa in scriptis, gratisque concedenda, exigatur ad prolixius tempus, & ultra duos menses, ut liquet ex illo cit. Trid. vers: *Discedendi autem licentia* &c. Esset enim per quam grave, quod nunquā liceret Parocho sine licentia recedere, maximèque quando urget aliqua necessitas. Est communis cum Lopez *in instruct. conscient. to. 1. cap* 148. Joanne Baptista Corrad. *in responsione casuum conscientiæ*, quæst. 137. Lel. Zecch. *de cas. reser.* cas. 3. & de Rep. tit. *de beneficiariis*, n. 6. Salzed. Gened. Sa, Quintanad. Comit. Zer. Francis. Leo. Nav. Joan. Valer. Azor *instit. moral.* par. 2. lib. 2. cap. 4. Sanch. *de matrim.* lib. 3. disp. 31. n. 11. Io: Sanch. *in selectis*, disp. 45. n. 5. Less. n. 159. Castrop. n. 3. Barb. *de Offic.*

&

& potest. Parochi cap.8.n.54. Croix lib.3. par.1. de oblig. Parochi,n.742. Bon. var. tract.disp.5.n. .Laym.& innumeris aliis, & potissimum vide Petrum Leurenium in foro beneficiali (cuso Coloniæ 1704.) quæst. 372.

CAPUT III.

An peccata dubia sint Materia Reservationis?

APOPHASIS.

1 *Quid sit dubium, quod primò dividitur in positivum, & Negativum.*

2 *Dubium aliud est Juris, aliud facti.*

3 *Dubium Juris aliud est speculativum, aliud Practicum.*

4 *Peccata dubia non sunt materia Reservationis sive dubium sit Juris sive facti.*

5 *Non semper tutiorem partem tenemur eligere.*

6 *Si pœnitens recordetur, se commisisse reservatum, & dubitaret, an illud confessus sit, tenetur superiorem adire.*

7 *Reservatum dubium absolutum à simplici confessario, si postea veniat in mentem, certò fuisse commissum, non remanere reservatum, probabiliter docent.*

8 *An autem Pœnitens teneatur iterum confiteri reservatum dubium absolutũ à simplici confessario, si postea veniat in mentẽ certò fuisse commissum, utrũque ut probabile defendunt Doctores.*

9 *Delictum dubium hæresis cum sit casus Pontifici reservatus, ab illo absolvi debet.*

10 *Quid sit peccatum dimitti directè, & quid indirectè.*

1 DUbium est suspensio intellectus hærentis inter duo contraria, quorum neutri assentitur, neutri dissentit. Et dividitur primò in Negativum & Positivum. Negativum est quando intellectus non habet motivum sufficientem ad judicandum. Positivum seu probabile est quando habet, & tamen nullum ponitur judicium.

2 Dividitur secundo in dubium Juris, & dubium Facti. Juris est quando dubitatur de lege aliqua, vel obligatione legis, vel consuetudinis, vel de valore actus. Facti, est quando de alio, quàm de istis dubitatur, seu quando dubitatur de aliquo facto.

3 Dubium Juris, aliud est merè speculativum, aliud Practicum. Speculativum est quando directè non quæritur de praxi idest de humana actione, utrum ea licita sit, nec ne, sed de quodam alio legitimo. Practicum est quando directe quæritur de praxi, Laym. *lib. 1. tract. 1. de conscientia cap. 5. n. 2.*

4 Peccata dubia, non esse materiam Reservationis, tenent communiter Doctores sive dubiũ sit Juris, sive facti. Quoad dubium Juris probant primò, quia in tali dubio casus non censetur reservatus. 2. quia constitutio, & promulgatio legis, est quid facti; factum autem in dubio non præsumitur. 3. quia in dubio, an lata sit lex vel præceptum reservans aliquod peccatum, possessio stat pro dubitante, & confessarius manet in potestate suæ jurisdictionis, Suar. Sà, Sanch. Bon. *de Pœnit. disp. 5. q. 7. p. 5.* Circa dubium facti probant quia delictum dubium, non est delictum simpliciter, sed secundum quid. Reservatio verò cum sit odiosa strictè est accipienda, & ad delicta simpliciter, casusque certos, &, ut dictum est: *In dubiis melior est conditio possidentis.*

5 Neque valet, quod *in dubio tutior pars sit eligenda.* Quia non semper tutiorem partem tenemur eligere, sed sufficit eligere tutam, quæ scilicet ex practicis, & certis principiis sit desumpta; alioquin illa regula continet potius consilium, quã præceptum, teste Nav. Pon. Busemb. de consc. dub. 3. qui habet, quod si aliquid ex una parte sit dubium, & ex altera certum, tunc hanc esse eligendam, Vide Croix lib 1. à n. 495. Quod si utraque pars sit tuta, axioma universim non est præcepti; sed consilii.

6 Tamen si quis recordaretur, se commisisse peccatum reservatum, & dubitaret, utrum illud confessus sit? tali casu confessio flaret pro lege reservante, ideoque teneretur Superiorem adire pro illius absolutione.

7 Sed quæres, an peccatum dubium reservatum, confessum, & absolutum à simplici confessario, si postea veniat in cognitionem, fuisse certè commissum, sit reservatum?

Etiam asserunt non remanere, quia jam est legitimè clavibus suppositum, & absolutum? Nam quando fuit confessum

ut dubium, non erat reservatum, quia non certum post absolutionem; Quando autem fit certum, nec est materia. 1. quia jam est absolutum, & peccata legitima absoluta non sunt materia Reservationis. 2. quia Reservatio utpote odiosa, restringenda ad peccatum certum, non aliàs absolutū, Sanchez &c.

8 An autem teneatur illud iterū quis confiteri, magnopere altercatur inter Doctores apud Croix lib. 6. *part. 2. de Pœnit. à n. 615.* Nam alii docent non teneri. Quia fuit directe absolutum in prima confessione. Nam ad recipiendam directam absolutionem sufficit manifestatio peccati dubii pro ut tunc est in conscientia, non pro ut cognoscitur post absolutionem; Et nemo tenetur iterum confiteri id à quo fuit directè absolutus. Idem dicendum de delicto dubio, cui adjuncta est censura reservata. At alii cum cit. Croix tenent, esse obligationem iterum confitendi, quæ vide, quia satisfit rationibus primæ sententiæ.

9 Actamen delictum dubium hæreleos, eique annexa censura ex decr. Alex. VII. 2. Octobris 1665. sive clarè sive dubie, est summo Pontifici reservatum; cum sit casus in Bulla Cœnæ contentus; adeoque & si ut dubium, sit ab aliis confessariis inferioribus absolutum, debet iterum illud summo Pontifici, seu habentibus ab illo facultatem, confiteri.

10 Ad extremum pro majori claritate supradictorum, notandum, quod tunc dicitur directè remitti peccatum, quando remittitur ratione sui, independenter ab alio peccato remisso, quia nempe est materia huic Sacerdoti subjecta, & cognita per hanc confessionem. Indirectè verò remittitur, quando remittitur, non ratione sui, eo quod non sit materia per confessionem cognita, vel non sit materia subjecta huic Sacerdoti, tamen remittitur dependenter ab alio peccato huic Sacerdoti, per confessionem, cognito, & subjecto.

DISPUTATIO II.

De Casibus reservatis in particulari, & præsertim Theanensis Diœceseos.

Agetur in hac disputatione de casibus reservatis in specie; & quia peccata, quæ reservari solent ab Ordinariis, partim censuram, partim non, annexam habent; Ideo in duas quæstiones hanc disputationem dividemus; In prima enim de Reservatis cum censura: In secunda verò de Reservatis sine censura, singillatim agetur.

QUÆSTIO I.

De casibus cum censura reservatis.

Casus magis pervulgati in hac Theanensi Diœcesi, sunt viginti novem quatuordecim cum censura, quindecim absque illa. Liquet ex Synodo Theanensi *de Sacramento Pœnitentiæ cap. 9. §. 20.* Qui habēt annexam censuram, de quibus in hac quæstione agemus, sunt sequētes.

I.

Blasphemia hæreticalis advertenter prolata.

II.

Homicidium voluntarium, tam quoad committentes, tam quoad mandantes.

III.

Procuratio abortus post animatum fœtum cum effectu subsecuto.

IV.

Maleficia, Sortilegia, Incantationes, & quælibet superstitio cum expressa, sive tacita dæmonis invocatione, & non revelantes, qui talia agunt, vel docent Sa-

cramentorum, vel Sacramentalium abusus.

V.

Incestus in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradu, ac etiam cognationis spiritualis quoad masculos tantum.

VI.

Exigentes gabellas à personis Ecclesiasticis directè, vel indirectè, etiam à sponte dantibus.

VII.

Incisio arborum fructiferarum Ecclesiæ, vel alterius loci pii.

VIII.

Allocutio tam cum Monialibus, quàm cum puellis in monasterio degentibus sine licentia, & cum licentia ad malum, sive inhonestum finem etiam per litteras, vel quocumque alio modo.

IX.

Carceratio, malaffectio, vel manuum injectio in personas Cursorum hujus Episcopalis Curiæ.

X.

Sponsorum conversatio ante contractum matrimonium ultra duas vices, & his vicibus non præsentibus Sponsæ consanguineis.

XI.

Perjurium in judicio cum præjudicio tertii, vel falsificatio scripturarum, & non intelligatur concessa facultas absolvendi, nisi facta restitutione damnum passo.

XII.

Detentio legatorum, vel aliorum bonorum Ecclesiasticorum, laudemiorum, reddituum, censuum quorumcumque.

XIII.

Impedientes malitiosè, sive occultantes voluntates Defunctorum

XIV.

Non solventes legata pia, & Notarii, ac Parochi, sive alii non transmittentes ad Cancellariam Episcopalem notulam eorundẽ legatorum infra quatuor menses à morte testatoris.

CAPUT I.

Casus primus cũ censura reservatus *Blasphemia hæreticalis advertenter prolata.*

APOPHASIS

1 *Gravitas, & pœne blasphemiæ.*

2 *Conditiones requisitæ ad incurrendum hunc casum.*

3 *Potest Episcopus blasphemiam hæreticalem sibi reservare, quando blasphemus non detinetur aliquo errore contra fidem.*

4 *Ad rationem blasphemiæ hæreticalis necessarium non est, ut hujusmodi blasphemia cum infidelitate, vel hæresi sint conjunctæ.*

5 *Quid sit blasphemia secundum suam rationem formalem.*

6 *Si blasphemia proferatur in sanctos, ut homines fuerunt, & quibus nun excellentia sanctitatis accidentaria est, non est blasphemia.*

7 *Blasphemi sunt denunciandi apud Judicem Ecclesiasticum, & Secularem. At si blasphemia sit hæreticalis, denunciandi sunt Inquisitoribus; si simplex, Episcopo.*

8 *Incurrunt hunc casum omnes, qui blasphemiam, falsitatem contra fidem formaliter, aut virtualiter continentem, advertenter proferunt; si falsitas contra fidem contineatur in actu signato.*

9 *Incurrit etiam, qui dicit, Deum esse ignarũ, partialem, crudelem, non rectè gubernare creaturas &c. Diabolũ esse creatorem &c. qui iurat tum verum, tum falsum per falsos Deos.*

10 *Incurrunt casum asserentes aliquid fidei contrarium per verbum indicativum.*

11 *Item innodatur, qui advertẽter, & Serio dicit: Deus non vult mihi succurrere.*

rere, succurrat Diabolus: Deus non recordatur mei, memor mei sit diabolus.

12 *Irretitur quoque dicens: al dispetto di Dio: Secus si velit discretionem si displiceat Deo. Eodemque casu ligatur si dicat; volo hoc facere, velit nolit Deus.*

13 *Ligatur quoque casu asserens: al dispetto di Di.. rinego Di.. maledetto Di.. Et pariter, qui dicit: putana di Dio: potta di Dio, & si addat Bacco; etsi addat, ut blasphemiam evitet, Tamen: potta di Dio in his partibus quia accipitur pro Dei potentia, non est blasphemia.*

14 *Innodantur reservatione hereticali blasphemiæ annexa serio asserentes, aliquid Divinitatis adesse planetis.*

15 *Qui ex vehementi ira, vel passione usum rationis perturbante, hæreticaliter blasphemat, non incurrit reservatum; Sicuti neque ebrius, furiosus &c.*

16 *Nec innodatur, qui sola mente blasphemat.*

17 *Neque incurrit, qui tantum signis, aut factis blasphemat.*

18 *Aliquando non ligatur, qui tribuit creaturæ, quod est proprium Dei.*

19 *Casum effugiunt proferentes aliquid fidei contrarium optando, aut imprecando; secus si per modum indicativũ proferrent.*

20 *Audientes blasphemos, & non revelantes, incurrunt ipso facto excommunicationem Episcopo in hac Diœcesi reservatam; & quam malè agant non corrigentes.*

21 *Quid animadvertere debeat confessarius in innodatis crimine hoc?*

22 *Quam satisfactionem debet confessarius blasphemo imponere; & quomodo cum illo se gerere debeat.*

1 BLasphemiæ crimen tam horribile est, ut Divina in scriptura, de rarò nuncupetur suo proprio nomine. Unde Eccl. 33. 15. habetur: *Loquela contraria morti*, hoc est respondens morti. Et in Lev. 24. capitis pœna plectebantur blasphemi, quæ pœna imposita fuit tempore, quo Deus nondum tanta hominibus dona concesserat. Nunc autem, quod Deus homo factus est, & pro homine vitam, sanguinemque præstitit (O crudelitas ferina!) ab impiis hominibus, terribilibus blasphemiis inhonoratur. Quàm enim est nefarium, & ipsi naturæ adversum, ut creatura in suum invehatur Creatorem! Non nego, esse verum, quod populi Atlantici, in Africa, blasphement Solem; sed sunt excusandi, quia suis radiis eos urit; sicque: *Usti undique torrente Sydere semper, odere Deum lucis*. Sed nos illuminati ab eo vera fide, locupletes effecti gratia, electi pro gloria, redemptique suo Sanguine, & opprobriis audemus (Proh dolor! Proh facinus!) hæreticalibus labiis, tam crudeli injutià, Creatorem afficere? Hoc enim etiam immanium ferarũ aures audire refugiunt. Bellum, ex Senecæ testimonio, beneficia quoq. sentiunt, quæ aliquando homines, feris pejores, minime noscunt.

Ex quibus constat, blasphemos esse de Diaboli prosapia (cum ex loquela cognoscatur, qualis quisque sit) quia faciunt, quod Dæmones, & damnati in inferno agunt; Atque ideo ob contumelias, quibus blasphemantes Regem Regum proscindunt, solet sæpe Deus humanum genus incendiis, fame, bellis, submersioni bus pestilentiisque juste afficere: Unde 4. Reg. 19. ob blasphemiam Rabsacis, Angelus Domini, una nocte, percussit centum octoginta quinque millia exercitus Sennacherib Regis Assyriorum; & postea etiam ipse fuit à filiis interfectus. Et meritò, quia si blasphemantem Regem terrenum omni supplicio dignum putant; qui in Regem Regum contumelias urget, quæ supplicia sustinere dignus erit? Vide etiam Mach. 15.

Ideo nec mirum, si Jure Pontificio, per cap. 2. *extra de maled.* blasphemo imponebatur pœnitentia publica, pro blasphemia etiam non notoria, modo probari potuisset, nempe ut septem diebus staret præ foribus Ecclesiæ, dum agebantur missarum solemnia, & ultimo die sine pallio, & calceamentis, & ligatus corrigia in collo; & septem feriis jejunaret in pane, & aqua, & non intraret in Ecclesiam; & in quolibet præfatorum dierum, tres, si poterat, aut duos, vel unum reficeret pauperem, Silv. verbo *blasphemia* qu. 7.

Jure autem civili blasphemantes pœna mortis puniebantur, ut in auth. *ut non luxur. contra nat. §. præterea.* & Jure Neapolitani Regni abscissione linguæ punitur;

tur; quamvis hodie dicta pœna sit commutata per usum in linguæ perforationē, quæ clavo publicè fit, Gram. *dec.50.* & novissimè per ultimam Pragmaticam *contra blasphemos*, Nobiles exilio, ignobiles triremibus per quinquennium puniuntur. Ideo noster Legislator huic impio flagitio providere curavit, dū eam sibi cū censura reservavit. Synodus Theanensis *de blasph.cap.2.§.1.pag.36.* & ejus Appēdix, *in tabella de cas. Episcopo Theanensi cum excommunicatione reservatis pag.440*

2 Ad hoc ut hæc blasphemia sit cum censura reservata, duabus conditionibus Legifer noster vult, esse vestitam; nempe ut primo sit cum hæresi conjuncta, quod tripliciter fit 1. cum tribuitur Deo, quod non convenit, ut si quis dicat: *Deum esse injustum, partialem, ignorū, improvidum, non esse omnipotentem &c.* 2. cum aliquod de Deo negatur, quod ipsi convenit, ut esset dicere, *Deum nolle, vel non posse nos juvare non omnia esse benè ordinata &c.* 3. cum tribuitur Creaturæ, quod soli Deo convenit V.G. asserere, *Diabolum esse omnipotentem &c.* Ad hæc reducuntur, si quis abneget *fidem, crucem Christi, puritatem Virginis.*

Secunda conditio est, ut sit prolata ex advertentia, nempe ex advertentia rationis, con sensu voluntatis, & pravo, deliberatoque animo, ut scilicet consideret bonum, & malum, honestum, & inhonestū Quia si fiat subito motu, & ex actibus primò primis, absque dicta consideratione, talis actio non est digna pœna, vel premio & tunc dicitur actio hominis, sed non humana, cit. Synodus & *de Sacr. Penit. cap.9.§.20.* à pag.113. in Catalogo casuum.

3 Sed quæres, cur Episcopus blasphemias hæreticales reservet, si dictas blasphemias evomentes præsumuntur hæretici, & hæresis casus est summo Pontifici reservatus?

Dico, quod tunc Episcopus non potest reservare, nempe quando blasphemus detinetur errore repugnante veritati fidei, & illum pertinaciter retinet, ac defendit; tunc enim etiam denunciari debet, si extra Sacramentum, confessio innotescat. Secus si non detineatur aliquo errore: Quia tūc non est hæreticus, nec in Bulla Cœnæ excommunicatus.

4 Igitur sciendum est, quod ad rationē blasphemiæ hæreticalis necessarium non est, ut hujusmodi blasphemia cum infidelitate, vel hæresi sint conjunctæ; cum etiā in dæmonibus, hominibus damnatis, & malis Christianis, qui illas nefarias, & falsas esse, non ignorant, locum habere possint. Et dicuntur hæreticales; Quia falsum de Deo significantes, cum hæresi similitudinem gerunt, & sæpè Christianum de hæresi suspectum reddunt. Quia actus de se malus habet præsumptionem malæ intentionis contra facientem.

5 Blasphemia secundum suam rationē formalem: *est locutio falsa in Deum, aut Sanctos per modum convicii, seu contumeliæ.*

6 Dixi in *Sanctos*, quatenus sancti sunt. Nam si contumelia in *Sanctos* cum Christo regnantes jaciatur, non ut sancti, sive beati sunt, sed ut quidam homines in terris fuerunt, quibus nunc excellentia sanctitatis accidentalis est (puta si quis de SS. Crispino, & Crispiniano dicat, fuisse *Sutores*, aut de sancto Joanne, & Paulo, fuisse *Eunuchos*), non erit blasphemia; quia in Deum non redundat; sed erit peccatum contra cultum Duliæ. Imo si non ex odio, aut indignatione contra Sanctos sed joco proferatur, ab materiæ parvitatē, non videtur culpam venialem excedere.

7 Blasphemi ultra reservationem, sunt ex decreto Concilii Lateranensis, & Julii III. denunciandi apud Judicem Ecclesiasticum, & sæcularem. At quando blasphemia hæreticalis est, denunciari debent Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem (qui privativè hoc est, quod de hac ipsi soli, & nullus alius cognoscere potest) Quando verò blasphemia est simplex, denunciatio fit Episcopo. Tamen in his partibus, ex consuetudine, aliter servatur, cum sine ullo scrupulo non denuncient.

8 Sed modò, ut ad casuum decisionem deveniamus, sciendum, quod innodantur hoc casu, omnes, qui blasphemiam hæresim, seu falsitatem contra fidem formaliter, aut virtualiter continentem, ac significātem, advertenter proferunt; si dicta falsitas contra fidem, contineatur *in actu signato*, nempè quando quis aliquid de Deo dicit, quod falsum est, ut si diceret, *Deum esse injustum &c.* Quia, ut advertit Suarez, *tom.1. de relig. tract. 6. lib.1. cap.5. num.7.* quando profertur falsitas practicè, & in *actu exercito*, nempe quando significatur verum, sed tamquam ad Deum irridendū, & contemnendum, (ut si quis nominaret inho-

inhonestè,& contumeliosè membra Christi pudenda),cū non opponatur fidei;ideo blasphemiam hæreticalem non reddit.

Dixi *virtualiter continentem*, & *significantem falsitatem contra fidem*, idest quando non est simpliciter, & formaliter enunciativa,sed virtualiter,quatenus talia verba proferuntur,ut virtute sit ea esformare;ut si quis nominet Deum cum adjectivo contumelioso, quod ex fide illi repugnat .V.G.si dicat,*esse injustum*; aut si nominet Creaturā cum adjectivo, quod secundum fidem est proprium Dei, dicendo,*Demonem esse omnipotentem* &c., & demum nominando ipsam fidem, aut mysterium cum adjectivo destruente ejus virtutem, aut quod secundum fidem ei non convenit, dicendo) *Fidem vanam*,*Sacramentum inane* &c.Quia virtute satis affirmat, quod ita profertur, & nominat, Suarez loc.cit.

9 Ideoque innodatur hoc casu,qui dicit,*Deum esse ignarum*,*partialem*, *crudelem* &c.Item qui asserit, *Deum non rectè gubernare Creaturas*:*Non omnia esse benè ordinata*.Itemque,qui ait,*diabolum esse Creatorem*, *plus esse*, *quàm Deum*: Vel si mulier,amasium serio *Deum suum* appellet. Hæc omnia hæreticalem continent blasphemiam. Et demum, qui jurat tum verum,tum falsum per falsos Deos, quasi illis insit infallibilis veritas, quæ solius Dei propria est,& honor qui soli Deo debetur,falsis Diis tribuatur.

10 Item juxtà Sanchez n.36.incurrūt dictum casum,semper ac per verbum indicativi modi asserunt aliquid fidei contrarium,dicendo,V.G.*Deum esse injustum*,*acceptorem personarum*:*non credo in Deum*: *rinego Deum*, *fidem*,*crucem*, *Crisma*, *puritatem Deiparæ*,&c.Quia hæc omnia important fidei abnegationem, & infidelitatem.

11 Innodatur,qui advertenter, & Serio dicit:*Deus non vult mihi succurrere*, *succurret mihi diabolus*; *Deus non recordatur mei*,*memor sit mei diabolus*. Nam hujusmodi locutiones derogant tum Justitiæ,tum providentiæ Dei; Ideoque habendæ ut hæreticales,Graf. &c.

12 Idem dic de erumpente: *al dispetto di Dio*;cum derogent Divinæ potentiæ, quasi homo velit aliquid agere, etiam si Deus nolit.Secus dicendum, si illa verba sic intelligerentur: *etiam si displiceat Deo* ut docent Suar.& Carena. Sim ile deciditur de illo,qui dicit: *voto hoc facere velit nolit Deus*;Cum derogent divinæ potentiæ, quasi Deus non possit impedire; quando causæ secundæ, nihil possunt agere, nisi dependeant à prima,quæ Deus est.

13 Nec est exemptus à dicto casu asserens:*al dispetto di Di*. . *rinego Di*. . . *maledetto Di*. . prætermissa vocali, o; Quia communiter intelligitur sufficienter prolata,si adsit intentio blasphemandi,& adverteret.Sic etiam,qui dicit: *putana di Di:spetta di Dio*,etsi ad occultandam impietatem,vel vitandam pœnam,addat *Bacco*.Secus est, si proferat illa verba, cum hujusmodi additione,& animo,ut blasphemiam evitet.Nec in his partibus, putātur blasphemi dicentes:*potta di Dio*;cum communiter talibus verbis velint dicere: *potere di Dio*.Et de facto pro Dei potentia id accipiunt; nec sciunt quid significet *potta*,Graff.Flor.Mazz.

14 Damnāti sunt hæreticalis blasphemiæ reservationi obnoxiæ;qui serio asserunt, aliquid divinitatis adesse planetis, vel Herculem,Baccum,aliosq. Idolatras, & facinorosos homines,esse veros Cælicolas,& Deos.Item ajentes,Venerem,Junonem,& cæteras inhonestas fęminas, verè esse Deas,ut stultitia Gentium non semel tales putavit.

15 Et quia,ut patet in terminis casus, blasphemia debet esse advertenter prolata ideo si quis ex vehementi ira, vel passione perturbante usum rationis, & ut furori satisfaciat in blasphema verba erumpit; & si sint hæreticalia, non incurrit casum cum censura reservatum. Quia deficit advertentia; sicuti non incurrit ebrius,furiosus,mētecaptus &c.blasphemātes.

16 Nec eum incurrit, qui in Corde, & sola mente blasphemiam concipit.Quia ad incurrendam blasphemiam reservatam, requiritur ut illa prodeat in actum externum; Cum Ecclesia de internis judicium non faciat.

17 Neque ligatur,ut probabiliter docent cum communi,qui tantum signis,aut factis blasphemat. Quia blasphemia appellatur vitium linguæ,& opponitur laudi Dei,quæ solis verbis exibetur;Et etiā liquet ex ipsius blasphemiæ definitione, quæ definitur,esse *verbum contumeliosum contra Deum*.

18 Sicuti aliquando neque ligatur,qui tribuit

tribuit creaturæ, quod est proprium Dei; ut cum lascivi vocant eorũ *amasiam* summe potentem, sapientem &c. Quia sensus eorum est, velle per hanc *hyperbolem* indicare æstimationem, & magnum amorem, quem erga illam habent.

19 Casum effugiunt quicumque optando, aliquid proferunt fidei contrarium, ut Dei maledictiones; ut si quis dicat: *sit maledictus Deus, tædeat Deum: displiceat Deo vi lit nolit Deus* &c. Quia per has nihil falsi de Deo per modum indicativi modi, ut docet cit. Sanchez, dicitur; sed tantum ostenditur pravus affectus blasphemantis. vide tamen, quæ docet Suar. *to. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 5. n. 5.*

20 Etiam ipso facto incurrunt excommunicationem reservatam Episcopo audientes blasphemos, blasphemantes Deum Virginem, aut Sanctos, & non denunciantes Episcopo, Vicario, vel Ministro generali supremæ Inquisitionis, ut patet in cit. Syn. *de blasph. n. 3.* adeoque tenentur audientes tales blasphemos denunciare, non tantum ex obedientia erga superiorẽ præcipientem, qui virtute Religionis præcipit; sed etiam ex dictæ Religionis virtute ad fidem, Deique honorem tuendum, Cum non debeant opprobria simulare ejus, qui proba nostra delevit, docent Suarez, *lib. 3. de leg. cap. 30. n. 7.* & Vasq. *disp. 98. cap. 2.* Imò & si delictum sit occultum. Quia superior ex tali denunciatione, magis evigilabit.

Sed hodie hisce oculis vidi multos audientes quosdam impios, & hæreticales, & præcipuè in lucis, blasphemos & non solũ non denunciat illos; Sed neque exprobrãt, vel monent, aut corripiunt, ut deberẽt ad læsum Dei honorem defendendum; sed potius ad risum provocantur. Bone Deus! quàm longe recedunt homines à Catholica Religione! Videmus enim, quod si pater, non dico filium, aut famulum, sed vilem canem ab aliquo lædi audiat; in eum insurgit, & excandescit; & tamen nos indiem videmus Redemptorem nostrum, Sãctissimamque ejus Matrẽ, Sanctosque cum eo regantes atrocissimis affici blasphemiis & obmutescimus.

21 Igitur confessarius, pro praxi pœnitentium hoo atroci crimine innodatorum primò animadvertere debet, an blasphemans detineatur aliquo errore, in intellectu, circa veritatem Catholicæ fidei, & sit cum pertinacia. Quia tunc pœnitens censetur hæreticus, & innodatus excommunicatione *Bullæ Cœnæ*, à qua extra articulum mortis non potest absolvi, nisi à summo Pontifice, vel ab ejus specialiter Delegato. Quando verò nullum habet errorẽ in intellectu, tunc si sit Episcopo reservata, debet prius obtinere facultatẽ ab illo, aliter præter nullitatẽ absolutionis, incidit Confessarius in pœnas contra præsumentes absolvere à casibus reservatis, de quibus agetur *disp. 3. q. 2. cap. 7.*

Secundò animadvertere debet, an Penitens habeat cõsuetudinẽ blasphemandi, & an sæpè fuerit de ea in aliis confessionibus admonitus, & apposuerit omne studium ad eam evellendam; Et quia tunc, & si non sit hæreticalis, si blasphemaverit ultra quatuor vices, incurrit casũ quintũ sine censura, dequo *in q. 2.* Et etiam, quia postquàm de ea fuerit admonitus, & nullum studium apposuit ad eam evellendam; tunc potest differri absolutio. At si apposuit illud; & doleat de preteritis, & in posterum se emẽdandum firmiter proposuerit; tunc potest absolvi. Quia nullam, ut supponitur, occasionem externam habet, & ex sola carnis fragilitate labitur, sicut in alia vitia. vide Vivam, *in prop. 58. & 60.* ab Inn. XI. damnatis.

22 Ideoque severissimam pœnitentiam debet pœnitenti Confessarius, pro tali detestabili crimine, imponere; & curet in recidivo, ut eradicetur occasio; ita ut si ex ludo accidat, non ludat. Et si non se emendaverit, differat absolutionem, neo absolvat, nisi viderit emendatum. Quia qui in præteritis confessionibus non fuerunt correcti, credi potest, quod nec in posterum corrigantur. Nec credendum, si dicant, quod ex ira blasphemaverint. Quia Spiritus iræ, & indignationis sedari potest prolatione aliorum verborum, ac sedatur prolatione blasphemiæ.

Ad extremum, confessarius potest se gerere cum pœnitentibus blasphemis, juxta praxim, quam tradit Cabrinus *in Elucidario cas. reser. pag. 234.* circa finem, nẽpe primò præcipiendo illis, ut octies, vel decies lambendo terram, efformẽt Cruces: Secundò, ut durante mense, flexis, nudisque genibus integrum Rosarium recitẽt: Tertio, ut ad terrã proni, toties Deũ laudent, quoties blasphemiis affecerunt; & demum, ut jejunia, disciplinas &c. frequentent.

CAP.

CAPUT II.

Casus secundus cum censura reservatus:

Homicidium voluntarium, tam quoad committentes, tam quoad mandantes.

PARS I. HUJUS CASUS.

Homicidium voluntarium quo ad committentes.

APOPHASIS.

1 *Quàm sit grave homicidii flagitium?*

2 *Quale homicidium reservetur in hac Diœcesi?*

3 *Homicidium, aliud est voluntarium Directum in se, & expressè volitū, aliud indirectum, & in causa propinqua, vel remota, & aliud voluntarium mixtum.*

4 *Homicidium, aliud est merum casuale, & inculpatum; aliud mixtum.*

5 *Hominis cædes dupliciter committitur, lingua, & facto, & hoc quatuor modis.*

6 *Homicidium strictè voluntarium requiritur ad incurrendum hunc casū*

7 *Quid primò attendere debeat confessarius in hoc casu homicidii?*

8 *Homicidium voluntarium, committi potest, vel priuata, vel publica authoritate.*

9 *Reservatio homicidii, comprehendit etiam homicidium morte digni, si privata authoritate fiat.*

10 *Quæ conditiones requirantur, ut banniti possint à privato occidi?*

11 *An possint proscripti inter seipsos invicem interfici.*

12 *Non incidit in casum reservatum bannitus occidens aggressorem. At si occidat publicos lictores, vel carnificem, à quibus ducitur ad carcerē, vel supplicium probabiliter incidit in casum.*

13 *Probabile etiam est, quod incurrant casum occidentes bannitum extra territorium proscribentis; si non adsit licentia saltem præsumpta Principis illius territorii.*

14 *Non potest bannitus, licitè occidi, quando ducitur captus à familia Potestatis, nisi resistat; Neque sponte præsentatus ante Prætorem. Secus per viam, nisi data est securitas.*

15 *Injustum invasorem, quilibet prævenire, & occidere potest, concurrentibus certis conditionibus.*

16 *In quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ. Qui contra injustum aggressorem adhibet majorem vim, quàm necessarium sit, excedit dictum moderamen.*

17 *Sæpissimè excusatur invasus, quamvis excedat moderamen inculpatæ tutelæ.*

18 *Quando aggressus potest fugere sine periculo vitæ, vel rerum familiarium, famæ &c. tenetur fugam arripere, quod est certissimum de Clericis, & Religiosis.*

19 *Tamen invasus sive Ecclesiasticus sit, sive sæcularis, si resistat aggressori, & occidat, non peccat contra justitiam, & consequenter neque Reservationem incurrit.*

20 *Non tenemur vitam spiritualem proximi preferre vitæ nostræ corporali, aut bonis fortunæ magni momenti, quando sua sponte proximus in discrimen vitæ spiritualis se conjecit.*

21 *Quando vim vi repellere non liceat?*

22 *Non est licitum occidere inimicum se preparentem ad occidendum.*

23 *Quando aggressionis actus censeatur moraliter inchoatus?*

24 *An Vxor adultera possit occidere maritum actu paratum ad ipsam occidendum; sicuti qui novit venenum sibi paratum. & an provocatus, possit acceptare duellum &c. si aliud remedium evidendi vitam non habeat, dubitant DD.*

25 *Idem docent de iniusto insidiatore vitæ, si monitus nolit desistere, & ejus insidiæ alia via vitari nequeant quamvis contrarium doceat Lessius cum communi.*

26 *Probabiliter etiam innocens per accidens occidi potest, ad salvandam vitam.*

27 *Et si in dictis, & similibus casibus, aggressus, mortaliter peccare possit, nullam Reservationem incurrit, si aggressorem præveniendo eum, occidat.* Li-

28 *Licitum est aggressorem, vel raptorem occidere pro defensione facultatum magni momenti.*

29 *Quę sint facultates exigui momenti?*

30 *Potes cum tuo equo insequi furem pro re tua recuperanda, & si opus esset occidere, dummodo in tutum non dum se recepit, & quando per Judicem non potes illam recuperare, potes ingredi locum, ubi illam detinet, eamque tibi vindicare, dummodo res tua adhuc extaret in individuo, quamvis non tenearis ad restitutionem, si in compensationem ęquivalens auferas.*

31 *Dicta de defensione bonorum fortunę, habent etiam locum in defensione honoris, & pudicitię.*

32 *Etiam pro defensione proximi, imo pro illius fortunis, & honore licitum est injustum aggressorem occidere, & maxime, si sit sanguine conjunctus, quamvis non teneamur cum nostro gravi incommodo, nisi invasus esset persona publica, & tunc probabiliter docent, quod nec fiat irregularis.*

33 *Non est homicidii reus, qui negligit necem hominis impedire, cum facilè possit, nisi teneatur ex officio, & justitia impedire.*

34 *Tenentur etiam vitam privata authoritate oppugnatam, defendere Principes, Magistratus, Pretores, Tutores, Curatores &c. quamvis non incurrant Reservationem: si omittant.*

35 *Incidit in Reservationem, qui inimicum suum, quamvis malefactorem, & morte dignum occidit; sicuti etiam, qui alteri punctim circa pręcordia, vel cęsim circa caput percutit, sciens ex tali vulnere sequi mortem, & si illam non intenderit, aut etiam expressè excluderit.*

36 *Incidunt etiam satellites, qui suscepto à magistratu mandato capiendi malefactorem, illum occidunt, cum non possent capere.*

37 *Homicidii, & Reservationis est reus malefactor, qui studiosè publicę justitię ministros ipsum capere volentes &c. occidit.*

38 *Innodatur Reservatione occidens volentem, & consentientem. Item occidens privato jure in carcere detentū & si sciat esse morte plectendum; ac etiam milites non coacti, sed sua sponte occidentes adversarios, in bello manifestè injusto.*

39 *Reservationis jaculo feriuntur, qui adversarium impetunt, & occidunt, & si ignoretur, ex quorum percussione ille occisus fuerit, si verò plures impugnent, & unus lethale vulnus inflixerit, is solum incurrit Reservationem.*

40 *Si unus sociorum lethaliter vulneravit adversarium, qui à consociis postea fuit occisus, ex Graf. qui occidit, Reservatione ligatur; secus quando mortaliter non est vulneratus, sed ob supervenientes febres moritur, tunc standum est judicio peritorum in arte.*

41 *Incurrit maritus, pater, frater, qui studiosè data uxori, filię & sorori, ansa turpiter agendi, eos in fragrāti crimine occidunt. Secus dicendū si casualiter, vel corā testibus inventas justo dolore compulsi, eas statim interficiant.*

42 *Non tamen incurrunt hunc casum mater, aut nutrix cubantes in eodem lecto cum periculo suffocandi infantē, si illum tandem suffocarunt.*

43 *Et si quis causam se aggrediendi alteri dederit, & si aggressio sit i justa, si aggressorem cum moderamine occidit, nec incurrit reservatum, nec est homicidii reus.*

44 *Excusatur etiam à Reservatione adulter invasus à viro adulterę cum occidendo, imo & potest illam defendere, sicuti etiam excusatur occidens invasorem, & si non servetur dictum moderamen.*

45 *Nec incurrit femina occidens invasorem suę pudicitię, nec masculus coactus ad vitium nefandum, si alia faciliori via, se tueri non posset, imo & si posset, nec incurrit, licet peccet contra Charitatem.*

46 *Nec incurrit medicus mercede conductus, etiam doloso animo infirmum decedere permittens; Neque Dives pretermittens pascere pauperem fame pereuntem.*

47 *Non innodatur occidens furem, quem constat venisse dem m animo furandi.*

48 *Nec mulier dans venenū suo viro; si non sequatur mors, casu ligatur.*

F Sub-

49 *Subjacet Reservationi falsus testis, qui fuit causa ut innocens damnaretur ad mortem, si positivè, & efficaciter in necem insinuat. Secus dicendum de causis negativis.*

50 *Non licet innocenti, occidere falsum accusatorem, falsos testes, judicem &c. si ab iniqua sententia non potest aliter suam vitam defendere. Nec furiosus, vel infans occidens aliquem.*

51 *Nec probabiliter incidit ille, qui se inebriat, ut occidat. Neque ille, qui subita ira calet, vel aliter in utero percuteret prægnantem si sequatur abortus fœtus animati, dummodo non intenderit.*

52 *Nec reservatione innodatur, qui pro Petro, occidit Paulum nec qui inflixit vulnus, credens, ex eo mortem non secuturam.*

53 *Nec telo Reservationis feritur, qui inflixit non lethale vulnus adversario, quem intendebat occidere, licet intereat ex alia causa, quę vim nocendi à vulnere accepit. Nec, qui leviter sauciavit aliquem, qui postea mortuus est ex Medici, vel Chirurgi imperitia.*

54 *Vulnerans lethaliter potest absolvi à simplici confessario antequam mors sequatur neque tenetur pœnitens iterū confiteri peccatū homicidii ipso secuto. Idem de procurante abortum dicas.*

1 EST tam horrendum, & immane, homicidii flagitium, ut hujus sceleris gravitatem, non solum ostēdit Ecclesia, quæ sanguinarios homines ab altaris ministerio, perpetuò arcendos decrevit; Sed Deus ipse pluries, in sacra scriptura, inhumanos homicidiarios mortis pęnam subire debere, statuit, ut Exod. 21. vers. 12. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*, & Lev. 24. 17. & Gen. 9. 6. eadem pęna stabilitur; imo tàm illud detestatur, ut vel à bestiis, hominum cædes, se repetiturum minetur. Et meritò; sunt enim homicidæ humani generis hostes acerrimi, qui quantum in ipsis est universum Dei opus evertunt, cujus gratia *Cunctipotens* omnia creavit; & ideo nō mirum si lex civilis contra tale facinus committentes, mortis pœnam statuat, ex l. Cornelia; & ideo etiam omnes ferè Ordinarii illud suo peculiari judicio reservāt.

2 Reservatur secundo, in hac Diœcesi, *cum censura*, homicidium voluntarium, nempe injusta hominis occisio, hoc est volita, seu intenta sive in se, sive in causa, (& ideo particulam illam *voluntarium*, ob claritatem casus, apposuit Legislator. Abundans enim cautela non nocet in iis, quæ ad Animarum salutem, maximè spectant) & non solum quoad cōmittentes, sed etiam quoad mandantes. Ideo primò agetur *de committente*, secundò *de mandante*, & demum etiam *de consulente*; ex eo quia in multis Diœcesibus, etiam *consulentes* ligantur Reservatione. At ne in tenebris simus, in resolutione difficultatum hujus casus homicidii; primo videndum est, quot modis homicidium possit esse voluntarium.

3 Et dicendum cum Tamb. *lib. 1. c. 3. de Voluntario*, §. 2. Martino Vingandin, *tract. 3. exam. 1. pag. mihi 37.* & Laym. *lib. 3. to. 3. par. 2. c. 4.* quod voluntarium aliud est *Directum* in se, & expresse volitum; Aliud *Indirectum*, & in causa. *Directum*, est illud, quod ex positivo voluntatis influxu procedit, seu quod studiosè, & ex deliberato, pravoque animo, committitur, & dicitur homicidium *ex proposito*, & plenè voluntarium. *Indirectum*, seu in causa, nempe quando interpretativè intervenit culpa, sed non dolus, est illud, quod voluntas intendit, non in se, sed in causa admodum propinqua, ex qua mors suapte natura, consequi solet; ut si quis aliquem vulneret, & sciat, quod ex tali vulnere, soleat consequi mors; tunc etiam homicidium intendere censetur.

Aliud dicitur voluntarium *in causa remota*, ut si quis in ebrietate rixari solitus, si voluntariè se inebriet, & occidat hominem, homicidium dicitur ei voluntarium *in causa remota*. Quia ex ebrietate, suâ naturâ, non solet consequi hominis occisio.

Aliud est voluntarium *mixtum*, ut si quis ex metu gravi, alteri mortem inferre cogeretur. Esset enim tale homicidium simpliciter voluntarium, & conditionatè involuntarium, si nempe metus intentati mali abesset: Vide Laym. *lib. 1. tract. 2. c. 3.*

4 Demum homicidium aliud est merum *casuale*, & inculpatum, nempe, quod præter intentionē operātis, & raro evenit, seu est illud, quod nullo modo, sive in se sive causa fuit intētū, sed omnino casu accidit. Aliud dicitur *casuale mixtum*, nempe illud, quod partim est casuale, partim voluntarium-

luntarium;casuale quidem in se, sed voluntarium in causa,non omnino remota, adeoque aliquo modo culpabile, ut supra dictum est;Laym-*lib.3. de justit. tract. 3. par:3.cap.4.*

5 Homicidium, quod ab hominis cæde ciditur, dupliciter fit, *lingua*, & *facto*. De primo non loquimur, cum parum faciat ad hanc materiam. *Facto*, committitur quatuor modis, *justitia*, *necessitate*, *casu*, & *voluntate*. *Justitia* fit à Judice jubente occidi hominem, ob aliquod crimen, mortis reum; & hac occisio est licita.Homicidium *ex necessitate* inevitabili, nempe quando quis non potest evadere mortem,nisi interficiat aggressorem; & hoc etiam est licitum, si servetur *moderamen inculpatæ tutelæ*;juxta dicenda n.16.adeoque nulla pœna dignum. *De voluntario*,& *casuali*,dictum est supra.

6 Quia materia Reservationis, ut diximus *disp.1.*est odiosa; ideo strictè *voluntarium* sumendum est, ut incurratur hic casus,idest homicidium debet esse voluntarium,vel *in se* (hoc est dolo,& malo animo commissum), vel saltem voluntarium *in causa proxima*,quod æquiparatur homicidio *studiosè*,& *ex proposito* patrato.

7 Unde in homicidio confessarius ante omnia attendere debet: casu ne, an verò culpa, dolo, sive voluntarie factum sit? Quia non quælibet occisio, etiam si culpabilis; sed tantum homicidium voluntarium, in hac Theanensi Diœcesi,reservatum est.

8 Ulterius etiam, ut claritatem amemus,notandum est, homicidium voluntarium adhuc dupliciter esse, unum, quod *privata*, alterum quod *publica* auctoritate committitur.Hocque Principes,& publici ministri,licitè committunt; si delicta mortis pœnam mereantur: Quia jus puniendi delinquentes habent.*Privatum* committunt omnes alii, qui extra necessariam defensionem occidunt etiam nocentes:Quia non cuivis è populo licitum est noxios, & Reipublicæ maleficos punire,& occidere. Ut enim docet Cajet.in 5. *Decal.præcepto*, non solum prohibetur occisio hominis innocentis, sed etiam nocentis propria authoritate facta, extra necessariam defensionem.

9 Ideò reservatio homicidii comprehendit etiam homicidium morte digni,si privata authoritate fiat quod est verum etiamsi fiat ad punitionem delinquentis, & ad bonum publicum. Quia procuratio boni publici pertinet ad Potestatem,puta ad Principem,vel magistratum.

10 Et quamvis proscripti, seu banniti possint licitè ab homine privato occidi, absque timore reservationis, & aliarum pœnarum incursione; tamen eorum occisio fit *publica*, non *privata* auctoritate. Quæ occisio exto in conscietiæ foro,cuivis è populo commissa sit,teste Julio Claro,§.*homicid.n.54.*& Finell.*4.cas.reser.n.41.* non tamen absolutè, sed præcedentibus sequentibus,conditionibus.

Prima est,ut per publicam sententiam, omnibus sit data facultas bannitum occidendi. Secunda,ut banniti existant intra territorium Principis proscribentis, & non pendeat appellatio. Tertia, ut fiat zelo publicæ Justitiæ, non odio,aut vindictæ privatæ causa. Quarta,ut excipiantur parentes, liberi, uxor, & cœteri, qui proscriptum alere tenentur; Jus enim civile,Jus naturale non tollit.Tantum abest,ut occidere possint, nisi actualis ille Reipublicæ hostis existat, Clar.*n.59.*Sà, *ver.bannitus*,Peja *par.1.cas.43.*Finell.*n.41.*& Laym.*lib.3.tr.3.p.3.cap.2. n.2.*

11 Addunt cit.DD. proscriptos posse, seipsos invicem occidere, tum quando est propositum ipsis premium à Principe, tum quando promissa est libertas, eo quod agant publica authoritate ob commune Reipublicæ bonum; licet contrarium sentiant alii cum Pon.*de contr. disp.2.q.ult. sect.1.pun.2.*Quia bannitus,se exponit periculo damnationis, si in eo statu proditoriè occidatur.

12 Si tamen bannitus se defendendo occidat aggressorem, an homicidium voluntarium,reservationi obnoxium, committere censeatur?

Negant cit.Jul.Clar.*n.68.* Quia bannitus jus se defendendi non amittit; Cum defensio sit de jure naturali, quo Judex eum privare non potest. Sed communiter alii cum Laym.cit.affirmant. Quia tunc aggressor, cum publicæ Justitiæ minister sit,jus habet proscriptum occidendi;ideoque injuriam ei infert, & publicæ Potestati resistit, si se defendendo,aggressorem occidat.Docet enim DD. *in l. 1. C. unde liceat unicuique sine Judice, se vindicare*, quod non est permissa defendendi facultas, ubi offendendi data est libertas

Verum posito, quod juxta opinionem Layman peccet (quod esse rere esset contra sententiam Julii Clari). Tamen dico, quod non incurrat casum reservatum. Ratio est quia homicidium plenè voluntarium, & undequaque liberum, Reservatio comprehendit, homicidium, inquam, dolosè, & præmeditata opera factum, quod non habetur in bannito aliquem pro sui ipsius defensione occidente; Nec Judex potest eum spoliare jure naturæ se defendendi, Felix Potest. *to.1. p. 2. in V. decalogi prae.n.* 1052. Tamb. *in Decal.lib. 6.c.1.§.1.n.5.* Verum si aliquis Reus occidat publicos lictores, & carnificem, à quibus ducitur ad cercerem, vel supplicium, incidit probabiliter in casum.

13 Si bannitus extra fines territorii proscribentis existat, & non haberetur licentia saltem rationabiliter præsumpta illius Principis intra cujus dominium existeret; tunc probabiliter tenent, reservationem incurrere, qui proscriptum extra territorium interficit. Quamvis contrarium, ut probabile, teneant nonnulli asserentes, bannitum per sententiam justam, ubique posse occidi. Quia sententia afficit personas etiam extra territorium existentes. Et etiam quia Reipublicæ interest, illos è medio tollere, ne revertentes cædibus, & rapinis, Provincias infestent.

14 Tamē non potest bannitus licitè, & impunè occidi à privato, quando ducitur captus à familia Potestatis. Quia postquā est captus, non licet occidere, sed debet in carcere servari, Bart. in *5.transfugas*. Tum etiam quia, qui veniunt de necessitate ad civitatem dicuntur habere securitatem à lege, adeoque non licet occidi. Potest tamen impunè offendi à dicta familia, si resistendo nollet pati, ut duceretur: Nec potest occidi sponte præsentatus ante Prætorem, quamvis possit occidi in via, nisi data esset securitas. Quia non est verisimile, quod Prætor permittat eum recedere, Grafi. *lib.2.par.2. decif. aur. cap.19. à num. 7.*

15 Certum tamen est, injustum invasorē, quilibet prevenire, & occidere posse, concurrentibus sequentibus conditionibus *L. ut vim ff. de Justitia, & Jure.* 1. ut invasor injustè invadat. Nam vim vi repellere, leges omnes permittūt, ait Alex III. in *cap. si vero de sent. excom.* 2. ut occisio non fiat post factum, hoc est postquā aggressor desistat à percussione: Quia tunc non defensio, sed ultio esset. 3. ut invasus probabiliter credat, se graviter ledendum, vel occidendum, nisi vim vi repellat, aut invasorem occidat, & quod non possit evidenter alia via impedire, Viv. in *prop. 17.* dānata ab Alex. VII. *n.4.* Ultima est, quod servetur *moderamen inculpatæ tutelæ*.

16 *Moderamen* inculpatæ tutelæ, consistit in hoc, quod invasus cōsideratis circumstantiis loci, & temporis, armorum, personarum &c. rationabiliter existimet contra injustum aggressorem, vel insidiatorem faciliori modo se defēdere non posse, nisi ipsi resistendo, præveniendo, vulnerando, occidendo. Unde, qui contra injustum aggressorem adhibet majorem vim, quam necessarium sit ad arcendam injuriā & tuendam vitam (ut cum sufficiat ad injustam vim repellendam, alapā infligere, amputet brachium, vel cum sufficiat brachium, omnino occidit), non servat moderamen inculpatæ tutelæ.

Ideo notandum ex Graff. *lib.2.decif. aur. de homicidio cap. 19.n.27.*, quod moderamen consistit circa tria, nempe in *factorum qualitate: in temporis congruitate: & in necessitatis inevitabilitate*. Igitur primò debet adesse paritas in factorū qualitate, ut nempe offensus sine armis, non possit cum armis offendere, nisi aliud suadeat virium inæqualitas *Temporis congruitas* consistit, quod non possit post rixam separatam, sed in eodem actu. *Necessitatis inevitabilitas*, ut non possit quis alia via vitam evadere; nisi se defendendo. Ex defensione enim dicitur fieri, quod fit ex necessitate, Less. *lib.2.c.9.n.43.* Diana *par.5.tract.4.resol.9.* & *Laym. loc. cit.*

17 Verum tamen est, quod invasus sæpissimè excusatur, si in tali eventu statim percutiat, non expectata omnimoda invasione, vel percussione, & si postea deprehendat, se *moderamen* excessisse, eo quod in tali casu, plerumque non suppetat tēpus omnia perpendendi, & ob perturbatam, subito motu vel iræ, vel timoris, rationem, ad omnia non adverterit; sed tantum ne nimis sera esset defensio, cum præsertim nobis innotescat, quo animo adversarius, occidendi ne, an solum percutiendi, nos invaserit?

18 Ex dictis deducitur, quod & si possit aliquando interfici invasor vitæ, quando

do non potest tale malum aliter declinari; tamen, si aggressus potest sine periculo vitæ, aut rerum familiarium fugere, ad id tenetur, imitando Christum Dominum, qui cum ab Herode ad necem quæreretur, Ægyptum versus, fugam arripuit, *Matth.* 2. 23. Quod potissimum est verum de in- famia sine tamæ. Quia hoc malum declinari potest; & esset ultio non defensio, fugam non arripere.

De Clericis, & Religiosis, quorum laus ut docet Laym. non in usu verborum, & audacia, sed in humilitate, & patientia consistit, & eorum fuga, illis non vertitur probro, sed honori; omnino fugere tenentur, si possunt, ad tuendam vitam, *Cov. Abb. Clar. & apud Lex. n.* 44. Sic etiam tenetur filius fugere patrē; & frater, fratrem. Quia illorum fuga, ut docet Viva *in prop.* 17. *damnata ab Alex.* 7. *n.* 5. non timiditati, sed pietati ascribitur.

19 Tamen certum est, quod invasus, sive Ecclesiasticus, sive Secularis, si non fugiat, sed aggressori resistat, eumdemque occidat, non delinquit contra justitiam, neque ad damni refectionem obligari. Siquidem aggressori propriè injuriam non infert, cum is ultro in tale periculum se coniiciat, & quantum in ipso est inferendi sibi damnum, potestatem fecisse censetur, Less. Dia. Laym. &c. Seclusa autē injuria, seclusa erit læsio justitiæ; & consequenter homicidii voluntarii crimen, reservationi obnoxium, nō committeret; Siquidem homicidii peccatum, virtuti justitiæ adversatur.

20 Neque tenemur, secundum ordinem Charitatis, vitam spiritualē proximi præferre vitæ nostræ corporali, aut bonis fortunæ magni momenti; quia quando proximus, sua sponte, & propria malitia, in discrimen vitæ spiritualis se coniicit, non dicitur esse in extrema necessitate, proindeque iniquus aggressor propriæ vitæ jacturam, sibi debet imputare. Nam tunc privatus non intendit hominis occisionem per se, sed per accidens, quatenus est necessaria ad propriæ vitæ defensionem, quæ naturali Jure, cuilibet competit, quatenus est custos vitæ suæ, à quo etiam habet, ut vim vi repellere possit, Nav. Laym. &c.

21 Sed nota, quod vim vi repellere non licet. 1. cum vis justè infertur, ut à patre respectu filiorum, aut Domino respectu servorum; Quia possunt illos castigare, dummodo moderatè castigent. 2. si inferatur à persona publica. 3. quando repelleret ex intervallo. 4. quando repelleret immoderatè.

22 Ex dictis infertur, non licere occidere inimicum, quem scio, se præparare ad me occidendum, ipsum præveniendo, antequam is saltem moraliter incæperit actū aggressionis. Quia ante dictum actum, nulla vis infertur, quæ sit repellenda; aliter non esset defensio, sed occisio, privata authoritate facta.

23 Tunc autem aggressionis actus censentur moraliter inchoatus, cum iniquus aggressor habet omnia prompta ad necem inferendam, & sistit se in loco, quasi in insidiis, ad alterum occidendum, Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. *n.* 41. Mol. Dia. Bass. Bon. *de restit. disp.* 2. *quæst. ult. sect.* 1. *punct.* 9.

24 Ex hac doctrina resolvunt, licitum esse uxori adulteræ occidere maritum actualiter paratum ad ipsam occidendam, nisi fuga, vel alio modo possit se tutā præstare. Sicuti; qui novit venenum actu sibi paratum ad occidendum, potest illud in auctorem convertere, si alia spes evadendi non habeat. Porrò provocatus ad duellum potest illud acceptare; si aliud remedium pro evadenda morte non adsit. Et præterea docēt posse cogi verberibus maleficam ad desistendum, imo posse occidi; si magicis artibus assiduè per dæmonem noceat. Dummodo certò constet suis veneficiis, mortem machinari, & aliam viam evadendi mortē non habeat. Et ideo Nav. Bass. & alii docent licitum esse uxori prævenire maritum, quem scit sub Cervicali ad eam enecandam, pugionem habere: si aliud remedium non suppetat.

At dicta mihi parum arridēt. Tum quia defensio debet esse in ipso actu aggressionis, nempe ut se defendat à volente immediatè aggredi, ideoque non potest uxor prævenire maritum, qui non dum in insidiis pro ipsa occidenda positus est; etsi habeat arma actu præparata, ob rationem *n.* 22. traditam.

25 Idem, cit. *AA.* affirmant de injusto vitæ insidiatore, saltem eo casu, cum insidiator aliquoties monitus, nolit desistere, ejusque insidiæ alia via vitari nō possunt. Nemo enim tenetur perpetuò intra domū se concludere, vel in alias regiones demigrare, ut vitæ suæ consulat. Tamen hoc non placet Lessio, *dub.* 8. *n.* 46. Tum ob pe-

riculum abusus; Tum quia hoc rarò accidit, ut non suppetat alia via mortem vitandi. vide dicta *n. antecedenti.*

26 Quibus addo cum Cajet. Cord. Laym &c. contra Nav. non solum aggressorem, & insidiatorem, sed etiam innocentē per accidens occidi posse, si impedimento sit ad salvandam vitam: ut si quis in angusta via dormiens jaceat, & necessario sit conculcandus à fugientibus hostem.

27 In dictis enim, & similibus casibus, si quis aggressorem, vel insidiatorem præveniendo occidat, & si mortaliter peccare possit (vel contra Charitatem, si tuendi aderat alia ratio; Vel contra justitiam, si ante moraliter inceptum actum aggressionis, vel si excedat moderamen inculpatæ tutelæ, aut leges Divinas, aut humanas transgrediatur, (ut in acceptāte duellum), nullam reservationē incurrit. Quia hujusmodi occisiones longe recedunt à ratione homicidii voluntarii in Jure expressi, quod, ut dictum est supra, requirit quod homicidium dolo, pravo animo, studiose, & ex proposito fuerit commissum.

28 Etiam licitum est, aggressorem, vel raptorem interficere pro defensione facultatum magni momenti, quando per Judicem alia via liberari, aut recuperari non possunt. Quod Jus competit etiam Clericis & Religiosis, ex *c. olim*, & ex *c. dilecto*; & docet cum comm. Less. *d. lib. 11. n. 72.* & Viva *in prop. 17. Alex. VII. n. 6.* Si quidē universis, quibus concessa est defensio vitæ, etiam rerum suarum, concessa est. Jura autem afferri solita in contrarium, intelligenda sunt, quando non servatur *moderamen inculpatæ tutelæ.*

29 Dixi *si facultates sunt magni momenti.* Nam pro re minima non conceditur ius defensionis cum tanto alterius dāno. Res autem modici momenti pensanda est ex qualitate, & circumstantiis personæ cui aufertur. Tamen communiter res exigui momenti censenda est, quæ non excedit valorem trium, quatuor, aut quinque aureorum, Bon. Dia. *par. 5. tr. 4. resol. 18.* & Viva *in cit. prop. 17. n. 10.*

30 Sicque potes cum tuo equo insequi furem, & si opus esset eminus telo petere; Quia adhuc invasio durat. Secus si raptor in tutum se recipit, remque pacificè cœpit possidere. Et quando per Judicem non potes rem tuam recuperare, potes ingredi locum, ubi illa detinetur, eamq. tibi vindicare; & si alter vi impediat, vim repellere potes; dummodo tamen res tua apud furem adhuc extaret *in individuo*, ut idem equus, bos, pallium &c. Si quidem tunc durat injusta rei alienæ detentio. Secus si non extaret, *in individuo*. Nam talis actio potius diceretur *aggressio*, quàm *defensio*, licet tunc non sis furti reus, nec tenearis ad restitutionem, si in compensationem æquivalens auferatur. Quia accipis, quod tibi ex justitia in pretio debitum erat, licet aliquando sit illicitum, si non serventur leges requisitæ ad compensationem. Tamen non eris reservationi obnoxius.

31 Quod dictum est de bonis fortunæ, multo magis locum habet in defensione honoris, & pudicitiæ, si ita necesse sit ad eorum defensionem: Quia honor, & injuria personæ pluris valent, quàm fortunæ bona.

32 Etiam pro defensione proximi, licitum est invasorem occidere in iis casibus, in quibus ille potest propriam vitam defendere, si aliter non posset evadere. Quia licitum est cooperari ad bonum, & suscipere partes innocentis, qualis est proximus, qui injustè invaditur; Uti sæpè tenemur, ex lege Charitatis, auxilium ferre innocenti contra nocentem, si absq. nostro magno incommodo possumus: Et non solum vitam, sed etiam honores, & fortunas fas est nobis defendere, quando proximus opem nostram efflagitat, vel id suadet Charitas; & potissimum, si injuriam patiens, sit nobis sanguine junctus, (cujus injuria in nos redundat). Ad quod tamen non tenemur cum nostro gravi incommodo, nisi invasus esset persona, cujus salus cederet in bonum publicum. Ideoque docent, quod, qui injustum Reipublicæ, vel hominis innocentis invasorem occidit, vel mutilat (cum ad hoc naturali, & Divino Jure teneatur) non fit irregularis. Quia quando per se obligant justitia, pietas, & Charitas, non adest defectus lenitatis, seu mansuetudinis; aliter una virtus alteri repugnaret. Secus dicendum pro defensione famæ, honoris, & bonorū: Quia potius nostra debemus amittere, quàm interficere, Clem. *un. de homicidio.*

33 Nec etiam est homicidii reus, qui hominis necem, cum facile possit impedire, negligit, si tantum ex lege Charitatis teneatur. Secus si teneatur ex officio, & justitia innocentis necem impedire, & cul-

culpabiliter intermittat. Quia tunc, ut homicidii reus, profectò, & irregularis est habendus.

34 Tenentur etiam ex justitia, alterius vitam, privata authoritate oppugnatam, defendere Princeps, Magistratus, Prætores &c. Item tutores, & Curatores, milites, medici, & Chirurgi, si infirmum ex morbo decedere permittant, liberi respectu parentum, & è converso; licet hi casus non comprehendantur in reservatione, quæ non intelligitur de homicidio, per actum tantum negativum (quamvis interveniat culpa) permisso. Quia homicidium dolo, pravoque animo factum, tantum comprehendit.

35 Unde incidit in reservationem, qui inimicum suum, quamvis malefactorem, & morte dignum, occidit. Quia occidere ad punitionem, solum ad Principem, & Magistratum spectat. Item, qui alterum punctim circa præcordia, vel cæsim circa caput, percutit sciēs ex tali vulnere regulariter sequi mortem (etiamsi eam non intenderet, vel expresse excluderet) effectu tamen secuto. Quia illa exclusio videtur impertinens; cum impossibile sit velle antecedentia, hoc est lethalem vulnerationem, & nolle consequentia, videlicet homicidium, quod tunc est in causa proxima voluntarium.

36 Incidunt etiam satellites, qui suscepto à Magistratu capiendi malefactorem mandato, illum occidunt, cum capere non possint. Tum quia malefactori, publicè non condemnato, competit jus fugiendi. Tum quia Satellites excedentes limites publicæ Potestatis, perinde est, ac si privata authoritate interficiant.

37. Delinquit etiam, & reservationem incurrit reus, qui publicæ Justitiæ ministros ipsum capere, & in carcerem detrudere, vel ad supplicium trahere nitentes, studiosè occidit. Quia ex officio, & publica authoritate id agunt.

38. Idem dicendum de illo, qui volentem, & consentientem occidit. Quia nemo est dominus suæ vitæ, sed custos. Eadem reservationis dispositio extenditur ad occidentem reum in carcere detentum, privato jure; etiam si sciret, per judicis sententiam, illum esse morte plectendum. Eadem reservatione afficiuntur milites, qui in bello manifeste injusto, innocentes, vel adversarios sponte sua, non coacti à Principe, depugnant, Chap. *de cas. reser. cas. 3. de homicidio quæst. 1. difficul. 18.*

39 Si plures prævio consilio, adversarium impetant, & occidant, si ignoretur ex cujus, vel quorum percussione ille occisus fuerit; tunc singuli, sicuti præsumūtur homicidæ voluntarii, homicidiumque studiose, & appensatè commisisse, ita singuli reservationis jaculo Sauciati censeri debent, Floronus *de cas. reser. par. 2. cas. 4. n. 42.* Si verò plures adversarium impugnent, sed unus tantum lethale vulnus inflixerit, is solum reservationis telo sauciatus censetur; dummodo ex proposito illum occiderit, Mol. *de just. to. 3. disp. 33. memb. 7.*

40 Si tamen unus Sociorum lethaliter adversarium vulneravit, qui deinde à cōsociis occisus fuit, dubitatur, quinam ex iis reservationi obnoxius, censendus sit?

Docet Graff. *in praxi lib. 1. cap. 14. de homicidio n. 53.* Belloch. *par. 2. n. 19.* quod qui occidit, reservatione ligatur. Quia ab hoc homicidium consummatum fuit. Idem est, si constet ex priori vulnere certò mortem secuturam. Quia reservatio intelligitur de actibus exterioribus à se, non ab alio consummatis. Et hoc dicunt esse verum, & si ex priori vulnere prope mortuus esset. Quia effectus non fuit secutus de facto, sed fuit consummatus ex vi posterioris vulnerationis; adeoque juxtà istorum sententiam, non incidit in reservationem, qui hominem eo tantum adducit, ut penè moriatur, sed qui ut absolutè, & defacto moriatur. Si verò, quis non mortaliter sit vulneratus, sed postea ob febres supervenientes moritur, tunc standum judicio peritorum in arte, nempe medico, & Chirurgo, qui possunt judicare an sit mortuus ex alia infirmitate, an verò habuit illa à prima originem.

41 Etiam incurrit maritus, pater, & frater, qui studiosè data uxori, filiæ, sorori ansa turpiter agendi, eas deinde in flagranti crimine deprehensas, occidunt. Quia tale homicidium & est voluntarium & ex industria commissum. Dicti enim debent custodire, non dare ansam mulieribus male agendi; & ideo vir à virtute, mulier à mollitie dicti sunt. Secus si casualiter, vel coram testibus inventas, justo dolore compulsi, eas incunctanter necent. Quia tunc homicidium non est appensatè & ex industria, commissum, Graff. Mazz. Capeav. Exi-

42 Eximitur verò mater, vel nutrix cubans in eodem lecto, cum periculo tenellum infantē suffocandi, & si illum tandem suffocaverit. Quia tale homicidium est tantum voluntarium *in causa remota*. Incurrunt tamen casum *contra detinentes parvulos in lecto ante expletum annum*, si ad sit periculum, aut praevideatur, quod probabiliter inesse possit, ut in *casu* 12. sine censura dicetur.

43 Et si quis causam alteri se aggrediēdi dederit, dummodo injusta sit aggressio, (ut si maledictis, & opprobriis alterum ad se aggrediendum provocavit) si interim aggressus, aggressorem cum moderamine occidat, excusatur à reservatione, ac etiam ab homicidii culpa. Quia quamvis peccavit invasus, alterum maledictis afficiendo: non ideo amittit jus naturalis defensionis.

44 Etiam excusatur adulter invasus à marito adulterae; imo potest adulteram ipsam tueri, maritum occidendo. Id ipsum verificatur de illo, qui ab altero invasus, invasorem occidit, nonservato supradicto moderamine. Quia tale homicidium non est deliberato, & praemeditato animo commissum, licet graviter delinquerent injustè occidendo.

45 Nec incurrit foemina, quae ut integram suam pudicitiam servet, & periculum evitet consensus, virum, à quo invaditur, interimit, si alia faciliori via, saltem vociferando, ab eius violentia servari non potest. Quod idem est de masculo occidente perditum virum, à quo ad nefarium cogitur flagitium, si alia via sibi non pateat evadendi, puta fugam arripiēdo, clamando &c. Immo, & iis remediis etiam intermissis, non incurrunt reservationem, licet delinquant contra Charitatem, ob rationem pluries datam.

46 Nec incurrit medicus mercede conductus, si infirmum decedere, etiam dolo so animo, permittat. Quia non influxit positivè, sed negativè, seu permissivè. Nec famulus, non impediendo Domini necem. Nec dives, qui praetermittit pascere pauperem famae morientem, & si homicidium ipsi tamquam causae morali imputetur. Quia non adest, praemeditatus animus occidendi.

47 Nec innodatur, ut pluries dictum est qui occidit furem, quem sibi constat, unicè eum, licet non occidendi, sed fur nocausa. Quia non quodlibet homicidiū, sed tantum dolosum, est reservationi obnoxium. Idem est de bonis fortunae, vitae, famae &c.

48 Neque incurrit mulier dans venenum suo viro; si ex illa potione alia mala originē trahant, ex quibus postea sequatur mors. Quia valde remote, nec positivè & efficaciter in mortem influit. Sic non ligata fuit hoc casu, quaedam mulier, quae, ut liberius peccaret cum suis amasiis, venenum suo viro dedit, qui & si ex illo non remansit omnino extinctus, posteriorem tamen vitam, brevem, debilem, semperque morti affinem duxit.

49 Dubium nunc, non leve insurgit, an in casu injustae mortis, ut si falsus testis spirans vindictam, fuit causa, ut innocēs damnaretur ad mortē; medicus ęgroti &c. jā secuto effectu, ligetur hoc casu?

Rejectis aliorum opinamentis, qui partem negativam defendant, probabilius est comprehendi, sive occisionis actio sit physica, & *immediata*, sive tantum moralis, & *mediata*; dummodo talis actio positivè, & efficaciter in necem influat. Quia tales actiones sunt causae propinquae, & positivę injustae mortis, & ideo veniunt nomine homicidii voluntarii, sicuti propinatio veneni, vel pharmaci, securo effectu, vel fętus animati abortus. Causae verò negativae, quae considerantur in iis, qui non impediunt ejus mortem doloso animo, (quando ex officio, vel praecedente pacto tenentur impedire) non comprehenduntur Quia concursus causae negativae non est verus influxus, neque positivus actus, sed tantum negativus, sive permissivus.

50 An autem tunc liceat innocenti occidere falsum accusatorem, falsos testes judicem & c. quando certe imminet iniqua sententia, & non potest aliter suam defēdere vitam?

Non licet, ut liquet *ex prop.* 18. *Alex. VII.* & ostendit Viv. *in dicta p. sui. ne n.* 7. Nec incidit furiosus, sive infans occidentes, sive furiosus incidat sua culpa in furorem sive non. Imo juxtà communem, nec irregularitatem. Quia tempore furoris, potius patitur injuriam, quàm infert. Idem dic de infante & ideo juxta leges: quod tales faciunt, impunitum est. Quia furiosum cōsilii, infantem facti, imbecillitas excusat.

51 Probabiliter nec innodatur ille, qui eo animo se inebriat, ut alterum occidat. Quia hujusmodi homicidium non est

est voluntarium, neque in se, neque in causa proxima; & homicidium suapte natura, non est ebrietati annexum, & ab ea inseparabile (quamvis teneatur de homicidio: Quia ebrietas, non excusat à delicto) Nec ligatur ille, qui subita ira prægnantē calce, vel aliter in utero percuteret, si abortus fœtus animati sequeretur, & si periculum prævideriit; dummodo directè non intenderit. Quia, ut dictum est, homicidium non est studiosè commissum. Alia de homicidio ob abortum, vide in casu sequenti, ubi fusè de tali materia, recurrit tractatus.

52 Nec reservatione innodatur, qui existimās occidere Petrum, interficit Paulum. Quia in ordine ad Paulum homicidium illud, est potius casuale, quàm voluntarium. Nec subjacet, qui alteri tantū voluit vulnus infligere, credens ex tali vulnere mortem non secuturam; immò si expressè mortem exclusit, etiam si postea sequatur: Quia non est studiosè, appensate & ex proposito commissum.

53 Idem dicendum de illo, qui infligit non lethale vulnus adversario, quem occidere intendebat, licet posteà accedente alia causa, quæ vim nocendi accepit à vulnere, intereat; Et eo quod non est causa propinqua. Idem dicas de eo, qui alterum vulnere non lethali Sauciavit, sed tamen vulneratus mortuus est ob imperitiam medici, aut Chirurgi.

54 An vulnerans lethaliter valeat absolvi à simplici confessario, si antequam sequatur mors, velit confiteri?

Affirmandum est cum Homob. Lup. Nald. &c. quia reservatio cōtrahitur actu consummato, sed consummatur homicidium morte secuta, Ergo antequam mors sequatur, non est contracta reservatio; Ergo si delinquentem verè pœniteat, & petat confessus absolutionē, non poterit ei denegari tanquam ob peccatum reservatum.

Neque tenetur pœnitens rursus confiteri peccatum homicidii, ipso secuto. Quia effectus homicidii in voluntatis arbitrio non erat, ut docent Laym. *lib. 1. tr. 3. n. 5.* Et etiam quia peccatum fuit ritè clavibus submissum; ideoque non manet obligatio confitendi peccati effectum, qui naturaliter sequitur ex causa quidem liberè applicata, sed postea per pœnitentiam retractata. Reservatio autē supponit peccatum, quod non perdurat, cum jam fuerit per confessionem deletum. Pari modo si quis post procurationem abortus fœtus animati delictum confiteatur, & adhibeat omnem diligentiam ad eum impediendum illo nihilominus postea Secuto, non incidit in casum cum censura reservatum.

Neque dicas: pendente morte, reus in judicio forensi, non absolvitur, sed expectatur effectus, ita ut in hoc, idem operatur pœnitentia actus; & reus, *ex L. reum C. de procur. & l. diximus, ff. de excusati-nibus tutorum*, pendente homicidio, habetur ut homicida. Quia quod parum distat, nihil distare videtur, & in fieri, & in facto esse, in Jure, idem censetur, *l. cum securi, ff. de legatis 3.*

Dico, prædicta currere in foro contētioso, ubi potest aliquid ex fictione esse in pendenti, donec consummetur effectus, *l. nec nos C. de captivis, & postliminio detentis.* Non verò in judicio Sacramentali, quod purè administrari debet, ne valeat suspendi futura conditione, & multo minus à futura reservatione. Nec differri valet absolutio, si pœnitens fuerit dispositus, eo consilio ut expectetur reservatio futura, morte vulnerati secuta: Quia reservatio, cum hodie non afficiat pœnitentem, nihil operari valet: aliter si deberet expectari effectus, qui sibi vulnus lethale inflixit, pœnitentia ductus, non posset absolvi à quocumque, simplici confessario.

PARS SECUNDA.

Homicidium quoad mandantes.

APOPHASIS.

55 *Quæ distintio sit inter mandatum, & jussionem, & præceptum; quid sit mandatum & quomodo sumatur in nostro casu?*

56 *Mandatum homicidii committendi potest dari vel ab authoritate publica, vel privata.*

57 *Quale mandatum requiratur pro incurrendo reservationis?*

58 *Mandatum committendi homicidii, quadrupliciter esse potest.*

59 *Aliud datum, aliud est expressum, aliud tacitum.*

60 *Reservatio est intelligenda de solo mandato expresso.*

61 *Revocans mandatum ante cædis executionem, non incidit in reservatum, si seriò revocaverit, & revocatio perveniat*

veniat ad notitiam mandatarii.

62 *Quale sit discrimen inter mandatum, & consilium homicidii committend?*

63 *Incidit quicunque malo, & præmeditato animo mandavit committi homicidium à se, vel in causa proxima voluntarium, dummodo mandatum debito modo, & tempore, non revocaverit.*

64 *Secuta morte etiam ligatur casu, qui privata authoritate extra casum necessariæ defensionis, aliquem occidi mandavit, ex eo sit reus mortis.*

65 *Non est immunis à reservatione Iudex, qui mandat ministris justitiæ, ultimo supplicio affici aliquem capite damnatum, non servato essentialis juris ordine. Idem dicendum de Judice inferiori, qui contra dispositionem, & necessarium ordinem, aliquem ad mortem adjudicavit. Secus de supremo Principe est tenendum.*

66 *Subjacet, qui mandavit, occidi proscriptum non capitalis pœnæ; & probabiliter etiam si occidatur extra territorium proscribentis sine lincentia, & si reus sit mortis. Excipe quando est insidiator propriæ vitæ.*

67 *Etiam incidit mandatarius, qui mandatum per alium executus fuit, & etiam si non servet accidentalia loci, temporis &c.*

68 *Etiam subjacet, secuto effectu, qui jubet, vel cogit puellam sumere potionē ad abortum faciendum fœtus animati.*

69 *Non ligatur Reservatione, qui dedit mandatum tantum verberandi adversarium, si mandatarius adeò excessit mandati fines, ut sequatur mors. Nec si mandavit occidi, & executor tantum vulneravit. Neque, qui publica authoritate jussit malefactorem occidi & si non justitiæ, sed vindictæ zelo; & demū neque quando mandatarius occidit unum pro alio.*

70 *Nec innodatur reservatione, qui mandavit famulo, ut actualem aggressorē interimat, aut insidiatorem propriæ vitæ. Quod etiam est verum pro defensione facultatum, & si exigui momēti, & quamvis alia via recuperari possent.*

71 *Non innodatur Dux, qui in bello justo, vel saltem non manifestè injusto, mādavit suis militibus, ut hostes occiderent.*

72 *Non irretitur, qui mandavit occidi Cajum, si mandatarius proprio nomine occidat, nisi executus fuit nomine utriusque.*

73 *Qui intra quoddam temporis spatium jussit mandatario, injustum patrari homicidium, cum expressa conditione, ut illo tempore elapso, & termino effluxo, abstineret ab homicidio, non subjacet, si elapso dicto termino, homicidii mandatum exequatur.*

74 *Mandans committi homicidium, potest à simplici confessario absolvi ante secutum effectum; nec eo secuto tenetur iterum confiteri delictum, nisi aliquādo per accidens.*

75 *Dubitans an mandatum injustæ occisionis sit opere completum, potest à simplici confessario absolvi.*

76 *Mandans aliquem domi suæ concludi, vel illi mortem intentari; si ille ob timorem moriatur, non ligatur reservatione.*

77 *Qui non contradicit, nec impedit affirmantem in sui gratiam se hominē necaturum, non incurrit; & si credat ab ipso præstandum. Idem dic, si rixantem cum Titio amici ejusdem in sui gratiam interfecerunt.*

78 *Qui mandatum alteri occidendi Titium dedit, quod à mandatario fuit recusatum: si postea mutato animo occidat, mandans non incurrit casum hunc reservatum.*

79 *Neque afficitur reservatione, qui necem suo nomine patratam, ratam habet. At docent ligari casu mandantem; si antequam mandatarius suo nomine non dum perfecerit homicidiū, incidat in furorem, sicuti docent innodari mādantem excommunicatione; si mandatarius, mandante furioso, Clericum percusserit.*

55 Esto mandatum à jussione, & præcepto distinguatur; Quia hæc authoritatem supponunt in jubente, & est propria actio eorum, qui cum authoritate præcipiunt, qualis est Dominus, Pater, Iudex, &c.

Mandatum verò definitur, quod sit officium liberè susceptum, in alterius gratiam præstandum. Nihilominus in nostro casu promiscuè sumitur, tam pro jussione, & præcepto, quàm pro simplici mandato, sive illud gratis, sive pacto pretio suscipiatur,

atur,& in executionem deducatur. Et licet tali casu, mandatum in contractum innominatum *do ut facias* transeat; tamen hujusmodi iniquam pactionem venire sub nomine mandati testatur praxis fori Theanensis Ecclesiæ, & confessariorum usus confirmat.

56 Mandatum homicidii committendi, vel datur à potestate publica, ut cum Judex lictori mandat, ut malefactorem ultimo supplicio afficiat, quod mandatum censetur justum, si essentialis Juris ordo servetur; Alterum potest dari authoritate privata, ut cum quis sine legitima potestate, alteri mandat, ut aliquem occidat. Et hoc mandatum censetur justum, si detur in causa necessariæ defensionis; injustum verò si odio, ira, vindicta instigante patrandæ necis, imponatur.

57 Mandatum pro incurrenda Reservatione, intelligitur de mandato necem inferendi mandatario, à mandante injustè, & contra justitiam dato, sive ex publica, sive ex privata authoritate proveniat.

58 Mandatum (sicuti de homicidio dictū est) etiam quadruplex esse potest. 1. homicidii *in se, & simpliciter* voluntarii, ut si quis prævio consilio, & præmeditato animo, alteri mandet, ut aliquem occidat. 2. homicidii *in causa proxima*, ut si quis actionem aliquam alteri committat, cui suapte natura annexum sit homicidium, & ab ea inseparabile: V.G. si mandet, ut venenum alicui propinet, vel punctim aliquem circa præcordia feriat. 3. homicidii *in causa remota* voluntarii, ut si quis alteri mandet actionem, cui rarò sit adjunctum omicidium, V.G. si detur mandatum aliquem verberandi, ex quo præter intentionem mandantis, mors verberati sequatur. 4. homicidii *casualis mixti*, sive *secundum quid* voluntarii, ut si quis alteri mandet actionem, ex qua voluntarium quidem, sed non præmeditatum sequatur homicidium. V.G. si orta repentè rixa, Herus sine præmeditato, & deliberato animo mandet famulo, ut adversarium occidat.

59 Præterea dividitur mandatum; *in expressum*, quod expressis verbis imponitur, *Et tacitum*, quod tacitè datur, V.G. facto, vel dicto, ex quo V.G. famulus facilè colligere potest, gratum fore Hero, si que m occidat. Et idem est si famulus sciat, malignum suum propositum alteri necem inferendi Hero cognitum, & perfectum esse, & illū non cōtradicere, aut impedire. Quia tunc taciturnitas Heri, consensus, & approbatio judicatur adesse. Layman *lib.3. de justit. tract.2. cap.5. n.2.*

60 Reservatio igitur intelligenda est de solo mandato expresso, nec extenditur ad tacitum. Et etiam ad eam incurrendam requiritur mandatum homicidii *in se*, vel *causa proxima* voluntarii, ut dictum est, *in 1. par. hujus cas. n.3.*

61 Mandans revocans mandatum ante cædis executionem, non feritur telo Reservationis; dummodo mandans seriò revocaverit, & revocatio ad notitiam mādatarii pervenerit, antequam homicidium patraverit. Et si tunc mandatarius occidit, immunis est non solum à reservatione, sed etiam ab irregularitate, & damni compensandi obligatione. Quia mandatū nomine, & gratia mandantis fit, quo revocato, censetur proprio nomine cōmissum homicidium.

62 Hinc cerne inter mandatum, & consilium homicidii committendi, discrimen. Nam qui alteri mandat, ut hominem injustè occidat, isque mandatum acceptet, & mandantis nomine exequatur, homicidii culpam, & Irregularitatis notam, nec non reservationis pœnam incurrit, non obstāte, quod mandatarius alias etiam hominem occidisset. Nam eo ipso, quod mandatum à Mandatario suscipitur, & nomine mandantis executioni mandatur, censetur debet efficax. Non ita verò si alicui suasisti homicidium, sed consilium tuum nihil in effectum contulit. Pro mandante, vide etiam dicenda c.7. n.9.

63 Unde incidit in reservatum quicumque malo, & præmeditato animo mandavit, committi homicidium *in se*, vel in *causa proxima*, *simpliciter* voluntarium, & injustum, secuto effectu; dummodo mādatum debito modo, & tempore non revocaverit.

64 Etiam ligatur casu, qui privata authoritate, extra casum necessariæ defensionis, aliquem occidi mandavit, secuta morte: quamvis occisus malefactor, & reus mortis foret.

65 Nec excusatur Judex, qui mandat ministris Justitiæ, ut aliquem capite dānatum, non servato essentiali Juris ordi-

ne,, ultimo supplicio afficiat, secuto effectu. Quod verum est si mandaverit id interveniente culpa, & dolo, secus si dolus abfuit. Idem est de Judice inferiore, qui contra Juris dispositionem, & necessarium ordinem, aliquem ad mortem adjudicaverit, occidique mandavit, quamvis privatim sciret, illum esse reum mortis. Quia cum Judex sustineat personam publicam, ideirco secundum publicam, non privatam notitiam, procedere debet, S. Th. Less &c.

Dixi *inferior Judex*; quia supremo Principi licet aliquando è medio, criminosum tollere, cujus crimen sibi cognitū est, licet non possit probari.

66 Subjacet etiam Reservationi, qui mandavit occidi proscriptum non capitalis pœnæ, vel extra jurisdictionem proscribentis, & si reus mortis, ut diximus supra, n. 13. Excipe, nisi is esset insidiator propriæ vitæ, ut etiam suprà dictum est.

67 Etiam incidit mandatarius, qui per alium mandatum executus fuit; Quia causa causæ censetur causa causati, ac etiam incidit & si non servet accidentalia loci, temporis, modi occidendi &c. Cum reservatio non attendat modum, sed effectum, hoc est homicidium.

68 Innodatur etiam, qui jubet, vel cogit puellam sumere potionem ad abortū fœtus animati efficiendum, secuto effectu quia est mandatum homicidii in *causa proxima* voluntarium; supposito quod hujusmodi potioni suapte natura annexus sit abortionis effectus, & ab ea inseparabilis: quo casu etiam incidit in aliam reservationem ob procurationem abortus, ut in casu sequenti.

69 Non ligatur reservatione, qui dedit mandatum tantum verberandi adversarium, sed mandatarius mandati fines excedens, illum occidit, vel adeo graviter percussit, ut paulo post è vivis excesserit. Quia non est mandatum homicidii *in se*, vel *in causa proxima* voluntarii. Nec si mandavit ut occidat, & executor tantum vulneravit; ob non secutum effectum. Neque qui publica auctoritate jussit, malefactorem occidi, non zelo Justitiæ, sed odio vindictæ, & si peccet contra Charitatem, ob pravum affectum. Sicuti nec mandans, qui mandavit occidere unum, si mandatarius occidat alium. Quia, quæ mandatarius agit ultra fines mandati, non imputantur mandanti.

70 Idem dicas si quis mandavit famulo, ut interficeret actualem aggressorem, vel insidiatorem propriæ vitæ. Quia mandatum non est injustum. Quod est verum etiam de aggressore honoris, pudicitiæ &c. Idem asseritur pro facultatum defensione, quamvis essent modici momenti, vel alia ratione recuperari possunt; licet tunc delinqueret in ratione homicidii *appensatè & expreposito* voluntarii.

71 Non innodatur Dux, qui bello justo, vel saltem non manifeste injusto mādavit suis militibus, ut hostes occiderent si quem de facto interfecerunt. Quia mandatum, non adversatur virtuti Justitiæ.

72 Non irretitur, qui mandavit, Cajum occidi, si mandatarius proprio nomine occidat (eo quod & ipse Cajum odio prosequeretur). Et quia mandatum non fuit efficax, & quia naturam mandati amittit, si executioni non mandetur in gratiam, & nomine mandantis Secus si nomine utriusque executum fuit.

73 Nec subjacet, qui injustum homicidium patrari jusserit intra præfixum temporis spatium cum expressa conditione, ut illo effluxo, & homicidio non cōmisso, à nece abstineret. Nam elapso termino apposita conditio, perinde est, ac expressa mandati revocatio.

74 Qui dato injustæ cædis mandato, resipiscit ante secutum effectum, potest absolvi per simplicem confessarium. Quia mandati reservatio requirit actum consummatum. Nec postea secuta morte, tenetur rursus delictum cōfiteri. Quia nullus tenetur sua peccata semel ritè confessa, iterum confiteri; dummodo adhibuerit omnem diligentiam, pro revocando mandato: licet aliquando teneatur pro accidēs nempe vel ratione contractæ reservationis, vel censuræ, homicidium confiteri. Vide dicta *in prima hujus casus parte num. 54.*

75 Qui dedit injustæ occisionis mandatum, & dubitat, an mandatum à mandatario sit oper completum, potest absolvi à quocumque Confessario. Quia non reservatur homicidium dubium, sed certū Tamen vide dicenda *de procuratione abortus in casu sequenti n. 18.*

76 Qui mandat aliquem domi suæ cōcludi, vel illi mortē intentari, nisi quodpiam invito agat; si ille nimio timore correptus, mortuus sit, mandans non est reser-

reservationi abnoxius. Quia tali causæ suapræ natura, non est conjunctus mortis effectus.

77 Nec incurrit reservationem, (licet incurrat alias pœnas) qui affirmanti in sui gratiam, se hominem necaturum, credit, id ab ipso præstandum, neque contradicit, vel impedit. Quia non sufficit mandatum tacitum, & interpretativum; sed requiritur expressum, & verum. Idem ersolvitur de illo, ad quam rixantem cum Titio, cum confluxissent amici, & ab eo non prohibiti, aut repulsi, Titium in sui gratiam interfecerunt, ob dictus rationes.

78 Sed major difficultas est, si quis mādatum alteri occidēdi Titii dederit, quod mandatarius tunc recusavit, si post ea mutato animo occidat, an tunc mandans incidat in reservationem?

Affirmat Lupus *de cas. res. sr. par. 2. casu 8. partii secundæ §. 5. n. 16.* si tunc mandās in negatione nihil addiderit. Ex eo quia, tale mandatū est contra Justitiā. Sed probabilibus alii docent, non incidere. Quia sicuti non potest intelligi mandans sine mandatario; ita neque perfectum mandatum sine susceptione, saltem tacita, mandati. At lōgè probabile est contrarium, ideo,

Ad rationem Lupi dicendum, quod ad incurrendam reservationem, non sufficit, quod mandatum datum, sit contra Justitiā; nisi etiam fuerit susceptum, & executioni mandatum contra illam.

79 Ideoque neque afficitur reservatione, qui necem suo nomine patratam, postea ratam habet. Quia per ratihabitionē, non existit homicidii causa: Cum ad præteritum non sit potentia.

Sed quid dicendum, si quis in mandatis dederat Cajo, ut aliquem occideret, qui tamen vulneravit, & non dum perfecit homicidium quæritur modo, an mandans incurrat casum, si antequam à mandatario homicidium perficiatur, incidat in furorem?

Et docent, quod mandans incidit in casum. Et si fecit percutere Clericum, durāte furore, innodatur excommunicatione. Quia etiam furiosi subjecti sunt Ecclesiæ, & ab ea puniri possunt, si ob prudentem contumaciam ita meruerunt.

De Consulentibus Homicidium.

APOPHASIS.

80 *Cur soleant aliqui Pastores homicidium etiam quoad consulentes reservare?*

81 *Dupliciter sumitur consiliū: lato, & stricto modo, & utroque modo sumitur in casu.*

82 *Duplex potest esse instructio homicidii patrandi, una quæ se tenet ex parte ipsius homicidii committendi; Altera ex parte ipsius homicidæ, prior instructio tantum subjacet reservationi si sit iniusta, & efficax.*

83 *Consilium homicidii patrandi, potest esse justum vel iniustum. Reservatio intelligitur de iniusto.*

84 *Iniusti homicidii consilium, potest vel efficax vel inefficax esse. De efficaci intelligenda est præsens reservatio.*

85. *Qui serio suum consilium retractavit, et egit omnia possibilia, ut non possibilia, ut non sequatur homicidium, non reservatum: imo, ut docent, neque irregularitatem, & compensandi damni obligationem probabiliter incurrit.*

86 *Incurrit reservatum, secuto effectu sive vir sive mulier, quæ deliberato animo dedit efficax homicidii consilium in se, vel causa proxima voluntarii.*

87 *Innodatur etiam ille, qui culpa, & dolo efficaciter movet, inducit, incitat, hortatur ad aliquem injustè occidendum, aut etiam de faciliori, & securiori modo occidendi, secuto effectu.*

88 *Irretitur etiam, qui tam probabiliter dubitat, ut sit ferè, moraliter certus, quod suum consilium fuit causa efficax homicidii.*

89 *Incidit, secuto effectu, qui dedit consilium abortus faciendi fœtus animati, & etiam, qui confirmavit in maligno occidendi proposito.*

90 *Item subjacet, qui in bello manifestè injusto efficaciter suasit militi, ut ignitam glandem exploderet in hostem ex qua remansit extinctus, & qui induxit Judicem ad condemnandum ad mortem, non mortis reum.*

91 *Obnoxius etiam est qui nimis remissè, & intempestivè revocavit homicidii cōsilium, si executor ex illo consilio homicidium patravit. Idem dicendum de illo, qui injustum suasit homicidiū & si post longum tempus suasus distulerit illud.*

92 *Eadem reservatione afficitur, qui injustum homicidium alteri consuluit,*

&

& si, si ille non consuluisset, alter in ejus defectum, consilium dedisset.

93 *Non incidit, qui homicidium consuluit, non patrata ob aliquam causam nece. Idem dic de consulente verberationē, licet executor adeo graviter percusserit, ut mortuus sit, etiam si mors fuisset prævisa, dummodo non sit intenta.*

94 *Nec ligatur reservatione, qui suadet amico, ut sibi consulat, & instruit de modo cavendi insidias inimici.*

95 *Nec cui Amasia impium faciendi abortum fœtus animati, detexit animum; si non dissuadeat, sed taceat.*

96 *Nec afficitur, qui rogavit, suasit, & induxit Judicem, ut malefactorem justè damnaret, qui non damnasset, nisi eo consilio impulsus fuisset; Nec qui efficaciter consuluit alicui, ut capitali pœna proscriptum intra territoriū proscribentis occideret.*

97 *Nec est reservationi obnoxius, qui cui parantur capitales insidiæ, dedit consilium, insidiatorem præveniendi, & occidendi. Nec qui injustum suasit homicidium ad quod patrandum, antea per seipsum dispositus erat.*

98 *Probabiliter nec incidit, qui suo consilio magis in occidendi propositum confirmavit, vel fuit causa, ut aliquāto citius, & liberius homicidium patraretur.*

99 *Qui homicidium suasit, & probabiliter dubitat, an suasus sit motus odio vindictæ, aut dato sibi consilio, probabiliter nec incurrit.*

100 *Nec innodatur, qui alicui leviter offenso iocosè suadet, ut offensorem occidat, si necet, & potissimum, si de illo periculo nihil suspicatus fuerit.*

101 *Etiam eximitur referens dictum, vel factum alterius ad iram provocativū, si commotus ex illo, authorē interficit.*

102 *Quomodo se gerere debeat confessarius circa satisfactionem, & restitutionem homicidæ imponendam.*

103 *In peccato mortali quatuor considerari possunt offensiones, & quomodo pro his satisfit?*

104 *In delicto, in quo potest cognoscere Judex secularis, & Ecclesiasticus, reus potest per utrumque Judicem puniri*

105 *Pœna homicidii alia est in foro animæ; Alia Ecclesiastica; Alia Civilis; Alia criminalis, & una non tollitur pro altera.*

106 *Non debet homicida in judicio animæ absolvi, nisi allatum damnum compenset, & alat familiam, quam occisus alebat, & alia damna resarciat*

107 *Præter damnum, debet homicidis imponi, ut diu orent pro anima occisi.*

108 *Pœna imponenda Clericidis.*

109 *Etsi occisus ante mortem remittat, omne dãnum homicidæ; Etiam possunt filii, uxor, &c. petere resarcitionem.*

80 QUIA in aliquibus Diœcesibus non solum reservatur homicidium, quoad committentes, & mandantes, sed etiam quoad consulentes; ideo ne Lectoribus deficiam, & præcipuè illis, quibus in suis Diœcesibus hoc crimen, quoad consulentes, reservatur, in hac parte *de consulentibus* agam. Et meritò, nam aliquando ex istorum iniquorum consiliariorum doloso, & improbo consilio, magna cum animarum jactura, & pernicie, quàm crebræ, funestæque oriantur cædes, luctuosa quotidie testatur experientia. Ideo sæpè zelantissimi Pastores, ut dira, vel odii, vel vindictæ incitamenta in grege sibi concredito, quoad potest arceantur, solent suo Severiori judicio reservare: cum conveniens sit, ut etiam iniqua consulentes facinora, pœnis committentium afficiantur, juxtà illud Claudiani.

Quàm benè dispositum terris, ut dignus iniqui.
Fructus consilii, primis auctoribus instet.

81 Consilium lato modo sumptum involvit omnem hortationem, suasionem, instructionē, & incitamentum ad aliquod faciendum; Stricto verò modo, significat petitum à consultore responsum aliquid agendi, vel omittendi, secundum regulas prudentiæ. In hoc igitur casu, consilium sumitur, nō solum stricto, sed & lato modo, nempe, ut non solum comprehendat responsa consultorum, qui ratione muneris, seu peritiæ, quàm præseferunt, homicidii patrandi consilium præbent; Sed etiā hortationem, suasionem, & incitamentum ad necem homini inferendam.

82 Quod asseritur de consilio latè sūpto, aliqui extendunt ad instructionem modi patrandi homicidii, quæ potest esse duplex; Una, quæ se tenet ex parte ipsius

ho-

homicidii committendi, ut si quis instruatur de modo faciliori, & Securiori patrandæ necis. Altera, quæ se tenet ex parte ipsius homicidæ, ut si quis instruatur de modo declinandi impetum inimici, aut periculum propriæ vitæ vel mulctam à Judice, ob crimen, imponendam. Hæc posterior instructio non subjacet reservationi sed tantũ prior, supposito, quod fuerit injusta, & efficaciter in effectum influxerit.

83 Hoc consilium homicidii patrandi potest esse, vel justum, vel injustum. Tũc justè consilium datur, cum licitum, & justum reputatur. Tunc injustum, cum fit authoritate privata. Reservatio, est intelligenda de injusto homicidii consilio, & hoc totuplex esse potest, quotuplex homicidium; ideo juxtà dicta *in prima par. n.3.& 6.* te gere.

84 Consilium homicidii voluntarii, & injusti, rursus dividitur in *efficax, & inefficax.* Efficax cẽsetur, quod fuit causa homicidii. Nam eo secluso à nece abstinuisset. Inefficax, est, quod causa non extat homicidii, & quod eo secluso, adhuc cædes patrata esset. De efficaci intelligenda est reservatio.

85 Sed modò difficultatur, si quis consilium suum sive verum, sive falsum, serio, & quatenus potuit retractavit, & nihil intermisit, quo impedire posset homicidiũ, si suasus amplius suaderi non sinat, an eo secuto, tam reservationis, quàm irregularitatis pœnam, compensandique damni obligationem incurrat?

Affirmant Nav. Mol. Tol. Less. &c. Quia Suasor verè causa, vel potius concausa, homicidii existit, si executor motus rationibus, quas suasor ipsi proposuit, homicidium commiserit; Consilium enim fit gratia accipientis, ideo si semel persuasit, V.G. Titio, ut occideret, qui absque consilio suo non occidisset, & si postea consilium revocet, causa secuti homicidii censetur; sicuti, qui sagittam in aliquẽ emisit; & si statim antequam percutiat pœniteat, atque vellet revocari si posset; non ideo à pœna homicidii est immunis, quia homicidium, suæ malitiæ adscribi debet.

Negant verò Sot. Dia Aversf. Henr. Sil. S. Antoninus, & Lupus *par.2.cas.8. tertiæ partis §.4. n.16.* Quia persuasus contrariis rationibus, potest, & debet dimoveri: Quare si non dimoveatur, homicidium, postea secutum, non suasoris consilio, sed executoria malitię imputari debet. Hinc Laym. *de excom. n. lib.1. tract.5. par.2. cap.5. n.7.* in gratiam confessariorum, & ad tollendos scrupulos, resolvit, quod, qui propositis rationibus injustum homicidium persuasit, si eas postea serio quatenus potuit, efficaciter retractavit, secuto nihilominus homicidio, nec in excommunicationem, & probabiliter nec irregularitatem, nec restituendi obligationem, incurrit. Quod est certum de reservatione, eo quod tũnc tollatur ratio prærequisiti voluntarii.

Ad paritatem sagittæ habet, quod est dispar ratio; Quia sagitta semel emissa naturaliter, & necessario operatur, ast, qui malignum accepit consilium, à sententia dimoveri potest; & ideo, si velit permanere in illo, effectus secutus, illius malitiæ, erit adscribendus.

86 Unde resolves, incidere in casum quicumque deliberato animo dat consilium homicidii in se, vel in causa proxima voluntarii, secuto mortis eventu, ut supra *de committente* dictum est; modò consilium fuerit efficax, & nõ sufficienter retractatum; quod verum est, tam de viro, quam de fęmina doli capace. Quia cũ lex nõ distinguat nec nos distinguere debemus, nisi specialis implicantiæ ratio, distintionem ponere cogat.

87 Idem est resolvendum de illo, qui interveniente culpa, & dolo, alterum efficaciter movet, inducit, hortatur, & incitat ad aliquem injustè occidendum, vel etiam de Securiori, & faciliori modo occidendi, secuto tamen facinore. Quia, ut dictum est, omnes isti modi veniunt sub nomine consilii.

88 Etiam incurrit, qui dubitat probabiliter, ita ut sit moraliter certus, quod suum consilium fuit causa efficax Homicidii. Quia in dubio stat possessio pro lege reservante, Sanch. *lib.1. moral. c.10. n.74.*

89 Etiam incidit, qui dedit consilium faciendi abortum fœtus animati, effectu secuto; sicuti subjacet, qui, effectu secuto, confirmavit in maligno occidendi fętum proposito quempiam paratum. Quia talis confirmatio censetur efficax in homicidium influxus.

90 Item subjacet, qui in bello mani-

est

esse injusto efficaciter militi suasit, ut ignitam glandem exploderet in hostem, ex qua remansit extinctus. Ob eandem rationē incidit, qui induxit Judicē ad adjudicādū ad mortē, nō reū mortis Et itade similibus discurre, sicuti dictū est *ad mādāte*

91 Obnoxius item est & ille, qui dato homicidii consilio, intempestivè, vel nimis remissè revocavit, si Executor ex illo consilio homicidium patravit. Idem dicas de illo, qui homicidium injustum suasit, & si suasus longum post tempus necem patrare distulerit. Quia sola mora temporis, inefficax consilium efficere noncensetur; nisi probabiliter conjecturæ in contrarium existant.

92 Eadem reservatione afficitur, qui injustum, & voluntarium homicidium alteri consuluit. Licet iste si non consuluisset, alter in ejus defectū dedisset. Quia sicuti si ille prius consuluisset, in casum incidisset; ita incidit iste, quimaligno suo consilio alterum prævenit.

93 . Econtra non incidit, qui homicidium consuluit, non patrata ab aliquam causam cæde; non enim reservatur dolosum consilium, sed injustum homicidium. Idem resolvitur de consulente tantum verberationem, licet executor adeo graviter percusserit, ut mortuus sit, etiam si mors prævisa fuisset, non tamen intenta Quia consilium non fuit in se, vel in causa proxima homicidii voluntarii. Nec simplici verberationi, suapte natura, est annexum homicidium, & ab ea inseparabile; quod, ut dictum est, requiritur ad rationem voluntarii *in causa*.

94 Nec ligatur, qui suadet amico, ut sibi consulat, & instruit de modo cavendi insidias inimici, vel vitandi mortis periculum, aut etiam Judicis mulctam. Quia dicta instructio, diversa est à consilio; A diversis autem, non fit illatio.

95 Idem deciditur de illo, cui amasia impium faciendi abortum detexit animū, si ille non dissuadeat, sed taceat. Quia non est verum, & expressum consilium; Sicuti dicetur *in casu sequenti n.14.*

96 Nec afficitur, qui suasit, rogavit, & induxit Judicem, ut malefactorem justè damnaret ad mortem, quem tamen non damnasset, nisi eo consilio inpulsus fuisset. Quia suspendium non fuit, ut supponitur, injustum, ita nec suspendii consiliū. Idem resolvitur de illo, qui alteri efficaciter consuluit, ut capitali pœna proscriptum occideret intra territorium proscribentis. Quia eo casu homicidium non est injustum, & si esset illicitum; & si fiat ob odium privatæ vindictæ.

95 Nec est reservationi obnoxius, qui cui parantur capitales insidiæ, dedit consilium insidiatorem præveniendi, & occidendi. Quia occisio tunc non fit contra justitiam. Nec ajunt incurrere, qui alteri injustum suasit homicidium, ac quod patrandum certè per se ipsum dispositus erat; quia consilium non fuit efficax.

98 An verò incidat, qui suo consilio alterum magis in occidendi propositum tantum confirmavit; vel fuit causa, ut aliquantò citius, ac libentius homicidium patraretur.

Probabilius negant contra Lupū. Quia consilium non videtur efficax, neque secundum partem; Quia adhuc homicidium committendum erat.

99 Utrum verò qui homicidium suasit sed probabiliter dubitat, num suasus sit motus odio vindictæ, aut dato sibi consilio, censendus sit incidisse?

Etiam affirmat Lupus §. 7. *annotatione* 2. citans Less. & Nal. cujus ratio est, quia nemo præsumi debet malus, & quod sit patraturus delictum, nisi impulsus sit efficaci consilio.

Cæterum probabilius videtur non incidisse. Tum quia reservatio, cū sit odiosa, non est extendenda ad casus propriè dubios. Tum quia in dubio propriè dicto, melior est conditio possidentis; quæ regulæ militant tam in dubio *contradictionis*, quam *contrarietatis* actus: & præsumptio sumi debet abeo, quod frequentius, non rarò contingit. Sæpius autem contingit, homicidam moveri propriæ vindictæ odio, & rarò alterius consilio.

100 Nec afficitur reservatione, qui alicui leviter officio, ludicro, jocosoque modo suasit, ut offensorem occideret, si suasit, ut offensorem occideret, si suasus revera occidat. Tum quia jocosè consulēs nō delinquit mortaliter, maximè si de periculo necis nihil suspicatus fuerit. Tumquia homicidium eo casu, non jocoso consilio, sed brutali executoris genio, vel insano furori imputari, & adscribi debet.

101 Eximitur etiam, qui dictum, vel factum alterius ad iram provocativū retulit, ex quo alter commotus, illius dicti vel

vel facti auctorem interfecit. Tum quia talis relatio non est expressa homicidii suasio, vel instigatio, & licet æquipolleret, adhuc tamen non incideret. Quia in materia reservationis non valet argumentum ab æquipollenti, teste Naldo, *ver. casus*, n. 3. Lezana &c. Tum etiam non est suasio homicidii in se, vel in causa propinqua voluntarii.

102 Quomodo se gerere debeat confessarius cum homicida, circa pœnitentiam, seu satisfactionem imponendam, vide Paulum Comit. *in resp. conf. moral. lib. 4. q. 11. n. 8. cit.* Tab. *in Decalog. lib. 6. cap. 3. §. 3. & in methodo confessionis lib. 4. cap. 3. & 4.* Circa verò restitutionem, vide Less. *lib. 2.* Laym. *lib. 3. tract. 3. de justitia* Croix, &c.

103 Tamen, ne in hoc dubio penitus sicco vestigio relinquam Lectores; Notandum, quatuor in peccato mortali offensiones considerari posse. Prima offensio contra Deum. Secunda contra Ecclesiam, cum quilibet, dum peccat lethaliter, contravenit Deo, & Romanæ Ecclesiæ. Tertia contra Rempublicam. Quarta contra proximum. Offensioni contra Deum satisfit per amaritudinem, & contrictionem cordis. Per pœnitentiam vero impositam à Sacerdote, fit satisfactio, quoad Ecclesiam. Respublica, & proximus offenduntur ex delicto: ex quo oriuntur duæ actiones una ad vindictam publicam, ex quo Respublica fit offensa, alia ad privatam utilitatem, ex quo privatus fit offensus; ut quando fuit passus aliquod furtum. His notatis. Reipublicæ satisfit per legitimas pœnas à Jure proditas; Quia interest Reipublicæ, ut delicta puniantur. Quoad proximi offensionem, est prodita satisfactio per rei ablatæ restitutionem. Et istæ quatuor satisfactiones possunt simul in omni delicto concurrere; & una per aliam non tollitur.

104 Unde eruitur, quod si quis commisit delictum, de quo potest cognoscere nō solum Judex Ecclesiasticus, sed & sæcularis, ut in blasphemia, potest per utrumque Judicem puniri; & una pœna per alia non tollitur. Unde absolutus à crimine in foro Ecclesiastico, potest in foro sæculari conveniri; Quia absolutio facta ab Ecclesia, non intelligitur facta in præjudicium fori sæcularis; sicque absolutio in foro pœnitentiali, non tollit, quominus possit quis in foro Judiciali, & Ecclesiastico puniri. Quibus diligenter adnotatis.

105 Sciendum, pœnam homicidii aliam esse *in foro animæ*, aliam *Ecclesiasticam*, aliam *Civilem* ad æstimationem damni, Aliam *Criminalem*, una tamen per aliam non tollitur. Pœna homicidii, si agatur civiliter, est, ut teneatur homicida ad æstimationem pecuniariam damni dati. Et præstans causam homicidio alterius per lasciviam, per quinquennium relegatur. Et secundum canones quinquennis pœnitentia imponitur. Homicidii verò voluntarii pœna, est deportatio, omnibus bonis ademptis. Et secundū canones, Clericus homicida, est deponendus; & in monasterio detrudendus, ut ibi fleat peccata sua.

106 In judicio verò animæ, non debet absolvi, nisi illatum damnum compenset, & alat familiam, quam occisus alebat, arbitrio prudentum; habita tamen ratione personæ occisæ, & occidentis, nempe, an occidens sit dives, & possit solvere. Item habenda ratio de annis occisi, nempe quanto tempore regulariter poterat vivere, & sic pro tanto tempore, erit prudētis confessarii obbligare occisorem ad dandum hæredibus occisi, quantum occisus poterat pro tēpure, quo vivere poterat familiæ suæ acquirere; nec non & damna pro medicamentis, & Chirurgo, si aliquo tēpore vivit vulneratus. Hæc & alia supradicta, vide apud Graff. *lib. 2. par. 1. decis. aur. de pœnitentia injungenda homicidæ in judicio animæ, cap. 67.*

107 Præter damnum, est homicidis imponendum, ut orent per unum, vel per plures annos, dent eleemosynas, vel faciant recitare missas. Hanc circumspectionem, licet ignoranter, habui in duobus casibus homicidii, qui mihi acciderunt duobus Jubilæi temporibus. Primū commissum à quibusdam adolescentibus in personam cujusdam, qui cum ipsis complex in quodam furto fuit, qui ob solam suspicionem, ne occidendus (quia valdè loquax) eos manifestaret, proditoriè occiderunt, atque in quodam præcipitio dejecerunt, ubi utpotè in perpetuo, & occulto tumulo ab oculis hominum celaverunt. Alterum commissum ab aliquibus mandatariis, qui ut faverent cuidam improbo, & facinoroso mandanti, absque ul-

la causa, (proh dolor!) cuidam Dei ministro, crudeli morte, suum ultimum diem claudere fecerunt, Quod, ut audivi cunctis artubus contremui, meaque vita rigido gelu extemplo correpta fuit.

108 Et ideo Croix *lib. 7. de excomm. n. 325.* docet, Clericidam debere orare officiū defunctorum, vel æquivalentes preces: si legere nesciat, per quinquennium in tribus hebdomadæ diebus: debet satisfacere hæredibus occisi, & Ecclesiæ, cui adscriptus erat; & etiam privari Ecclesiasticis feudis, & juribus patronatus. Nec non ipse, & ejus filii, sunt inabiles ad beneficia obtinenda.

109 Si occisus remisit ante mortem omne damnum homicidæ, etiam possunt filii, uxor &c. petere resarcitionem: Cum homicida per talem remissionem, solum eximatur à damnis præteritis, non autem à sequentibus, Lamb. Lug. & alii.

CAPUT III.

Casus Tertius cum Censura:

Procuratio abortus post animatum fœtum cum effectu subsecuto.

APOPHASIS.

1 *Quanta sit hujus delicti gravitas?*

2 *Tueamensis Legislator, cur hunc casum sibi reservavit?*

3 *Intra quod temporis spatium animetur fœtus?*

4 *In dubio, an fœtus sit masculus, vel femina, præsumitur masculus. Idem dic quando dubitatur de conceptione fœtus. Et ubi reservatur abortus sub his terminis:* Procuratio abortus etiam non secuto effectu, *tunc in dubio etiam incurritur hic casus.*

5 *Quæ requirantur, ut incurratur hic casus?*

6 *Quid, & quotuplex sit abortus?*

7 *Incidit in hunc casum puella, quæ poculum sumit, aut agit aliat actiones, ex quibus sequatur, abortus fœtus animati; sicuti, qui movet, favet, suadet &c.*

8 *Non eludit casum, & excommunicationem, qui studiosè animatum eicit fetum, & si postea supervivat, & baptizetur.*

9 *Incurrit etiam maritus, vel alius, qui sic graviter cadit uxorem, vel aliam mulierem gravidam, aut si eum tanta corporis agitatione cognoscit, ut sequatur abortus, dummodo prævideat, & studiosè procuret.*

10 *Innodatur hoc casu, qui scienter, & data opera conficit, ordinat &c. mulieri prægnanti medicamentum directè tendens ad expellendum fœtum, imo etiam si procurasset ad tollendam infamiam.*

11 *Incidit etiam stuprator, qui verbis perterret mulierem, ut ex illis perterrita, abortum procuret; dummodo advertat.*

12 *Non incurritur reservatio, quando matris salus ex morbo periclitatur, si illi detur pharmacum ad expellendos pravos humores, dummodo ex morte matris, non adesset spes vitæ, & baptismi prolis.*

13 *Neque innodatur medicus præbens potionem, ut partus jam maturus facilius enascatur, si antequam ad lucē veniret, moreretur.*

14 *Neque telum reservationis ferit fornicarium, cui amasia impium suum aperuit procurandi abortus propositum: si non suadeat, neque dissuadeat.*

15 *Excusatur etiam, qui bona fide, feminæ patefecit remedium aborticndi, si illud adhibeat.*

16 *Non subjacet mulier, quæ ignoranter sumpsit remedium, seu potionem, ex qua secutus est concepti fœtus abortus & si monita facti de illo gauderet, & approbaret; imo etiam si possit impedire, & negligat.*

17 *Patri habenti firmum propositum occidendi filiam repertam gravidam ex turpi concubitu, aut filiæ habenti animum inferendi sibi necem, secundū Sanchez potest licitè alter abortum suadere, & ex Laym. licet suadere, quoties formaliter, vel virtualiter pars minor peccati est inclusa in majori. Tamen hodie hoc circa abortum est damnatum.*

18 *In dubio, an fetus fuerit animatus incurritur reservatio.*

19 *Qui studiosè dedit pharmacum ad procurandum abortum, si pœnitentia ductus antequam sit secutus effectus, probabiliter potest à simplici confessario absolvi.*

20 *Si dubium sit, an pharmacum, aut alia reme-*

remedia effectum fecerint, tunc si dubium sit probabile, probabiliter incurritur reservatio. Secus si tantum scrupulosè dubitet.

21 *Non ligatur reservatione, qui procurat sterilitatem feminæ, vel impedit ne fœtus humanus concipiatur; Nec qui statuit procurare abortum, sed non præstitit.*

22 *Nec subjacet reservationi maritus, qui ex ira, calcè incussit, prægnanti uxori, aut aliter fuit causa, ut abortu pateretur, dummodo non intenderet.*

23 *Non licet procurari abortus fœtus inanimis, ad vitandam occisionem prægnantis, infamiam alicujus communitatis, vel familiæ nobilis &c. Tamen docent posse etiam directè procurari, quoties mors prægnantis imminet ab intrinseco; quamvis in praxi sit valdè periculosum.*

24 *De absolutione abortus, & pœnis impositis à Sisto V. contra procurantes illum.*

25 *Gregorius XIV. moderavit, & ad duo restrinxit pœnas impositas in Bulla Sisti V. Unde hodiè facientes abortum, possunt absolvi tempore Jubilei.*

26 *In Irregularitate contracta ex abortu fœtus animati, effectu secuto, nec Episcopus, nec alii possunt dispensare, & si casus sit occultus.*

27 *Non ligatur excommunicatione pontificia, qui procurat abortum fœtus inanimis. At incurrit reservationem, ubi reservatur abortus tam fœtus animati, quàm inanimati.*

28 *Confessarius, cui concessa fuit facultas absolvendi ab omnibus casibus reservatis, potest absolvere à crimine abortus, & ab annexa excommunicationis pœna.*

1 Abortus, & maximè fœtus anima rationali donati, in quo ab hujusmodi delicti patratoribus, & perditur corpus, & damnatur anima, est tam grave, ut tale flagitium committentes, gravissimis pœnis omni Jure, Divino, Canonico, & civili puniantur. Nam Jure Divino, ut diximus de homicidio, pœna mortis erat statuta. Jure Pontificio facientes abortum fœtus animati, sunt veri homicidæ, & irregulares, & incurrunt excommunicationem Xisti V. Jure civili, antequam fœtus sit natus, tenentur pœna capitis, sed post, de parricidio, *l. Divus*. Et etiam sunt genuini Sanguinis, & humanæ naturæ hostes crudeles; imo ipsis belluis crudeliores; Cum & feræ ipsæ servidè partus ceament suos; faveant, foveantque. Et unicus homo ipsis feris deterior, ac naturæ fœdifragus, in propria desævit viscera, & propriis partibus nondum in lucem editis, mortis tenebras parit. Et quod pejus, non semel ob timorem, vel ad celandam infamiam (aut quia eas nequeunt in uxores ducere, ut potè inæquales, vel quia uxorati) veneniferis medicaminibus, vel alia crudeli nece, partus simul cum matribus impiè mactant.

2 Ideo noster doctissimus Legislator, & Præsul D. Joseph Nicolaus Gibertus, dextero Numine, olim Theani Episcopus ad deterrendum à tam atroci scelere gregem sibi commissum, suo peculiori judicio hunc casum, *cum censura*, animato tamen fœtu, & effectu secuto, reservavit.

3 Juxta communem, fœtus informatur anima rationali, die quadragesimo, si mas fuerit; Si verò femella octogesimo. Quæ res & si valdè sit dubia, est tamen opinio valde probabilis. Undè Luc. 1. quia Joannes Baptista dicitur exaltasse in utero, & Gen. 25. habetur, quod Esau, & Jacob in utero collidebantur, licet non longe à conceptu vocantur parvuli. Ergo, qui à dictis diebus quadraginta, abortum procurat, exponit se periculo morali, & proximo, occidendi fœtum animatum, & consequenter incurrit homicidium reservatum, Card. num. 74. & excommunicationem latam à Sisto V. contra procurantes abortum, ac etiam irregularitatem ex delicto.

4 Si verò post dies quadraginta dubitetur, an fœtus fuerit masculinus, vel fœmininus? Tunc præsumendum est, esse masculinum; ideoque procurans abortum incurrit casum reservatum, ut docet Diana cum aliis communiter. Et etiam sic servatur à Sacra Pœnitentiaria. Imò incurrit quoque irregularitatem: Quia hæc incurritur etiam in homicidio dubio. Sicuti incurrit quando dubitatur de fœtus conceptione; tamen ubi casus reservatur sub his terminis: *Procuratio abortus etiam effectu non secuto.* Quia tunc præsumendum est, mulierem esse gravidam, ideo judicandum in favorem legis reservantis.

5 Ut quis incurrat casum in hac Diœcesi reservatum ob abortus procuratione,

tria præcipuè requiruntur. 1. ut actus sit consummatus, & secutus effectus. 2. ut dolo sit consummatus. 3. ut fœtus si animatus.

6 Abortus est studiosa expulsio fœtus ex utero matris violenter facta ante tẽpus à natura præfinitum. Et dupliciter potest esse vel fœtus animati, vel inanimati. *Animati*, est expulsio fœtus post quam animam rationalem recepit. Abortus fœtus *inanimati*, est eiectio fœtus vel informis, vel immaturi ex utero matris, antequam illi anima rationalis sit infusa.

7 Incidit in reservatũ ob abortus procurationẽ, ac etiam ob homicidium, puella gravida, quæ poculum sumit, vel alias actiones agit, ut patiatur abortum, secuto tamen effectu fœtus animati. Sicuti, probabiliter, qui efficaciter fovet, suadet, movet, &c. fœminam gravidam ad procurandum abortum. Ac etiam incurrit medicus pharmacum præscribens, pharmacopola illud conficiens, & Ancilla puellæ prægnanti porrigens, dummodo studiose procurent.

8 Non vitat casum reservatum in hac Diœcesi, & Pontificiam excommunicationem, qui studiosè animatum eicit fœtum, & si postea supervivat, & baptizetur. Quia ad reservationem sufficit sola procuratio. Et per accidens est, quod fœtus supervivat & baptizetur; & ad excommunicationem incurrendam, sufficit præmatura animati fœtus eiectio, Cap. *cas.9.q.2. ill.9.*

9 Idem dicas de marito, vel alio, qui ita graviter uxorem cædit, aut calce percutit, vel tam sæpe, aut cum tanta corporis agitatione cognoscit, ut sequatur abortus; ut de quodam homine ex Catalonia refert Jacobus Ciso Episcopus Ilerdens. in cap. *fraternitatis de frid.* qui erat tam potẽs in re venerea, ut quolibet die exacte, triginta vicibus cognosceret suam uxorẽ, quæ ideo secretè recurrit ad Regẽ Aragonum, cui Catalanus Salax confessus est, rem ita se habere. Unde & Rex jussit, ut sub pœna capitis non amplius, quàm sexies in diem, suam cognosceret uxorẽ: ne illa mortis periculum incurreret, & abortum faceret, gravida (de qua uxoris querela valde mirandum, ut patet ex *Prov.30.15.& 16.*) Quæ intellige quando prævidit, & ex industria procurat. Secus dicendum si tantum intenderit iram, vel libidinem explere.

10 Nec excommunicationis, & reservationis telum effugit, ut docet Gabr. *in Elucidario casuum reservatorum par.2. cas.7.num.10.* qui scienter, & data opera ordinat, conficit, porrigit, ut ægra mulier prægnans sumat medicamentum directe tendens ad fœtus animati expulsionem, quamvis id præstet ad salutem matri ex morbo, vel partu periclitanti conferendã. Quia dicitur directè, & per se fœtus animati abortum procurare, quod nullo modo licet, ideoque secuto effectu, incurrit casum reservatum. Quod verum etiam est si fœmina illum procurasset ad tollendam infamiam &c. ut dicetur *n.21.* Si quidem *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Innocentem enim directè, & per se occidere, semper nefas est. Et in his, & similibus casibus duplex incurritur reservatio, una ob homicidium voluntarium, altera ob abortus fœtus animati procurationem, effectu secuto.

11 Probabiliter etiam incidit stuprator, qui cum muliere, cum qua rem habuit, dixit: *valdè anger ex eo quod conceperis; Quia suspicor gravia mala, & mihi, & tibi eventura;* Si exinde illis verbis perterrita mulier, abortum procuravit; dummodo tamen adverterit, quod perdita mulier conceptum partum disperderet, & in eum finem ea verba protulerit; quia in eo casu diceretur per alium procurasse abortum, & etiam, quia talis locutio perinde est, ac efficax consilium.

12 Non incurritur tamen reservatio, si cum matris salus ex morbo periclitatur, illi præstetur pharmacum directe tẽdens ad expellendos pravos humores, & sanitatem infirmæ restituendam, quamvis abortus contingat, & maximè, si mater judicetur simul cum fœtu moritura, nisi medicamentum sumat. Quia in pari necessitate, potest mater potius sibi, quàm proli prospicere. Secus verò, si ex morte acesset spes vitæ, & baptismi prolis: Quia tũc teneretur mater, etiam cum vitæ discrimine, ab omni prolis destructivo remedio abstinere.

13 Eadem reservationis immunitas extenditur ad medicum, qui potionem præbet, & mulier periclitans sumit, ut partus jam maturus facilius enascatur, etiam si partus antequam ad lucem veniret, moreretur. Quia voluntas medici, & parturicis, non est procurare abortum, sed partũ

matu-

naturalem. Ideoque quando abortus fœtus animati proveniret ex sumptione medicinæ directè ordinatæ ad expellendum morbum à matre alioquin morituræ, tunc innocens, per accidens, & in necessitatis casu, occiditur: quod à recta ratione, alienum non est, ut pluries supra dictum est. Et etiam, ut docet Laym. *lib.3. sect.5. tr.3. par.2. c.4. n.4.* vita corporalis propria, præferenda est vitæ corporali proximi.

14 Nec telum reservationis ferit fornicarium, cui amasia impium aperuit propositum procurādi abortum, si ille neque suadeat, neque dissuadeat. Quia licet fortè interveniat culpabilis permissio, seu tacita approbatio; non tamen vera procuratio, aut aliquod aliud, puta mandatum, consilium, auxilium, &c. ad abortum faciendum.

15 Nec incurrit, qui fœminæ bona fide patefecit remedium aliquod abortiēdi, si ea deinde illud adhibeat ad procurandum abortū; cum talis patefactio neque sit abortus procuratio, neque aliud.

16 Nec subjacet mulier, quæ ignoranter potionem sumpsit, ex qua secutus est concepti fœtus abortus; quod verum est, & si inde monita facti, de illo gauderet, & approbaret, cumque effectum posset impedire, ultrò intermiserat. Quia non intervenit studiosa abortus procuratio, aut aliquid aliud, sed tantum ratihabitio, vel permissio abortus.

17 Utrum verò patri habenti certum propositum occidendi filiam ex turpi cōcubitu gravidam repertam, vel ipsi filiæ habenti animum deliberatum inferendi sibi necem ad vitandam infamiam, possit alter licitè abortum suadere.

Affirmant Nav. Henr. Mol. Graf. & Sanch. *lib.7. de matrim. disp.11. n.11.* & alii apud Cabrinum, *in Elucid. casuum res. part 2. cas. 7 in corollario:* Quia suasor absolutè non suadet malum; sed habenti certum propositum committendi gravioris mali (quia non potest à proposito deduci) suadet minus malum; si quidem ex duobus malis, minus est eligendum, si alter committendum sit.

Sed contrarium teneat Cajet. Azor. Cov. Val. & à verbo *peccatum, n.8.* Quorū ratio est, quia inducere aliquem ad peccatum jussu, vel suasione, per se malum est, & nullo casu licitum. Nam minus malum non amittit rationem peccati, & adhuc malum quoddam est, & consequēter illicitum, illud suadere. Illud verò, *quod ex duobus malis, minus est suadendū,* locum habet tantum in iis, quorum alter, necessariò est eligendum, non verò in iis quæ liberè acceptantur.

Layman verò *lib.2. tract.3. c.3. num.7.* versiculo *Verum posteriori sententiæ*, & *lib.3. sect.4. n.6.* asserit, licitum esse suadere minus peccatum, si id sit pars formaliter, vel virtualiter inclusa in majori peccato, quod alter committere certò decrevit. Nam tunc suadens, non inducit hominem ad malum, sed abducit à parte mali, cum à toto avertere non possit. Unde habenti firmum propositum furandi centum, suadere licitum est, ut furetur tantum quinquaginta, nullam tamen nominando personam. Quia malitia furti minoris, formaliter in majori continetur. Secus dicendum, si minus malum contineatur in majori. Vide Croix *lib. 2. de Charitate à n.222.*

Ex dicta doctrina Laym. videtur, quod quoties pater esset paratus occidere filiā, aut si filia esset parata omninò sibi necem inferre, tali casu liceret alteri suo consilio, eos adducere ad procurandum abortū Quia tunc malitia abortus virtualiter continetur in matris occisione, & regulariter secum trahit enecationem fœtus. Tamen docent, quod etsi alter possit abortum puellæ suadere, non tamen eligere potest: Quia puella habet dominium suæ voluntatis. Unde potest, & tenetur suam voluntatem à toto malo culpæ abducere. Qui verò suadet, quia dominium voluntatis puellæ non habet, si non potest à toto malo avertere, rectè agit si solum à parte, in toto formaliter, vel virtualiter contento removeat. Sed pro hac difficultate, vide dicenda n.23. & Vivam, in propositione 34. damnata ab Innoc. XI. Cum circa materiam abortus, hoc fit damnatum.

18 In dubio autem, an fœtus fuerit animatus, docent incurri casum reservatum. Quia fœtus in tali dubio, præsumitur animatus, adeoque judicandum in favorem legis; dummodo sit probabile, ut dicetur num.20.

19 Dubitatur modò, an qui studiosè pharmacum alicui fœminæ ad procurandum abortum dederit, si interim dum expectatur eventus, pœnitentia ductus, velit

sit immanissimum scelus confiteri, an tūc possit à simplici confessario absolvi?

Permulti docent, non posse. Quia attētatio ipsa tantæ immanitatis ante effectū & secluso etiam ipso effectu, reservationi est obnoxia. Tamen probabiliter tenēdum, posse ob rationes, quas attulimus supra, *de homicidio cap.2.n.54.*

20 Si verò mulier, accepto pharmaco, porrexit in regionem longinquam, ita ut nesciatur, an ex pharmaco sit secutus effectus, aut si dubium sit, an secatio venæ pedis, vel alia remedia ad finem faciendi abortum, fecerint effectum, an tunc procurans incurrat casum reservatum?

Pro resolutione, nota cum Graff. *cons. 21. de sentent. excomm.* quod dupliciter potest quis dubitare, vel probabiliter; nempe quando rationes quoad utramque partem sunt æquales; vel scrupulosè, nempe quando ex levi suspicione timet, alicubi esse peccatum. His notatis.

Dico, quod si probabiliter, ex talibus remediis fuerit secutus effectus, & fœtus sit animatus, erit homicida, irregularis, & incurret probabiliter casum reservatum. Secus dicendum quando tantum scrupulose dubitet; cum hoc dubium de consilio boni viri, sit deponendum.

21 Non ligatur reservatione, qui tantum sterilitatem fœminæ procuravit. Quia inductio sterilitatis non est abortus. Sicuti nec qui aliquo modo impedit, ne fœtus humanus concipiatur, quod ex nulla causa licet.

In dubio autem de fœtus conceptione, docent, mulierem præsumendam esse gravidam. Nec incurrit, qui statuit procurare abortum, & id non præstitit, vel quia noluit, vel quia non potuit; Quia reservatio amicit tantum procurantes abortū, non proponentes, & in hac Diœcesi, fœtus debet esse animatus, & subsecutus effectus, quod semper intellige.

22 Nec subjacet reservationi maritus, qui dum ira inflammatus, prægnanti uxori, calce incusso, aut aliter, fuit causa, ut abortum pateretur. Quod verum est etiam si periculum abortus prævīderit, modo non intenderit. Quia non qui causa sunt abortus, sed qui studiosè, & ex industria illum procurant, incidunt.

23 Tamen non licet procurare abortū fœtus inanimis ad vitandam occisionem prægnantis; quia ordinatur ad conservationem humanæ speciei, ut docuit Viva *in prop.34. proscripta ab Inn. XI. num.7.* Nec ad vitandam infamiam alicujus communitatis, familiæ nobilis, &c. Quia id est intrinsecè malum, & à fortiori est verum, si fœtus sit animatus.

At quoties mors prægnantis imminet ab intrinseco, V.G. ab ipso fœtu; tunc cit. Viva, n.9. & Croix *lib.3. part.1. de homicidio à n.822.* docent, posse directè quoque procurari abortum fœtus inanimis; secus si immineat ab aliqua causa extrinseca, seu ab extrinseco. Quia quando mors imminet ab intrinseco; tunc dicitur invadere vitam, quod non potest dici quando imminet ab extrinseco. Attamen in praxi est valdè periculosum hoc asserere; Alias sequeretur, quod possit aliquando procurari pollutio, si abundantia seminis causet aliquod periculum fœminæ; Et tamen videmus, quod magis proximè, & immediatè concurrit ad generationem hominis fœtus inanimis, quam semen: Si ergo non potest procurari pollutio; Ergo neque abortus fœtus inanimis.

24 Circa absolutionem ab hoc crimine, licet Pon. *tom.3. disp.2. quæst.21. punct.10. n.16.* teneat, quod modò Confessarii habētes privilegium absolvendi ab omnibus casibus, & censuris Episcopo reservatis, possint absolvere ab excommunicationis censura à Sisto V. imposita, in Bulla edita 1588. 4. kalendas Novembris Pontificatus sui anno IV. *incipiente: Effrænatam*, in qua decernebat primò, ut procurantes abortum tam fœtus animati, quàm inanimis, incurrant pœnas Jure civili, & Canonico impositas, atq; decretas. Secundò, ut si Clerici essent, privati essent omni officio, beneficio, & dignitate, & inhabiles ad ea obtinenda redderentur. Tertiò easdem pœnas extendit ad omnes procurantes, & cōscientes, aut quovis modo adjuvantes, ut fœminæ propinetur potio, non solum ad abortum, sed etiam ad sterilitatem inducendam. Quartò omnibus istis imposuit pœnā excommunicationis summo Pontifici reservatam, quam Bullam; Vide apud Stephanum Quarantam *in summa Bullarii, verbo abortus.*

25 Dictam Sixti Bullam, Gregorius XIV. anno 1591. *pridie kalendas Junii* per aliam Bullā, quæ incipit *Sedes Apostolica* in duobus restrinxit, & moderavit. Primò ut quilibet confessarius, ad hoc tamen spec-

ſpecialiter deputatus, à deliđo abortus, & annexa excommunicationis pœna poſſit abſolvere. Secundò, ut ſi fœtus ſit inanimatus, vel ſi ſolum potiones ad non concipiendum, ſterilitatemque cauſandam dat, ſint, tunc non incurrantur pœnæ à Sixto V. conſtitutæ; Sed tunc res reguletur juxtà diſpoſitionem Juris communis. Ideoq; modò cenſura lata contra inducentes ſterilitatem, ſublata eſt.

Unde eruitur, quod poſſint ſimplices cõfeſſarii, tempore Jubilæi abſolvere pœnitentes hoc crimine tinctos. Et defactò ego in Jubilæo, conceſſo à Clemente XII. hodie feliciter Regnante, ac gubernante Dei Eccleſiam, duos obcæcatos humanæ ſpeciei diſperſores, abſolvi.

26 In irregularitate verò contracta ex procuratione abortus fœtus animati, effectu ſecuto, planum eſt non poſſe Epiſcopum, nec alios diſpenſare. Quia privilegiũ Trid. *ſeſ.24. cap.6.* excipit Irregularitatẽ ex homicidio voluntario cõtractam. Ideo tali impedimento irretiti, recurrere debẽt ad Pontificis Pœnitentiarium, ſi caſus ſit occultus; Si verò publicus, ad ipſum Pontificem.

27 Unde ex dictis collige, quod non ligatur excommunicatione, in conſtitutione Pontificis contenta, qui procurat abortum fœtus inanimis, etiam effectu ſecuto; quamvis incurrat reſervatum, ubi reſervatur abortus tam fœtus animati, quàm inanimati. Quia Bulla requirit, ut fœtus ſit animatus.

28 An verò confeſſarius, cui conceſſa fuit facultas abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis in hac Diœceſi, poſſit abſolvere à deliđo abortus, & annexa excommunicationis pœna? an verò requiratur, ut ſit ad hoc ſpecialiter deputatus, ut ex ſupradicta moderatione, & reſtrictione Greg. XIV.

Et probabiliter dicendum, poſſe abſolvere. Nam eo ipſo, quod Epiſcopus concedit facultatem generalem abſolvendi ab omnibus caſibus, in ſua Diœceſi reſervatis, concedit etiam, ut poſſit abſolvere à caſu abortus, qui cum aliis eſt reſervatus. Aliter inutilis eſſet generalis omnium conceſſio, imo eſſet ridicula, ſi concederet omnes, & vellet aliquem eſſe reſtrictum. Nam, ſi nollet, ut ab illo abſolvatur, exciperet; Ergo ſi non excipit, cenſetur concedere. Et defacto in conceſſionibus talis facultatis ferè ſemper excipit primos quatuor, inter quos etiam adeſt crimen abortus. Vide etiam dicenda *diſp. 3. q. ult. cap. 3. num. 4.*

CAPUT IV.

Caſus quartus cum Cenſura:

Maleficia, Sortilegia, incantationes, & quælibet ſuperſtitio cum expreſſa, ſive tacita dæmonis invocatione. & non revelantes illos, qui talia agunt, vel docent Sacramentorum, aut Sacramentalium abuſus.

PARS PRIMA

Maleficia.

APOPHASIS.

1 *Quam gravè ſit ſuperſtitionis deliđũ, indicant ſui miſerandi effectus.*

2 *Quomodo puniantur Rei hujus atrocis deliđi?*

3 *Quid poſſint dæmones circa futura cognoſcere?*

4 *Invocatio dæmonis duplex eſt, Tacita, & Expreſſa.*

5 *Pactum expreſſum fieri ſolet, aliquando cum ipſo dæmone privatim, vel ſolemniter; Aliquando verò aliquo medio homine.*

6 *Invocatio expreſſa fieri etiam ſolet cũ, vel abſque exhibitione Latriæ de dicenda veritate ſuper quodam libro dicto: Tabula Salomonis, & aliquando exibent dæmonibus cultum Latriæ, vel Duliæ.*

7 *Honor Duliæ alicui dupliciter exhibetur; In ſignum ſanctitatis; & in ſignũ dominii, juriſdictionis, & poteſtatis.*

8 *Quare honor, Duliæ ſanctis debitus, in terris à ſubditis Præſidentibus detur?*

9 *An dæmones poſſint cogi ad habitandum in vaſis?*

10 *Quid, & Quotuplex ſit maleficium, & quale comprehendat reſervatio?*

11 *Maleficium variis de cauſis fieri poteſt, & ſolet.*

12 *Ex quocumq. fine, & cauſa maleficia fiant, ſi tamen cum advertentia,*

&

& de liberatione sufficiente ad mortali fiunt; necdum reservationi Episcopali; sed etiam subjacent, tam quoad judicium, quam quoad supplicium (extra sacramentalis confessionis actū) ad tribunal S.Officii.

13 *Quomodo cognoscitur maleficus?*

14 *Strigæ, & Lamiæ quæ sint & unde dicantur?*

15 *Non licet magistratui explorare sagas suspectas, per submersionē in aquā.*

16 *Cur plures fœminæ, quàm viri cū dæmone paciscantur, & maleficia discāt?*

17 *An sit verum, quod sagæ equitent tempore nocturno?*

18 *Non licet à malefico petere, ut maleficio, maleficium tollat. secus verò, si possit tolli per aliquid de se non malū.*

19 *Licet uti effectu maleficii, si alteri non sit nocivus. Secus quando effectus debet conservari à dæmone. At si, effectus semel positus, sit independens à dæmonis commercio, poteris uti.*

20 *Fas est cuique tollere signum fœderis inter dæmonem, & hominem.*

21 *An verò sit licitum petere, vel admittere curationem à medico mago, utrūque ut probabile docent Doctores.*

22 *Quid comprendat supradictus casus?*

23 *Ligantur reservatione omnes, qui scienter maleficiis se immiscent, tam cum expressa, quàm cum tacita dæmonis invocatione.*

24 *Incidit, qui eduliis, poculis amatoriis, seu veneficiis ad inferandam alteri noxam, quomodolibet rebus sacris abutitur; sicuti, qui maleficiis se immiscet ad morbos, vel homicidia inferenda, ut ad jumenta, vineas &c. lædendas.*

25 *Nec eximitur, qui à malefico, maleficiis uti didicit, si simul, aut seorsim iis scienter & serio usus fuerit; sicuti nec est eximendus, qui maleficio, positivè cooperatur.*

26 *Eximitur verò, qui habuit firmum propositum utendi maleficio, si postea non utatur; sicuti qui attentavit, sed non complevit, & qui utitur aliquo maleficio ex simplicitate, vel ignorantia non crassa.*

27 *Nec est reservationi obnoxius, qui tātū permittit, consentit, vel alteri consulit, ut maleficiis se immisceat. secus di cendo de mandāte & simul cooperāte.*

28 *Nec afficitur, qui alterum instruit de modo, & ratione utendi maleficiis, si non utatur.*

29 *Eximitur etiam à reservatione, non tamē à culpa, qui à malefico maleficiis uti didicit, si tamen illis non utatur.*

30 *Nec incurrit, qui cogit dæmonem, ut tollat signum, quo durante durat pactum de vexando creaturam. sicuti neque imperando dæmoni superiori ad coercendum dæmonem inferiorem.*

31 *Quid sit adjuratio? quotupliciter fieri potest, & quæ conditiones requiruntur, ut sit licita?*

32 *Creaturæ rationales directè adjurari possunt, Irrationales vero tantum indirectè.*

33 *Non incurrit reservatum Exorcista, tractando cum dæmone existente in obsesso.*

34 *Peccat graviter Exorcista, si dæmoni exposcenti, se immiscere in altum hominem, id concedat.*

35 *Quæ debeat confessarius potissimum curare, & investigare in audienda maleficorum, & aliorum superstitiosorum confessione?*

1 Superstitionis flagitium inter scelera omnia magis horrificum. Nam homines hac stygia colluvie infecti, diaboli satellites (e cujus manibus illos eripere, esset quasi Æthiopem dealbare), naturæ humanæ carnifices, totque Judæ proditores, debent appellari; Cum hoc crimen, non solum sit perniciosissimū Christianæ Reipublicæ, cum ex illo ingentia mala in illam invehantur, & tanto latius serpat, ut multarum animarum jacturam, & perniciem causet; sed etiam injuriosissimū ipsi Deo; cum non semel talia exercentes, etiam Majestatis Divinæ, rei sint, Sacramentorum violatores, ac Christi, sanctorumque contemptores: cujus delicti patratores, & si ultimo supplicio in ignem, aut in aliam acerbam damnentur mortem, cuncta leviora tam gravi scelere supplicia. Enim hujus teterrimę magicarum artium pestis, Dęmon inventor fuit, ut homines vel futurorum præcognoscendorum desiderio, vel alia pestifera cupidine alliceret, sibique devoveret, suæque perditionis faceret consortes.

2 Tamen, & si Rei hujus atrocis delicti

etsi soleant, vivi, igne comburi, inter Christianos veri, tales ad ignem damnati, non solent lenta morte, absque omni auxilio Cruciari, ne in disperationem, aliudve grave peccatum incidant, & impœnitentes decedant; ideo ut docent Laym. *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 5. §. *un.* n. 59. quibusdam in locis appenditur eorum pectori pulvis tormentarius, seu pyrius, ut repentè extinguantur; dummodo impœnitentes, & in crimine pertinaces non perseverent.

3 Antequam singillatim de singulis superstitionis speciebus reservatis agamus, non abs re erit aliqua circa dictam materiam generaliter prænotare. Et primò quidem; quid possint Dæmones circa futura cognoscere, quæ à libero alterius arbitrio pendent. Nam, ut docet D. Aug. *lib. de divinatione Dæmon. cap.* 5. & 6. Dæmones non possunt certò futura cognoscere, quę à libero alterius arbitrio dependent; Tamen possunt longè plura de rebus futuris aliisque occultis nosse, quàm homines.

Et primò quidem, quia cognoscunt exactè omnes causas naturales, & earum vim ut solis, lunæ, syderum, elementorum, animalium &c. ex quibus facilè colligere possunt effectus ex iis secuturos, vel absolutè, vel si certò modò applicentur; sic facilè possunt prædicere ventos, tempestates, naufragia, mortes &c.

Secundò, quod ipsi, & alii Dæmones malorum socii, Deo permittente, facturi sint; sic potuerunt prædicere eversionem familiæ Job, & ipsius calamitates. Tertiò, quia summam habent experientiam; millies enim observarunt, quid in causis liberis sequi soleat, quibus rebus voluntas humana huc, vel illuc impellatur. Unde fit, ut de futuris liberis verè conjectent.

Quartò, quia vident in longinquis locis causas jā positas, vel effectus inchoatos; adeoque possunt, celeritate naturæ, illos prævertere, & alibi pronūciare. Quintò possunt interdum aliquid de rebus futuris cognoscere ab Angelis, Deo permittente, vel ex scripturis, quas melius intelligunt, quàm homines. vide S. Th. *par.* 1. *quæst.* 64. *art.* 1. *ad* 2.

Demum ex Sacris litteris constat, Dæmones posse per se ex uno loco in alium moveri, & quidem maxima celeritate; Sic Job. 1. & 2. Satan Deo interroganti. *Unde venis?* respondit: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Idem liquet Matth. 12. Item posse movere alia corpora de uno in alium locum transferendo; Quia non amiserunt dona naturalia, sicuti alii Angeli boni; Sic Dan. 14. Angelus transportavit Abacuch ex Judæa Babylonem capitis capillo apprehensum, & exinde in Judæam iterum reportavit; Et Matth. 4. transtulit ad pinnaculum Templi, & montem excelsum Christum Dominum. Alia opera, quæ dæmon potest, vel non potest per seipsum, aut per magos efficere, vide Benedictum Pererium *de Magia*, *lib.* 1. *cap.* 6. & 7.

4 Etiam pro clariori casuum infra ponendorum resolutione, notandum, quod invocatio dæmonis fit duobus modis, *expressè*, & *tacitè*. *Tacita* invocatio, est, cū superstitiosus utitur mediis, quæ nec virtute sua naturali, nec Divina vim habēt aliquid peragendi. *Expressa* est, cum invocatur Dæmon manifestè faciendo cum eo pactum, promittendo V. G. animam, negationem Sacramentorum &c.

5 Dictum pactum expressum dupliciter fieri solet, aliquando cum ipso dæmone, qui vel privatim, vel solemniter, nempe in solio suo sedēs, cum caterva aliorum Dæmonum visibiliter apparet, & fœdus cū invocante init: Aliquando dictum pactū fit medio aliquo homine, ut cum quis medio aliquo mago tale pactum init.

6 Solet etiam dicta expressa invocatio fieri cum exhibitione Latriæ vel absque illa, & convocatis dæmonibus, ipsi jurant de dicenda veritate super quodam libro, qui *Salamoni* inscribitur, & *tabula Salamonis* appellatur, in quo libro potestas Luciferi, & aliorum Dæmonum mendaciter est inserta, & orationes nefariæ à Dæmonibus revelatæ exibēdæ Lucifero, & aliis Dæmonibus. Ex quibus manifestè apparet, quod exhibent illis cultum Latriæ vel Duliæ, si miscent nomina Dæmoniorum inter nomina Sanctorum, quod non licet cum Dæmones non sint sancti, nec amici Dei, sed in culpa obstinati, servique captivati, & deceptores.

7 Ex dictis Nota cum Graff. *lib.* 5. *sent. excomm. consil.* 19. *n.* 9. quod honor Duliæ alicui dupliciter exibetur. Primò in signū sanctitatis; sic Gen. 18. & 19. Abraham, & Loth adoravere Angelos. Secundò in Signum gubernationis, & dominii jurisdictionis, & potestatis; & hac de causa Nathan propheta, & Bersabee, Davidēm regem adoravere. I Ex

8 Ex quibus resolves, quare in terris honor Duliæ, qui Sanctis debetur, Pontificibus, Episcopis, Regibus, aliisque Præsidentibus à subditis detur. Quia nempe sunt à Deo gubernatores, & Rectores constituti; & sic Deus in eis tamquam sibi caris, & amicis, principaliter honoratur.

9 Notandum verò, quod juxtà veram sententiam, Dæmones cum sint potentissimi, nullo pacto cogi possunt ad habitandum in vasis; sed si sponte veniant, fingũt tamen se compelli, ut decipiant credentes. Ideoque Henricus de Hassia apud Graff. *lib.5.de sent.excomm.cons.fol.20.n.4.* hæc habet: *Non ergo eum necromanticè, aut magicè compellis, aut in vinculis eum (ut putas) tenes, sed hoc certum habe, quod ipse simulat se captũ, ut te capiat; se vinctũ, ut te vinciat; se tuo imperio subditũ, ut te sibi subdat, à te inclusum, ut te finaliter concludat.* Imo si cogi posset ab hominibus, sanè dictum modum nondoceret.

10 Maleficium, quod primò in hoc casu reservatur; est vis nocendi aliis ex pacto & cooperatione dæmonis. Et duplex est, Amatorium, seu philtrum, quod etiam *sortilegium amatorium* solet appellari, & aliud dicitur Veneficium. Amatorium est illud, quo malefici utuntur, vel ad turpem amorem, vel odium excitandum, Dæmone phantasiam commovente, manente tamen tamen omnino libera voluntate. Veneficium verò est aliquod arte Dæmonis fabricatum, quo malefici ejusdem Dæmonis auxilio per occultam veneni applicationem, alteri nocent, & hoc etiam uti solẽt striges occidendo pueros. Nocent etiam in bonis corporis, sterilitatem, morbos, dolores, mortem &c. inferendo. Vel nocent in bonis fortunæ, vineas, segetes, domus per ventos, pluvias, grandines à Dæmone excitatas, destruendo, Cabrinus *in Elucid.* cas.reser.par. 2. *in secunda parte casus* 8. *n.1* Reservatio utrumque maleficium cõprehendit, cum utrumque sit peccatum gravissimum, & in tribunali S. Inquisitionis quoties eò deducitur, graviter puniendum.

11 Maleficium multis de causis fieri solet, & potest. 1 ad cognoscenda occulta consilia, & actiones personarum, quæ longè absunt. 2. ad morbos, doloresque, vel homicidia inferenda, vel animalia, domos vineas &c. lædendas. 3. ad inducendam sanitatem. 4. ut falsæ, & præstigiosæ apparitiones, veræ appareant. 5. ad efficiẽdas mirabiles mutationes, & effectus, vires humanæ naturæ excedentes.

Demum fieri solet ad impediẽdam carnalem conjunctionem inter novos conjuges, quod vulgò vocant: *Legatura* Nam ut patet de Sacramento matrimonii in *impedimento impotentiæ coeundi*, talis defectus, quo quis impeditur alteri commiscerí, duas habet species, una est Naturalis, Alia accidentalis. Naturalis est duplex una temporalis communis, quæ contingit per defectum ætatis. Alia perpetua, quę contingit aliquando propter nimiam frigiditatẽ, quæ tantum in masculo locum habet, & aliquando propter nimiam arctationem, & hæc tantum quoad fœminas procedit. Accidentalis demum, iterum duplex est, alia violenta, ut castratio; Alia occulta, quæ fit per quædam occulta maleficia ad impediendam dictam carnalem conjunctionem, quamvis hæc aliquando etiam contingat inter novos sponsos ob verecundiam, vel timorem, quem habent inter tales immundos, & insuetos actus invicem committendos; ideoq. perturbato & offuscato intellectu, nequeut esse validi ad illos perficiendos. Item contingere solet aliquando ob nimiam voluptatem, ob quam, quasi amentia capti, ideam tãtum confusam de copula habent, ideoque frustra asserunt, persæpè esse maleficio ligatos.

12 Ex quincumque fine, & causa, modò ex advertentia, & deliberatione sufficiẽte ad mortale, maleficia fiant, nedum reservationi Episcopali subjacere, sed præterea tum judicium, tum supplicium extra Sacramentalis confessionis actum ad Sancti Officii tribunal pertinere, dicendum est.

Si quæras, quo pacto maleficiorum delicta ad Episcopalem Jurisdictionem pertineant, si maleficiis nefariè se immiscẽtes, tum quoad judicium tum quoad supplicium subdantur Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem? vide dicenda *in tertia parte n.113.*

13 Maleficus cognoscitur extra Sacramentalem confessionem; vel ex confessione propria, vel aliorum, qui ejusdem delicti sunt participes, vel si Chyrographum aliquod penes aliquam personam, manu ejus scriptum reperiatur, quo se dæmoni devo-

devovisse appareat, aut si impressum gerat signum, vel sigma quo malefici solent insigniri.

Item si penes aliquem reperiantur venena, hostiæ, bufones, membra humana, imagines cereæ acubus infixæ, vel si invocare dæmonem, solere convincantur. Etiam cognoscuntur malefici, si visi sint, eos veneno, aut ungento aliqua linire animalia. Denique si mulier minata fuit alteri malum, & deinde reperiatur illo morbo correptus.

14 Strigæ sunt, quæ ex desperatione, vel ex nimia voluptate subiiciunt se dæmonibus, & sunt expressæ dæmonum invocatrices, negando fidem, conculcando Sacramenta, crucem &c. intrando domos dæmone aperiente januas, & impediente atque obstacula amovente, occidendo, mancos, & loripedes reddendo pueros, aliis nocendo &c.

Striges suum nomen mutuavere à quadam infausta, & nocturna ave, quæ juxta Plin. lib. 11. *histor. natural. cap.* 39. creditur infantibus mortem afferre. Lamiæ (& si pro eodē accipiātur) sunt, quæ dæmone opitulante, puerorum vitæ insidiantur. Et sic appellantur à voce græca *lamos*, *quæ ingluviem* significat; quia, ut fertur, infantes dovorabant. Unde Horat. *lib.* 1. *ad.* 36. habet: *Neu pransæ Lamiæ puerum vivum extrahet alvo.*

15 Ex eo quia dicuntur sagæ habere ex pacto cum dæmone, ut licet immergātur, tamen non demergantur, sed supernatent, quæres, an liceat Magistratui explorare per submersionem in aquam, si mulier sit suspecta, an sit saga?

Dico non esse permittendum. 1. quia est aliquid insolens. 2. quia, alias, etiam liceret per ferrum candens, vel per prunas ardentes explorare. 3. quia non licet cooperari arti magicæ.

16 Si petas cur plures fœminæ, quàm viri cum diabolo pacifcantur, & maleficia cifcant?

Docent Laym. *de Sagis*, & alii, quod ideo plures fœminæ, quàm viri cum dæmone paciscuntur, & maleficia discunt; Quia mulieres ob defectum judicii, & experientiæ facilius decipiuntur: Sunt enim magis curiosæ, pusillanimes, & infirmæ, ut mæstitiam, aut rancorem ægrè nimis ferētes, facilius quodvis, quaarumvis impium dæmonis solatium, auxiliumq; admittant.

17 Circa equitationem Sagarum, de quibus asserunt, vel creduntur, quod cum copiosa sociorum phalange nocte æquitent super quasdam bestias, aliqua spatia transeant, & quasque creaturas transforment, an hoc sit verum?

Vingacht *tract.* 10. *exam.* 6. *pag.* 441. habet, quod quamvis, ut plurimum irrogētur talia phantasmata, seu imaginationes quibus decipiuntur, putantes, se lucis interesse, cum non sint, tamē realiter transportantur: quod non excedit virtutem Angelicam, quia corpora obediunt Angelis quoad motum localem: sic, ut dictum est supra, n. 3. bonus Angelus prophetam Abacuch per capillos correptum, transtulit. Idem possunt Angeli mali, in quibus naturalia remanserunt integra, & quilibet Angelus habet determinatam sibi notam sphæram intra quam, corpus etiam celerrimè potest movere, etiam sine fatigatione hominis trāsportati. Et quamvia interdum sagæ sint fatigatæ, id provenit, vel ex nimia phantasiæ operatione; vel quia subinde etiam à dæmone fustigantur, aut etiam ex nimio saltu in loco cōventus; vel tandem, si corporaliter transportentur.

Ex quibus clarè animadverto persæpè, quàm sint falsa, vana, atque ridicula, quæ vulgus nostrorum rusticorum asserit de strigis, quas ipsi vocant *Jamare*, nempe eas quibusdā nocturnis horis accedere ad stabula equorum, & illos accipere, implicatisque prius sparsis illorum Crinibus, equitare super illos, ac etiā post quā homines in nocturna quiete positi sunt, asserunt vitisse illas longas, & implicatas comas expandere, & ungere se quocū pingui liquore extracto ex parvis infantibus occisis, & equitare in corpo dæmonis in formam arietis converti, atque brevi tēpore varias, & longinquas regiones peragrare; & demum ingredere cubicula atque genitoribus non videntibus, parvulos infantes ab eorum sinibus accipere, quos postquām exūxerunt, & loripedes reddiderunt, iterum clam in illorum lectulos reponere.

18 Utrum verò liceat à malefico petere, ut maleficium, V. G. ligaturas nodos, volumina capillorum, involucra plumarum, aliaque signa magica dissolvat?

Dico, non licere, si debeat tolli alio maleficio; quia illa operatio est intrinsece

 mala,

mala, cum sit usus artis magicæ, in quo intervenit tacita, vel expressa dæmonis invocatio. Secus dicendum, si possit tolli per aliquid de se non malum, quod tantū impediat continuationem pacti, ut si quis sciat, quod nemo thesaurum in terra defossum possit accipere, nisi qui supra locū mespilum, aut sorbum comedat; Tunc enim potest ibi illa comedere, & thesaurum accipere. Imo, ut docet Busemb. *de mal. ficis dub.* 5. licitum est pecuniâ maleficum inducere, ac etiam verberibus cogere, ut maleficium à se positum tollat, si licitè tolli possit. Secus dicendum, si constet, quod maleficus faciat per suum maleficium; Quia id esset cooperari ad peccatum alienum, ut supra dictum est.

19 Hinc resolves, licere uti effectu maleficii, dummodo non sit nocivus; Secus si sit alteri nocivus; quia fieret injuria. Si tamen effectus debeat conservari à dæmone, qualis esset scientia, qua quis doctè respondet, & si effectus non sit nocivus, nec licebit; quia continuaretur pactum. Si verò effectus semel positus postea sit independens à dæmonis commercio, ut pecunia tibi ab ipso data, poteris tunc illa uti cum non sit malum. Nam licet peccaveris admittendo, si te hujus pœnituerit, rescidisti pactum; tamen non poteris uti illa pecunia, si tibi constet, eam ab aliquo surripuisse.

20 Fas etiam est cuique tollere signum fœderis inter dæmonem, & maleficum, ideoque destruere dicta signa magica, ubi inventa fuerint, eo fine ut diabolus iis sublatis, & combustis, desinat nocere; Quia tunc non intervenit actio diabolica, sed humana, quam quilibet potest adhibere, etiam meritoriè, ut docet Schot. *in 4. dist. 34. quæst. un.*

21 An autem sit licitum petere, vel admittere curationem à medico mago?

Non licere asserunt, si dubium sit, an sciat medium licitum sanandi hoc malum: Si verò sciat medium licitum sanandi, docent cum Less. licere ex justa causa, ob rationem n. 18. datam.

At è contra alii cum Cajet. Delr. & Joanne Wiggers, negant licere, & si sciatur illum habere medium licitum sanandi: Quia tunc peteres vel admitteres, aut saltem te exponeres periculo habendi commercium cum dæmone, & ab illo admittendi beneficium. Dæmon enim saltē mediatè per magum applicabit medicamentum, ergo tu illud admittens, & eo utens, communicas, & admittis à dæmone beneficium.

22 Casus præsens comprehendit omnē magicam actionem, tam quæ fit cum expressa, quàm cum tacita dæmonis invocatione, tam ad nocendum alteri in bonis corporis, vel fortunæ, quàm ad inducendum aliquem ad amorem, vel odium; Tam quæ sit maleficii effectiva, quàm ejusdem dissolutiva. Nam hæ omnes actiones superstitiosæ, & diabolicæ, veniunt nomine maleficii.

Non tamen comprehendit actionem inductivam, qua scilicet maleficus vel prece, vel pretio, vel minis, aut verberibus ad maleficium ab eo positum dissolvendum inducitur: quo casu, & si inductor delinquat mortaliter, quoties sibi constat, maleficium tolli non posse sine alio maleficio, eo quod maleficium inducat ad actū intrinsecè malum, ut n. 18. dictum est. Tamen non ligatur reservatione: quia reservatio non afficit inducentes, sed maleficiis utentes. Nec dictus casus comprehendit illum, qui magica signa à malefico posita tollit, non diabolica, sed humana actione, eo fine, ut diabolus iis sublatis desinat nocere, quæ actio tantum abest, ut sit mala, reservationique obnoxia, ut etiam cum merito fieri possit, ut supra cum cit. Sch. docent Finellius Less. Bon. & alii.

23 Ex dictis oritur, eos omnes reservatione ligari, qui scienter maleficiis se immiscent, tam cum expressa, quam cum tacita dæmonis invocatione, tam ad lædendum alterum in bonis corporis, & fortunæ, quam ad cetera, dicta n. 22.

24 Etiam incidit ille, qui eduliis vel poculis amatoriis, seu veneficiis ad noxā alteri inferendam quomodolibet rebus sacris abutitur. Sicuti, qui maleficiis, nefariè se immiscet, ob expressam, vel tacitam dæmonis invocationē. Etiam incurrit, qui utitur maleficiis ad morbos, vel homicidia inferenda, aut ad jumenta, domos, vineas &c. lædendas; quod docent esse verum etiam si ignorat delicto maleficii, esse annexam reservationē; Quia, ajūt quod ignorantia juris non excusat, secūtā ignorantia facti à reservatione.

25 Nec eximitur, qui à malefico, maleficiis uti didicit, si simul cum eo, vel

scor-

seorsim iis seriò, & scienter usus fuit. Sicuti, nec est eximendus, qui malefico positivè cooperetur per manus ipsius tamquam per instrumentum, maleficiis se immiscendo, modò ex advertentia, & deliberatione id præstet. Quia moraliter rem æstimando, censetur talis conficere maleficia.

26 E contra non incidit, qui habuit firmum propositum utendi maleficio, sed illo minimè usus fuit. Quia reservatio est de actibus externis. Idem est de illo, qui attentavit, sed non complevit; Quia requiritur actus completus. Nec qui utitur aliquo maleficio ex simplicitate, vel ignorantia, non tamen crassa; Quia tunc utpote incognitum, & involuntarium, non potest imputari ad culpam, neque incurritur reservatio.

26 Nec est reservationi obnoxius, qui tantum permittit, consentit, vel alteri consulit, ut maleficiis se immisceat; Quia consentientes, consulentes, permittentes, &c. non comprehenduntur. Aliter videtur dicendum de mandante, simul cooperante, &c.

28. Extra telum reservationis existit, qui alterum instruit de modo, & ratione utendi maleficiis, si non utatur; Quia aliud est docere, aliud practicè maleficiis se immiscere: quamvis graviter delinquat; & orthodoxæ fidei censoribus esset denunciandus.

29 Eximitur etiam à reservatione, non tamen à culpa, qui à malefico, maleficiis uti didicit, sed iis minimè usus fuit. Quia reservatur in casu maleficiorum usus, nō maleficiis utendi cognitio. Secus si seriò, & scienter utatur.

30 Nec incurrit, qui cogit dæmonem, ut tollat signum, quo durante durat pactum, de vexando creaturam. Quia id nō est uti ope dæmonis, sed se defendere, & cogere, ut destituat opera sua. Sicuti neq; imperando dæmoni superiori ad coercendum dæmonem inferiorem. Nam in utilitatem nostram licet expellere clavū clavo, Delb. *de inquis. par. 2. dub. 228. sect. 28. n. 18.* At quia hæc ad adjurationem pertinent, ideo inutile non erit, aliqua de adjuratione tangere.

31 Igitur sciendum, quod adjuratio est inductio ad aliquod faciendum, vel non, ut *adjuro te per Christum Jesum, ut hoc facias.*

Dupliciter adjuratio fieri potest, aut per deprecationem, aut per imperium; adeoque, ut sit licita, debet sequentes conditiones habere. Prima, ut adjuratio fiat per verum Deum, & per res verè sacras. Secunda, ut res petatur cum animo verè obtinendi, non fictè. Tertiò, ut prudenter, nempe ut petantur honesta. Et demum, ut Deus, & Sancti, non adjurentur imperativè, sed deprecativè, & è contra dæmon imperativè. Cum imperium circa Deum, & Sanctos, sit injuria, & contemptus. Deprecatio verò erga dæmonem esset amicitia, & submissio.

32 Creaturæ rationales adjurari possunt directè; Irrationales verò tantum indirectè; quia cum sint rationis incapaces, non possunt per adjurationes directè induci, & moveri ad præstandum, quod petimus; sed quantum à Deo moventur contra nos in pœnam, vel à dæmone in vindictam, ut noceant, nos eas adjuramus deprecando in ordine ad Deum; vel imperando in ordine ad dæmonem, ut sic Deus misereatur, & dæmon à nocendo desistat: Et hoc pacto Creaturæ dicuntur indirectè adjurari, Felix Potestas *to. 1. à n. 1765.*

33. Unde resolves, non incurrere reservatum Exorcistam tractando cum dæmone existente in obsesso, petendo ea, quæ ad suum munus, finem, & expulsionem conducunt, nempe de causa ingressus, numero spirituum, & petendo signum dandum in suo exitu. Exorcizans debet esse Sacerdos, aut saltem exorcistatus ordine insignitus, & de licentia ordinarii.

34 Peccat verò graviter Exorcista si permittat, aut concedat dæmoni exposcenti se immittere in alium hominem; Cum non sit Dominus vitæ proximi. Secus verò ut se immittat in equum alicujus divitis, non patientis damnum notabile: quamvis Tamb. & Castr. teneant, id licere etiam cum gravi damno boni temporalis alterius. Quia putant, talem obsessum esse constitutum in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia.

31 Quæ debeat potissimum confessarius in audienda maleficorum, & aliorum superstitiosorum confessione investigare, inquirere, & curare?

Docent Busemb. apud Croix, *lib. 3. par. 1. dub. 5.* quod primo debet à malefico inquirere, qua occasione maleficiis se immiscuerit

Se-

mala, cum sit usus artis magicæ, in quo intervenit tacita, vel expressa dæmonis invocatio. Secus dicendum, si possit tolli per aliquid de se non malum, quod tantū impediat continuationem pacti, ut si quis sciat, quod nemo thesaurum in terra defossum possit accipere, nisi qui supra locū mespilum, aut sorbum comedat; Tunc enim potest ibi illa comedere, & thesaurum accipere. Imo, ut docet Busemb. *de mal. ficis dub.* 5. licitum est pecuniâ maleficum inducere, ac etiam verberibus cogere, ut maleficium à se positum tollat, si licitè tolli possit. Secus dicendum, si constet, quod maleficus faciat per suum maleficium; Quia id esset cooperari ad peccatum alienum, ut supra dictum est.

19 Hinc resolves, licere uti effectu maleficii, dummodo non sit nocivus; Secus si sit alteri nocivus; quia fieret injuria. Si tamen effectus debeat conservari à dæmone, qualis esset scientia, qua quis doctè respondet, & si effectus non sit nocivus, nec licebit; quia continuaretur pactum. Si verò effectus semel positus postea sit independens à dæmonis commercio, ut pecunia tibi ab ipso data, poteris tunc illa uti cum non sit malum. Nam licet peccaveris admittendo, si te hujus pœnituerit, rescidisti pactum; tamen non poteris uti illa pecunia, si tibi constet, eam ab aliquo surripuisse.

20 Fas etiam est cuique tollere signum fœderis inter dæmonem, & maleficum, ideoque destruere dicta signa magica, ubi inventa fuerint, eo fine ut diabolus iis sublatis, & combustis, desinat nocere; Quia tunc non intervenit actio diabolica, sed humana, quam quilibet potest adhibere, etiam meritoriè, ut docet Schot. *in 4. dist. 34. quæst. un.*

21 An autem sit licitum petere, vel admittere curationem à medico mago?

Non licere asserunt, si dubium sit, an sciat medium licitum sanandi hoc malum. Si verò sciat medium licitum sanandi, docent cum Less. licere ex justa causa, ob rationem n. 18. datam.

At è contra alii cum Cajet. Delr. & Joanne Wiggers, negant licere, & si sciatur illum habere medium licitum sanandi: Quia tunc peteret vel admitteret, aut saltem se exponeret periculo habendi commercium cum dæmone, & ab illo admittendi beneficium. Dæmon enim saltē mediatè per magum applicabit medicamentum, ergo tu illud admittens, & eo utens, communicas, & admittis à dæmone beneficium.

22 Casus præsens comprehendit omnē magicam actionem, tam quæ fit cum expressa, quàm cum tacita dæmonis invocatione, tam ad nocendum alteri in bonis corporis, vel fortunæ, quàm ad inducendum aliquem ad amorem, vel odium; Tam quæ sit maleficii effectiva, quàm ejusdem dissolutiva. Nam hæ omnes actiones superstitiosæ, & diabolicæ, veniunt nomine maleficii.

Non tamen comprehendit actionem inductivam, qua scilicet maleficus vel prece, vel pretio, vel minis, aut verberibus ad maleficium ab eo positum dissolvendum inducitur: quo casu, & si inductor delinquat mortaliter, quoties sibi constat, maleficium tolli non posse sine alio maleficio, eo quod maleficium inducat ad actū intrinsece malum, ut n. 18. dictum est. Tamen non ligatur reservatione: quia reservatio non afficit inducentes, sed maleficiis utentes. Nec dictus casus comprehendit illum, qui magica signa à malefico posita tollit, non diabolica, sed humana actione, eo fine, ut diabolus iis sublatis desinat nocere, quæ actio tantum abest, ut sit mala, reservationique obnoxia, ut etiam cum merito fieri possit, ut supra cum cit. Sch. docent Finellius Less. Bon. & alii.

23 Et dictis oritur, eos omnes reservatione ligari, qui scienter maleficiis se immiscent, tam cum expressa, quam cum tacita dæmonis invocatione, tam ad lædendum alterum in bonis corporis, & fortunæ, quam ad cetera, dicta n. 22.

24 Etiam incidit ille, qui eduliis vel poculis amatoriis, seu veneficiis ad noxā alteri inferendam quomodolibet rebus sacris abutitur. Sicuti, qui maleficiis, nefariè se immiscet cum expressam, vel tacitam dæmonis invocationē. Etiam incurrit, qui utitur maleficiis ad morbos, vel homicidia inferenda, aut ad jumenta, domos, vineas &c. lædendas; quod docent esse verum etiam si ignorat delicto maleficii, esse annexam reservationē; Quia, ajūt quod ignorantia juris non excusat, sicuti ignorantia facti à reservatione.

25 Nec eximitur, qui à malefico, maleficiis uti didicit, si simul cum eo, vel seor-

seorsim iis seriò, & scienter usus fuit. Sicuti, nec est eximendus, qui malefico positivè cooperetur per manus ipsius tamquam per instrumentum, maleficiis se immiscendo, modò ex advertentia, & deliberatione id præstet. Quia moraliter rem æstimando, censetur talis conficere maleficia.

26 E contra non incidit, qui habuit firmum propositum utendi maleficio, sed illo minimè usus fuit. Quia reservatio est de actibus externis. Idem est de illo, qui attentavit, sed non complevit; Quia requiritur actus completus. Nec qui utitur aliquo maleficio ex simplicitate, vel ignorantia, non tamen crassa; Quia tunc utpote incognitum, & involuntarium, non potest imputari ad culpam, neque incurritur reservatio.

26 Nec est reservationi obnoxius, qui tantum permittit, consentit, vel alteri consulit, ut maleficiis se immisceat; Quia consentientes, consulentes, permittentes, &c. non comprehenduntur. Aliter videtur dicendum de mandante, simul cooperante, &c.

28. Extra telum reservationis existit, qui alterum instruit de modo, & ratione utendi maleficiis, si non utatur; Quia aliud est docere, aliud practicè maleficiis se immiscere: quamvis graviter delinquat, & orthodoxæ fidei censoribus esset denunciandus.

29 Eximitur etiam à reservatione, non tamen à culpa, qui à malefico, maleficiis uti didicit, sed iis minimè usus fuit. Quia reservatur in casu maleficiorum usus, nō maleficiis utendi cognitio. Secus si seriò, & scienter utatur.

30 Nec incurrit, qui cogit dæmonem, ut tollat signum, quo durante durat pactum, de vexando creaturam: Quia id nō est uti ope dæmonis, sed se defendere, & cogere, ut destruat opera sua. Sicuti neq; imperando dæmoni superiori ad coercendum dæmonem inferiorem. Nam in utilitatem nostram licet expellere clavū clavo, Delb. *de inquis. par. 2. dub. 228. sect. 28. n. 18.* At quia hæc ad adjurationem pertinent, ideo inutile non erit, aliqua de adjuratione tangere.

31 Igitur sciendum, quod adjuratio est inductio ad aliquod faciendum, vel non, ut *adjuro te per Christum Jesum, ut hoc faciat.*

Dupliciter adjuratio fieri potest, aut per deprecationem, aut per imperium; adeoque, ut sit licita, debet sequentes conditiones habere. Prima, ut adjuratio fiat per verum Deum, & per res verè sacras. Secunda, ut res petatur cum animo verè obtinendi, non fictè. Tertiò, ut prudenter, nempe ut petantur honesta. Et demum, ut Deus, & Sancti, non adjurentur imperative, sed deprecative. & e contra dæmon imperativè. Cum imperium circa Deum, & Sanctos, sit iniuria, & contemptus. Deprecatio verò erga dæmonem esset amicitia, & submissio.

32 Creaturæ rationales adjurari possunt directè; Irrationales verò tantum indirectè; quia cum sint rationis incapaces, non possunt per adjurationes directè induci, & moveri ad præstandum, quod petimus; sed quantum à Deo moventur contra nos in pœnam, vel à dæmone in vindictam, ut noceant, nos eas adjuramus deprecando in ordine ad Deum; vel imperando in ordine ad dæmonem, ut sic Deus misereatur, & dæmon à nocendo desistat: Et hoc pacto Creaturæ dicuntur indirectè adjurari, Felix Potestas *to. 1. à n. 1765.*

33. Unde resolves, non incurrere reservatum Exorcistam tractando cum dæmone existente in *obsesso*, petendo ea, quæ ad suum munus, finem, & expulsionem conducunt, nempe de causa ingressus, numero spirituum, & petendo signum dandum in suo exitu. Exorcizans debet esse Sacerdos, aut saltem exorcistatus ordine insignitus, & de licentia ordinarii.

34 Peccat verò graviter Exorcista si permittat, aut concedat dæmoni exposcenti se immittere in alium hominem; Cum non sit Dominus vitæ proximi. Secus verò ut se immittat in equum alicujus divitis, non patientis damnum notabile: quamvis Tamb. & Castr. teneant, id licere etiam cum gravi damno boni temporalis alterius. Quia putant, talem obsessum esse constitutum in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia.

35 Quæ debeat potissimum confessarius in audienda maleficorum, & aliorum superstitiosorum confessione investigare, inquirere, & curare?

Docent Busemb. apud Croix, *lib. 3. par. 1. dub. 5.* quod primo debet à malefico inquirere, qua occasione maleficiis se immiscuerit

S-

Secundo, quo tempore. Tertio quo fine. Quarto, an Apostasiæ, hæresis, vel idolatriæ flagitia commiserit. Quinto, an ad conficienda maleficia, abusus sit rebus sacris. Quia tunc præter maleficii delictum commisit gravissimum sacrilegium.

Et quia dictis flagitiis solent hæc tria esse annexa, nempe damnum proximi, ratione cujus maleficus restituendi onere gravetur. Secundo verba blasphema in Deum, vel Sanctos prolata. Tertio carnalis cum dæmone commistio: idcirco etiam de his est interrogandus.

Debet etiam curare, ut maleficos, vel maleficas à diaboli potestate eripiat, quod licet sit difficile, non tamen impossibile: ideo primo curabit, ut pactum, si quod habet cum dæmone, maleficus dissolvat, perfringendo, vel comburendo Chirographū, si penes se habeat. Si vero dæmon solus illud habeat, non necessario agendum, ut reddat. Quia, ut docent communiter, pactum quodcumque cum dæmone initum sufficienter dissolvitur per pœnitentiam. Secundò, ut abjurato dæmone, fidem, ac spē in Deo ponat, qui peccatores singulos ad pœnitentiam invitat, & revertere volentes recipit, ostendendo falsam esse persuasionem, quam sagæ habent. Tertio, ut libros, schedulas, ligaturas, aliaque artis instrumenta comburat. Quarto, ut Litanias Sanctorum, aliasque preces frequenter, devoteque recitet. Quinto, ut Crucis signo, sacrisque imaginibus, reliquiis Sāctorum, aqua benedicta, & similibus utatur. Sextò, ut Sacramentum confessionis frequentet, & quod melius esset, apud eundem Confessarium. Septimo, ut Orthodoxæ fidei professionem repetat, Apostolorumque Symbolum, sæpius recitet, Sāch Less. Laym.

PARS SECUNDA.

Sortilegia, Incantationes.

APOPHASIS.

36 *Sortilegiū unde dictū, quot sortium genera dentur? & quid sint sortes divisoriæ & quando licitæ?*

37 *Quæ sint sortes consultoriæ, & quando licitæ.*

38 *Quæ sortes Divinatoriæ, & quàm sint illicitæ? & quid de arte cabalistica dicendum?*

39 *Reservatur in hac Diœcesi omnis usus sortium, quarum directioni præest diabolus.*

40 *Ligantur reservatione omnes utentes sortilegiis, si eventus expectetur à dæmone.*

41 *Non vincuntur reservationis ligamine adhibentes sortilegia Divisoria, seu consultoria, si nulla dæmonis invocatio intercedat, nec qui cœpit, sed non complevit uti sortilegiis.*

42 *Nec innodatur, qui se immiscet sortilegiis simpliciter, & ex ignorantia non crassa; sicuti neque, qui ex ioco; & curiositate utitur.*

43 *Nec ligantur mandantes, consentientes &c. Neque qui instruit tantum verbis de modo exercendi.*

44 *Quid sit Incantatio? Unde dicta? & quid veniat nomine incantationis in Episcopali edicto?*

45 *Quid sit perpendendum in incantationibus, vel scripturis suspensis?*

46 *An sit licita incantatio serpentum, & an magi possint incantare animalia bruta?*

36 ET si sortilegium sit una ex speciebus divinationis, tamen quia noster sapientissimus Legifer, specialiter, post maleficia, reservavit, sicuti etiam post illam, *Incantationem*: ideo de iis speciatim in hac parte agemus. De divinatione verò, & aliis speciebus superstitionis, agemus in sequenti hujus casus parte.

Itaque sortilegia à legendo sortes dicta, sunt, quando quis per sortes inquirit, quæ sunt illi abscondita.

Sortium tria dantur genera. Aliæ enim sunt *Divisoriæ*, aliæ *Consultoriæ*, & postremæ *Divinatoriarum*, nomen sortiuntur. *Divisoriæ* sunt, quibus quæritur, quod cuique de bonis, honore, premio, vel pœna tribuendum sit. Hæ sortes sunt licitæ, si eventus non expectetur à dæmone, sed à solo Deo, atque caveatur ne illi fiat injuria, nec adhibeantur in electione ad dignitates, & officia; ideoque dicitur in Proverbiis: *Contradicentes conpenit sors.*

37 *Consultoriæ* sunt, quando quis per sortes inquirit ea, quæ sunt illi abscondita: & hæ etiam licitæ sunt, si necessitas, & honestas suadeat, aptiorque modus consilium capiendi non appareat, fiantque cum debita reverentia, ut docet *Less.* Nihilo-

hilominus ordinariè loquendo, sunt illicitæ, cum non sortibus, sed Ecclesiæ precibus, Sanctorum doctrina, p orumque consilio Divina scrutanda sit voluntas: imo superstitionem continere possunt, si expressa, vel tacita, seu implicita dæmonis invocatio interveniat.

28 *Divinatoriæ* sunt, quæ fiunt ad futurum, vel occultum aliquod cognoscendum, quasi sorti, vis aliqua divina insit. Hæ, ut docet S. Th. 2 2. q. 96. omninò illicitæ, & superstitiosæ sunt. Cum tales sortes neque ex Dei, vel Ecclesiæ institutione occultis rebus cognoscendis possunt deservire. Ideoque pactum aliquod sive expressum, sive tacitum cum Satan, ut ab eo mittens sortes rebus occultis instruatur, continere, dicamus oportet.

Ad sortes divinatorias reducitur ars cabalistica cui, si conficientes cabalas fidem adhibeant à superstitionis peccato minime liberi censendi sunt; Cum & utantur quibusdam ignotis nominibus, & medio improportionato occulta scire pretendant, & potissimum si futura contingentia à libero humano arbitrio pendentia, quorum cognitio solius Dei est.

39 Et quamvis hæc ultima sortilegii species, quæ est mortaliter illicita, videatur cum censura in hac nostra Diœcesi reservari. Tamē nomine sortilegii comprehenditur omnis usus sortium, quorum directioni preest diabolus, sive divisoriæ, sive consultoriæ, sive divinatoriæ sint, sicuti omnis alia divinatio, dicta invocatione intercedente, pactoque explicito, sive implicito.

40 Unde ligantur reservatione omnes qui serio, & scienter utuntur sortilegiis cujuscumque generis illa sint; dummodo eventus a dæmone expectetur, interveniente pacto explicito, sive tacito ejusdem. Itaque in speciе incidit ille, qui in sortibus consultoriis, directionem, in divinatoriis auxilium implorat, expectatque à dæmone, ut extrahentium sortes manus moveat, pacto saltem tacito interveniente.

41 At eximuntur à casu, qui adhibent sortilegia tantum divisoria, seu consultoria, dummodo nulla intercedat dæmonis invocatio; Ac etiam, qui cepit uti sortilegiis aliisque divinandi modis, sed actum non complevit. Quia dispositio juris reservantis completum actum requirit.

42 Nec est obnoxius, qui se immiscet sortilegiis, si ex ignorantia non crassa, vel inadvertentia, aut simplicitate animi id aget. Quia sicuti tunc excusantur à malitia mortali, ita etiam à reservatione. Idē dic de illo, qui non serio, & ex animo; sed ex ioco, vel curiositate utitur sortilegiis: quia non delinquit mortaliter, cum non agat serio.

43 Eadem immunitas extenditur ad eū qui mandat, consentit, vel consulit, ut aliquis sortilegiis &c. se immisceat. Quia pœna lata contra facientes, non comprehendit mandantes &c. Idem resolves de illo, qui alium instruit de modo exercendi sortilegia; modo instructio in solis verbis consistat, non autem in facto, seu practico opere. Quia à diversis non fit illatio & aliud est exercere, aliud instruere. Delinquit tamen graviter; Et si commonitus, & correptus, non resipiscat, denunciandus est Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem.

44 Incantatio ex Graff. *lib. 5. d. sent. excomm. consil. 16. n. 6.* est manifesta, vel tacita dæmonis invocatio ex aliqua superstitione ad aliquem dæmonis cultum inventa. Dicta est à cantando, nempe cū cantatur carmen aliquod sive sacrum, sive profanum, in quo continetur pactum cum cachodæmone, juxta illud psal. 57. *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet voces in antantiū.*

Incantatio quamvis significet practicā illam rationem, sive modum, quo incantatores in exercenda incantandi arte, utuntur. Ceterum in edicto Episcopali pro incantationibus intelliguntur ea verba, vel dæmonis arte adinventa, vel ad eius placitum instituta, quibus utuntur magi, aliisque vanis observanriis addicti in superstitioso illius artis exercitio.

45 In incantationibus, vel scripturis suspensis, sequentia perpendenda sunt. Primo quid sit, quod profertur, vel scribitur, quia si est aliquid pertinens ad dæmonem invocandum, tum est superstitiosum, & illicitum. Secundo, si continent ignota nomina, ne sub illis aliquod illicitum lateat. Tertio, ne aliquid falsitatis contineat: Quia tunc effectus non potest expectari à Deo, qui est summè verax. Quarto, ne cum verbis contineantur aliqua vana, aut si spes habeatur in modo scribendi, ligandi, aut in alia vanitate ad di-

Divinam reverentiam non spectante.

46 Incantationem serpentum non esse illicitam, si divina virtus respiciatur, & sacris verbis nullæ vanæ observationes misceantur, docent D.Anton.§.11.*De serpentum illicita incantatione*, & Delr.*lib. 3.par.2.q.4.sect.8.& lib.2.q.13.* docet, an magi possint incantare animalia bruta?

PARS TERTIA.

Et qualibet superstitio cum expressa vel tacita dæmonis invocatione.

APOPHASIS.

47 *Quid sit superstitio, & quotuplex?*

48 *Superstitio ratione rei cultæ, dividitur in idololatriam, Divinationem, & vanam observantiam.*

49 *Quid sit Idololatria? & quomodo olim fiebat?*

50 *Triplex est idololatria, Materialis, Formalis, & Imperfecta.*

51 *Non est idololatria credere dæmoni, aut cum interrogare si loquatur in obsesso, cui si cogatur vi exorcismi, credi potest sed non indubitatè.*

52 *Quid sit Divinatio, & quotuplex?*

53 *Divinatio, quæ fit cum expressa dæmonis invocatione, dividitur in novē species.*

54 *Quid sit prima species, nempe Prastigium, & unde dictum?*

55 *Quid sit Necromantia, Necromantici, quid soleant agere, & quomodo cognoscantur?*

56 *Quid sit observatio somniorum, & quotuplex detur genus?*

57 *Quomodo somnium Divinum à Diabolico discernatur.*

58 *In dubio autem, an à Deo, vel Dæmone proveniat somnium, non est illi fides præstanda.*

59 *Quæ sit somniorum causa?*

60 *Pythonia quid sit?*

61 *Geomantia quid sit?*

62 *Hydromantia quid sit?*

63 *Aeromantia quid?*

64 *Pyromantia quid?*

65 *Aruspicium quid?*

66 *Quæ sunt species Divinationis, quæ sunt cum tacita dæmonis invocatione?*

67 *Quid, & quotuplex sit Astrologia?*

68 *Astrologia judiciaria triplex est Electionis, Revolutionis, & Nativitatis.*

69 *Astrologia naturalis, non est mala.*

70 *Astrologia Electionis, & Revolutionis, nedum damnanda magnæ temeritatis? sed & mortalis culpæ.*

71 *Astrologia Nativitatis, quæ prædicit res à libero arbitrio pendentes, superstitiosa est, & omni jure prohibita.*

72 *Pacientes indicia, & nativitates, mortalem culpam, & excommunicationem incurrunt, ac reservationem.*

73 *Qui sub dubio, & tenui conjectura, ex astris, pendentia à libero arbitrio pronunciant futura; morti feræ superstitionis sunt damnandi.*

74 *Quæ Physiognomia, cuius partes sunt Metoposcopia, & Chiromantia?*

75 *Alia Physiognomia, & Chiromantia datur; quæ appellatur philosophica, & naturalis.*

76 *Physiognomia, & Chiromantia secundum se, non sunt prohibitæ, si absque credulitate, sed ex curiositate, & ioco fiant.*

77 *Quid sit Augurium?*

78 *Quid sit Aruspicium? cui, qui ex to certo credit aliquod eventurum, superstitionē committit; tamen animalia ex naturali instinctu aliqua conjectāt.*

79 *Quid sint Omen, & Spatulamantia, & nonnullæ aliæ divinationes?*

80 *Quid sit vana observantia, & in quo differat à Divinatione.*

81 *In quatuor species vanam observantiam dividunt, nempe in artem notoriam, magiā, & observationem eventuū, & sanitatum.*

82 *Quid sit ars notoria?*

83 *Quid, & quotuplex sit magia, & unde dicta?*

84 *Magia naturalis per se non est mala, sed periculosa. Diabolica verò ex genere suo, est mortalis, & reservata, nec excusat pravitas materiæ.*

85 *Quid sit observantia sanitatum, ubi de quibusdam superstitiosis? & ridiculis observationibus.*

86 *In dubio autem, an effectus proveniat à causa naturali, vel superstitiosa, præsumendum est provenire à causa naturali.*

87 *Observatio eventuum quid sit, & de variis usitatis observationibus.*

88 *Ligatur reservatione, ac etiam excommunicatione Bullæ cenæ, qui adorat diabolum tamquam numen, etiam si fictè.*

89 *Non impeditur ex sententia Cajetani*

reservatione adorans statuam falsi numinis, aut aliam creaturam, quamvis sit infidelis, & punibilis à S. Officio.

90 *Non ligatur reservatione, qui utitur superstitione cultus superflui, aut falsi.*

91 *Ligantur reservatione observatores somniorum, quando ex illis conjectantur effectus liberè eventuri, aut merè casuales, & fortuiti.*

92 *Incidit in reservatum observans somnium, ut in cognitionem, eorum, quæ in vigilia ad illa præscienda dæmonē invocavit, veniat, responsum expectādo, & qui certò interpretantur numeros ponendos in ludo dicto della Beneficiata.*

93 *Non innodatur tamen, qui utitur somniis ad præcognoscenda futura; quando somnia procedunt ex revelatione Divina, vel ex causa naturali intrinseca, vel extrinseca.*

94 *Incidit, qui res occultas sive præsentes, sive præteritas per astra investigat.*

95 *Comprehenditur in casu Astrologia judiciaria, & omnis alia superstitio, quando ex astrorum aspectu futura cōtingentia, & à libero arbitrio pendentia divinare præsumit, & si non exprimantur.*

96 *Quando agitur de salute animarum, potest fieri extensio etiam juris pœnalis.*

97 *In casu comprehenduntur omnes superstitiosi divinandi modi & si parvi sint momenti.*

98 *Incidunt etiam omnes utentes sortilegiis, vel aliis variis signis, quamvis expressè protestentur, se dæmonem non invocare.*

99 *Ligatur casu, qui per alterius ministerium utitur superstitiosis divinationibus, quamvis non improbabile sit contrarium.*

100 *Est tamen immunis à reservatione, qui utitur astrologia naturali secus hodiè docent de Astrologiæ Judiciariæ usu.*

101 *Etiam casu perstringuntur exercentes artem notoriam.*

102 *Item utentes observantia sanitatum advertenter, & mala fide, reservatione vincuntur.*

103 *Non ligatur tamen, qui utitur quibusdam orationibus, non superstitiosis, sicuti probabiliter neque personæ aliquæ vel familiæ, quę dant operam ad sanandos quosdam morbos, tamen diligēter est inspiciēd, an faciāt remediis naturalibus, vel ex gratia gratis data.*

104 *Ligantur observante futuros eventus, reservatione hujus casus.*

105 *Excusantur verò gestantes secum sine usu superstitioso verba sacræ scripturæ &c.*

106 *Neque subjacet casui, qui ex aliquo fortuito eventu conjicit, illum diem, vel rei exitum, prosperum, vel adversum esse, si constanter non adhæreat.*

107 *Non ligantur casu utentes virtute rei naturalis per superstitionem cognita, si cognitio, vel usus illius à dæmone non pendeat.*

108 *Nec incurrunt reservatum celebrantes certum numerum missarum sine interruptione, dummodo vis non ponatur in illo determinato numero. Idem dic de illo, qui certa hora, vel numero candelarum celebrat.*

109 *Minime incurrit, qui aliquod mirum operatur, de quo æqualiter dubitatur, an proveniat à causa naturali, an superstitiosa?*

110 *Non tamen excusantur, qui cum sint certi, vel quasi, quod res quàm adhibent, sit superstitiosa, & si protestentur se non intendere uti, & nolle effectum, si qua diaboli virtus, vel pactum subsit.*

111 *Non est illicitum uti scientia, dæmonis ope acquisita, quando ejus conservatio, vel usus à dæmone nō dependeat; Neque is, qui ratione obsequii præstitī non nulla bona acquisivit, ligatur reservatione, imo potest ea uti, dummodo dæmon ea ex furto non acquisierit.*

112 *Sortilegia, & aliæ superstitiones sūt hæreticales, quoties fiūt ab habentibus expressum pactum cum dæmone.*

113 *Superstitiones in hoc casu relatę & si Papæ reservatę, cum sint hæreticales, possunt tamen etiam ab Episcopis reservari.*

114 *In foro externo immiscens se prædictis superstitionibus, hæreticus, & excommunicatus præsumitur.*

115 *De quibus debeant confessarii examinare pœnitentes hoc atrocissimo delicto obstrictos.*

47 IN hac parte noster Legislator reservat omne superstitionis genus cum expressa, sive tacita daemonis invocatione; ideo modò de reliquis superstitionum speciebus in casu explicitè non expressis, necessariò agendum erit.

Superstitio est cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis. Et duplex est; alia, cultus indebiti, vel incongrui, quo indebito modo colitur verus Deus, tribuendo ei cultum falsum, V.G. offerendo legis veteris caeremonias; Vel superfluum, V.G. celebrando missam cum certo situ, vel ordine candelarum. Alia est ratione rei cultae, cum scilicet cultus Deo debitus tribuitur falso Deo, vel creaturae.

48 Hoc genus superstitionis, nempe ratione rei cultae, in multas partitur species, scilicet in Idololatriam, Divinationem, & vanam observantiam.

49 Idololatria est cultus, quo colitur creatura loco Dei; & diversimode olim fiebat. Quidam enim per quandam nefariā artem, imagines quasdam construebant, quae daemonum virtute quosdam effectus habebant; unde putabant, in ipsis imaginibus esse aliquid Divinitatis, & ideo eis deberi Divinus cultus. Alii verò dictum cultum non exhibebant ipsis imaginibus, sed creaturis, quarum erant imagines; Quia aestimabant, quosdam homines esse Deos.

50 Idololatria triplex est, una materialis, seu simulata, ut cum quis ob metum, non internè, sed tantum externè, cultum idolo exhibet. Alia Formalis, ac propria, & perfecta, ut cum quis adorat idolum, quod putat esse Deum, & haec cum infidelitate juncta est. Alia imperfecta: cum quis vel ex odio Dei, vel ex affectu, aliquid a daemone, aliave creatura obtinendi, ipsi quasi Deo, cultum defert, Suar. *lib. 2. cap. 4. & 6.*

51 Non est idololatria credere daemoni, aut eum interrogare, si loquatur in obsesso; ad eam tamen reducitur, si credatur ei sua sponte aliquid dicenti. Quia plus honoratur, quàm meretur, pater mendaciorum. Si verò cogatur vi exorcismi, credi ei potest, sed non indubitatè.

52 Altera superstitionis species, est *divinatio*, quae est praedictio rerum naturaliter incognoscibilium, vel per expressam daemonis ad aliqua manifestanda invocationem, vel per tacitam, qua daemones praeter expressam hominis intentionē se ingerunt vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate, ut habet S. Doctor.

Divinatio superstitiosa, ut supra de maleficio dictum est, potest esse vel expressa, vel tacita. Divinatio cum expressa daemonis invocatione, generaliter dicta *Necromantia*, est cum divinator intendit invocare daemonem, & cum eo pactum inire. Tacita est cum quis ad hauriendū futurorum notitiam, utitur mediis, quae nec virtute sua naturali, nec Divina vim habent indicandi res futuras; ideoque tacitè in eis auxilium daemonis imploratur.

Invocatio autem daemonis non solum fit voce, vel sermone; sed etiam facto. Siquidem *invocare* est in se per affectum cordis, & cultum, alterum vocare. Invocatio enim daemonis magis fit per cultum eidem, quàm per quaecumque verba exhibitum.

53 Divinatio, quae fit cum expressa daemonis invocatione, dividitur in novem species. Prima dicitur *Praestigium*. Secunda *Necromantia*. Tertia *Somniorum observatio*. Quarta *Pythonia*. Quinta *Geomantia*. Sexta *Hydromantia*. Septima *Aeromantia*. Octava *Pyromantia*. Nona *Aruspicium*.

54 *Praestigium* est daemonis invocatio sub ficta, & apparenti figura; ut cum homo speciem lupi, vel Asini refert; quę species licet sit falsa, ab intuentibus tamen judicatur vera; Quia ipsis oculorum acies perstringitur; & ideo dictum est *praestigium*. Tales autem superstitiosae species formantur à daemone ex condensato aere quae ex alteratione imaginativae, vera, naturalisque apparent.

55 *Necromantia* à vocibus graecis dicta, nēpe *necros*, quod est *mortuus*, & *mancia*, quod est *divinatio*, est cum per expressam daemonis invocationem, ipse daemon assumpto mortui corpore, per illud fictè loquitur, & ad interrogata respondet. Necromantici solent circulum in terra describere, puerum in circulo ponendo, & statuendo speculum, vel ensem, aut aliquam lucidam ampullam coram puero, vel puella, ipso necromante cum libro daemonem invocante, ut appareat in illa ampulla. Dignoscuntur ex apparitione, visione, & collocutione malorum

spi-

spirituum, torvum idest terribilem, & obliquum visum habentes.

56 *Somniorum observatio* est quando homo somnium observat, ut in cognitionē veniat futurorum. Et triplex somniorum datur genus. Primum est eorum, quæ naturaliter, sive ex præcedenti animi cogitatione, & affectione proveniunt; atque ideo licitum est observare per somnia præsentem corporis valetudinem, vel futurum morbum. Tamen esset vanitas, si major fides haberetur, quam ex somno conjici posset.

Alterum est eorum, quæ à Deo immittuntur, ut in Gedeone *Iud.* 7. in Dan. *cap.* 2. Josepho, & Magis, *Matth.* 1. & 2. & *Num.* 12. dixit Dominus: *Si fuerit inter vos propheta Domini in visione apparebo, vel per somnium loquar ad illum.* Per talia somnia si clarè aliquid ostendatur, & clā indicia adsint, quod à Deo sint, necesse est eis fidem dare, & obsequi.

Denique tertium genus somniorum est quod excitatur à dæmone phantasiam cōmovente, & hoc somnium superstitiosum esse, si fides illi habeatur, confessio est omnium.

57 Somnium divinum à diabolico discernitur, tum ex objecto, & fine, tum ex interna somniantis, atque à somno excitati affectione. Cognoscitur ex materia, seu objecto, nempe utrum ad bonum, & honestum, an autem ad turpem impellat; Nam non semel Sathanas transfigurat se in Angelum lucis, speciem boni gerendo deceptionis causa, 2. *Cor.* 11. Cognoscitur ex interna excitati somniantis affectione; si enim ejus animus illustretur, consoletur & c. nec inclinet ad malum, nec ad Dei obsequium reddat tardiorem; Tunc probabiliter judicari potest à Deo provenire. Tamen hoc judicium fieri non potest à dormiente, nisi excitato e somno ut de Jacob. *Gen.* 28. qui cum evigilaret à somno, ait: *Verè Dominus est in loco isto & ego nesciebam*, & de D. Petro *Act.* 12. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum*.

58 In dubio autem, utrum à Deo, vel à dæmone somnium proveniat, docet Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. non esse illi fidem adhibēdam, ut patet ex *Eccl.* 34. *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne des illi Cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia*, Ideoque nonnullis somniis fides est penitus deroganda, quamvis plerisque fides adhibenda: Nam omnibus, aut nullis credere, par est vecordia, & videtur utrumque, vel stoliditatis, vel contumaciæ extremæ notam sapere.

59 Ideo considerandum est cum Angelico *qu.* 95 quæ sit causa somniorum. Causa somniorū, quandoq. interius quandoq. exterius se habet. Interior duplex est, una *animalis*, in quantum scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ ejus cogitatio, aut affectio, fuit immorata in vigilando; & talis somniorum causa, futurorum eventuum, minimè est causa; Quia hujusmodi somnia per accidens, & casualiter ad futuros eventus se habent. Aliquando verò causa intrinseca est *corporalis*. Nam ex interiori dispositione corporis, formatur in phantasia aliquis motus conveniens tali dispositioni; ut quandoque accidit homini abundanti frigidis humoribus, cui videtur esse in aqua, vel in nive. Et ex hoc medici cognoscere solent interiores hominis dispositiones.

Causa exterior etiam duplex solet esse *Corporalis*, & *Spiritualis*. Prima est, qua imaginatio dormientis immutatur ab aere continenti, vel ex impressione cœlestis corporis. *Spiritualis* est quandoque à Deo, qui per Angelos aliqua revelat in somniis, ut *Num.* 12. Aliquando verò aliqua phantasmata, operatione dæmonum, dormientibus apparent, & revelant aliqua futura iis, qui cum eo illicita habent pacta.

60 *Pythonia*, seu divinatio per *Pythones* nempe infames ministros Oraculi Apollinis Pythii respondere soliti (teste Origene li. 7. contra Celsum) per umbili ū vel partes pudendas, est cum tale Oraculum, mediis Sacrilegis Sacrificiis, consulitur. Sequuntur nunc cæteræ species, quæ fiunt in quibusdam figuris, ac signis in corpore aliquo terrestri, quarum.

61 Prima est *Geomantia*, quæ Divinatio fit per figuras, vel signa in corpore aliquo terrestri, puta in ligno, ferro, vel lapide polito, quæ cognitio cum non sit naturalis, dæmonis arte comparatur.

62 Secunda, *Hydromantia* appellatur, & est, cum cognitio occultorum habetur per imagines in aquis apparentes: ut si ad furem, vel furtum detegendum exhibeatur vasculum aquæ plenum, quod puer

aspiciens, dicat: *Angelo bianco*.

63 Tertia, *Aeromantia* vocitatur, & est, cum dæmon invocatus respondet, occultaque, aut futura per quasdam aereas figuras, quas assumit, pronunciat.

64 Quarta *Pyr mantia* nomen assumit & est, cum divinatio, seu occultorum cognitio, per ignem, vel crepitans lignum in ignem immissum, comparatur.

65 Quinta dicitur *Haruspicium*, & est quando habetur cognitio per signa in visceribus animalium, in dæmonis aris immolatorum, apparentia.

66 Divinatio verò, quæ fit cum tacita dæmonis invocatione, est, quando utitur, aliquibus mediis ad cognitionem rerum, ad quam nullam habent virtutem: & dividitur in sequentes species, nempe *Astrologiam, phisiognomiam, Augurium, Aruspicium, Omen, & spatulamantia*.

67 Prima Divinatio, quæ fit cum tacita dæmonis invocatione, est Divinatio per astra, quæ *Astromantia*, seu *Astrologia* vocatur. Duplex est Astrologia, *Naturalis, & Judiciaria*. Naturalis est illa, quæ ex astrorum situ, motu, conjunctione, oppositione &c. prædicit effectus; qui vel à necessariis causis partim proveniũt, ut Ecclipses; vel partim cõtingenter sũt eventuri (quia per concursum aliarum causarum impediri queunt), ut nives, pluviæ, grandines, siccitates, venti, salubritas, morbi &c. Item, quæ ex puncto nativitatis alicujus pueri, conjectat illius temperamenta, naturalesque inclinationes, Si quidem astra directè agunt in corpora, ut docet D. Thom. *contra Gentes*, cap. 54. & 85.

Judiciaria verò est illa, quæ ex astrorum aspectu prædicit eventus, qui à liberis dependent causis; vel præteriti, aut præsentes occulti effectus denunciantur, V.G. Titium esse auctorem occulti furti; Petrum religiosum futurum, Paulum locupletissimum, Franciscum medicum circulatorem, vel præstigiatorem, ex ostiis ostia permutantem, quotidiani consequẽdi causa victus &c.

68 Hæc Astrologia Judiciaria, ut docet Delrius *disquis. magic. lib.4. cap.3. quæst. 1.* & Less. *lib.2. cap.43. dub.8. n.35.* Triplex est *Electionis, Revolutionis, & Nativitatis*. *Electionis*, est qua divinatores ex astrorum aspectu prædicunt pericula, cuicumque impendentia, quidque facere quisque debeat, ut ea declinet. *Revolutionis* est, qua præmonstrant rerum vicissitudines, ut bella, pacem, principum mortem &c. *Nativitatis* denique, quæ eventus vitæ, conditionem nuptiarum, dignitates, opes, tempus, genusque mortis, divinare contendunt.

69 Astrologia *naturalis* non est mala, imo ipsius usus plurimum conducit medicinç, agriculturæ, & navigationi, dum prævidentur Ecclipses &c. quorum cognitio ex necessaria positione, & influxu causarum habetur, cum à virtute cœlesti fiant, S.Th. Less. Laym. *lib. 4. tract. 10. cap.3. num.5.*

70 Judiciaria verò tum *Electionis*, tum *Revolutionis*, non solum magnæ temeritatis sed etiam mortiferç superstitionis est damnãda. Si quidem cognitio per astra circa res contingentes, est incertissima, & prorsus inanis, & ementita. Ideoque mortalis culpa est, juxtà infrà dicenda nu. seq.

71 Astrologia verò *Nativitatis*, quæ in situ, & figura Cœli, tempore Nativitatis efformata, & in domos duodecim distributa, prædicit res futuras à libero arbitrio pendentes, ut hominis mores, eventus vitæ, opes, magisteria, amicos, carceres, dignitatem, conditionem nuptiarum tempus, genusque mortis &c. omninò superstitiosa est. Quem enim latet, quantæ futilitatis sit, hæc asserere, ideoque, inanis fundamenti tenere natalitia hominis dependere à figura, & situ cęli, & syderum influxu, & potentia? Nam aut effectus dictorum potest impediri, vel non. Si primum; Ergo sicuti effectus est incertus, ita ejus prædictio: Si non potest impediri, ergo nullum est liberum arbitrium, siquidem si astrorum, aut Cœlorum potestati necessariò subjectum esset, in quam afflictionem, & miseriam, nostra vita reperiretur, si talis effectus nullo modo declinari posset? Et ad quid invaret futura nosse, & prævidere, si ea non possent caveri. Imò acerbissimè cruciaremur, non tantum a præsentibus malis, sed etiam ab eorum longinqua, & inevitabili expectatione: Pessimum enim malum est, malorum expectatio.

Ideoque talis Astrologia, quæ ex astris res præsentes, aut præteritas investigat omninò superstitiosa est, omnique jure prohibita, ac per constitutionem Pii V.

& postmodum per Bullam Urbani VIII. sub gravissimis pœnis damnata; & præsertim, quæ de statu S. Ecclesiæ seu de assumptione, vita, & morte Pontificis aliqua ex astris, prædicere audet; quasi hæc non à sola Dei providentia, sed etiam ex astrorum virtute, & molimine dependeant. Ergo restat, quod hujusmodi divinatio ex pacto implicito, habeatur à diabolo fundamentum magiæ, & omnis superstiosæ divinationis; quod patet tum ex mox dictis, tum etiam quia astra, non sunt neque signa naturalia, neque ad placitum; Non *naturalia*, quia hæc præsignare non possunt actus liberos; non *ad placitum*, quia nulla habetur de hoc a Deo revelatio.

72 Planum igitur est facientes judicia & nativitates gravem culpam committere, & reservatum cum censura casum incurrere, si effectus, à libero pendentes arbitrio, affirmant certò eventuros.

Si dices: Astrologos innumeros prædixisse casus liberos, quos rei confirmavit eventus; Dicam ego, quod prædicunt sanè, sed inconsultè, insclenter, & temerè. *Quis enim est, qui totam diem jaculans, non aliquando collimet?* ait Cic. 2. *de divinatione* 2. quia etiam sunt innumeri casus, qui aliter evenerunt, ac ipsi prædixerunt. Nam non semel vera, & si rara, & casu accidant, memoria tenentur, & prædicantur; quæ autem falsa, muto silentio prætereunt, non recordantur, ac ab omnibus tacentur. Uulgus enim ad intelligēdum hebes, infirmum ad judicandum, facilè ad credendum, curiosumque audiendi nova, & mira; istis nugatoribus, aures, fidemque præstat libenter; ticque dicti luorum ab illo reportant læto, & libenti animo seducto. 3. quia si prædixerunt aliquando vera, hoc fuit ex dæmonis suggestione. 4. quia Astrologi ferè semper utuntur verbis ambigui sensus, quæ cuicumque sensui poterunt accomodari. Demum prædixerunt, quia noverunt inclinationes hominum. Sunt enim plerique in tantum à passionibus affecti, ut plerūque sequantur suas passiones, & ita facile erit, V. G. Juveni rapinis, & homicidiis dedito, præsagire patibulum; Honesto autem, & virtuoso, magnos honores. Et de facto nos in diem de pluribus, quos expertos; & exploratos habemus bona, vel mala præsagimus, juxtà conditionem personæ, quæ evenire, oculis videmus. Sic Annibal cum perspiceret temeritatem Terentii Varronis, & C. Flamminii Romanorum Coss. & Imperatorum, Afris victoriam, Romanis insignem cladem prædixit.

73 Modò difficultas est, si non certò, sed sub dubio, eaque tenui conjectura, quæ ex astris haberi potest, pendentia à libero arbitrio pronuncient futura, an tunc superstitionis mortiferæ sint damnandi?

Negant Val. Delr. Dia. &c. Neque obstare, ajunt, Bullam Pii V. contra Astrologos judiciarios latam. Quia in foro externo, non interno, obligare putant.

Dicta sententia alias forsitan probabilis, modò corruit ob approbationem Constitutionis Sixti V. factam per dictam Bullam Urbani VIII. 1. Aprilis 1623. quę incipit; *Inscrutabilis*, ubi contra Astrologos judiciarios excommunicationis pęnam ipso facto incurrendam, aliasque pęnas infligit: & sic transgressores hujus constitutionis, denunciari debent Inquisitoribus S. Officii, si sint pertinaces.

74 Altera Divinationis species est *Physiognomia*, cujus partes sunt *Metoposcopia & Chiromantia*, secundum quas per corporis partes, V. G. vultus, manuum, & capitis lineamenta, eventus liberè contingentes, secunda, vel sinistra fortuna prædicuntur.

75 Est etiam alia *Physiognomia*, & *Chiromantia philosophica*, & *Naturalis*, nēpe quæ ex habitudine, & proportione corporis, ac manuum lineamentis, de corporis valetudine, & temperamento, & cōsequenter de hominis ingenio, atque animi propensione aliquid licitè conjecturari potest, & appellatur *Chiromantia* si ex lineis, & partibus manuum consideret temperiem corporis, Del. *lib.* 4. cap. 3. q. *Less. dub.* 7. *n.* 45.

76 *Physiognomia*, & *Chiromantia* secundum se non sunt prohibitæ, dummodo nō fiant cum credulitate, secus si ex curiositate, & joco; ut de iis, qui consulunt *cingaros*, & ostendunt eis manus, qui ex earum lineamentis dicunt se habere rerum futurarum notitiam, ut sic captent bona a curiosis simplicibus. Tamen nullus in his partibus reperitur tam simplex, qui prædictioni illorum, vulgò *Bona fortuna*, fidem præstet.

77 Tertia species, est *Augurium*, & Arus-

Auspicium. Augurium, est divinatio futurorum per avium, cantus vel voces animalium, quę suapte natura nullam prę significationem habent. Huc spectant, quæ simplices mulieres credūt de noctua semper quod debeat mori unus de domo, ad quam propius cantat; De gallina canente ad instar Galli, quam ideo statim occidunt (& astuti domestici ajunt, esse verum, ut eam comedant). Idem tenent quidam simplices, & ignari in scissione vestis, fractione corrigiæ, vel impactione pedis in limen ostii, qui ex his, & similibus contingentibus aliquid feliciter, vel infeliciter eo die, ipsis eventurum credūt quod superstitiosum est; cum hæc omnia casu eveniant, & ex se, absque dæmonis auxilio, futura pronunciare non possint.

78 Aruspicium est, cum ex avium volatu, vel quorumdam animalium motu, cursu &c. præcognitio futurorum sumitur, quod si credatur certò eventurum, superstitiosum est. Tamen non negatur, quod ex cantu, voce, motu, situ &c. animalium, quædam futura prædicantur, ut pluvia ex corvina voce: serenitas ex vespertilionum procul à domibus volatu &c Hi enim naturaliter conjectant ex naturali instinctu, seu ex motivo aliquo ex ois causato, aut ab humiditate, vel siccitate ambientis aeris, aut à cœlestium corporum influxu. Aliquando verò hujusmodi instinctus causantur à causa aliqua spirituali, vel à Deo, ut patet in columba super Christum descendente, in corvo, qui pavit Eliam, & Paulum Eremitarum auctorem; in Cete, qui absorbuit, & eiecit Jonam; vel demum ex dæmonibus, qui utuntur operationibus brutorum ad implicandum vanis opinionibus hominum animos.

79 Idem dic de *Omine*, nempe cum ex verbis ab aliquo prolatis, futurorum conjecturam, quis sumat.

Quarta, est *Spatulamantia*, & est cum Divinatio fit per signa in spatula alicujus animalis apparentia.

Dantur variæ aliæ species divinationis, ut *Capnomantia*, idest divinatio ex fumo, *Daphnomantia* ex Lauro; *Ichthyomantia* ex piscibus; *Rabdomantia* ex virgis; *Botanomantia* ex herbis; *Sycomantia* ex ficubus; *Alectryomantia* ex Gallis; *Ægomantia* ex capris; *Oniromantia* ex insomniis; *Lecanomantia* ex pelvi; *Ceromantia* ex cera &c. quæ quia parum usitatæ, & quia eadem est de his, ac de supradictis casuum resolutio, & demum ut quantum fieri potest vitem prolixitatem quæ confusionem inducit, tædiumque animis auditorū causat, silentio prætereo.

80 Est alia superstitionis species, quæ *Vana observantia* nuncupatur, & est superstitio, qua aliquo medio improportionato, & à Deo non instituto procuratur aliquis effectus, ut scientia, sanitas &c. Unde in hoc à divinatione differt, quod divinatio referatur tota ad rerum occultarum cognitionem; Vana verò observātia ad aliquod effectum externum obtinendum, vel vitandum; convenit verò, quod utraque contineat pactum dæmoniacum, adeoque huic proportionaliter accommodari possunt, quæ de divinatione dicta sunt.

81 Dividunt ea communiter in quatuor species. Prima dicitur *Ars notoria. 2. magia. 3. observatio eventuum; 4. observatio sanitatum.*

82 *Ars notoria*, est, qua quis per quædā jejunia, orationes, figurarum inspectiones, aliaque vana, credit se scientiam repentè, & sine labore acquisiturum, ut faciunt *Anabaptistæ*. Hæc mortalem involvit culpam, cum tribuat diabolo potestatem infundendi animæ scientiarum habitus (quod est solius Dei), & nitatur pacto cum dæmone.

83 Altera species est *Magia*, quæ est ars immutandi corpora, aliaque mira ope dæmonis perpetrandi. Hanc ab *Osthane* Principe ejus artis doctore traditam esse & in multas species esse divisam, docet Plinius *lib. 3. cap. 2.* Et duplex est, *Naturalis*, & *superstitiosa*, seu diabolica. *Naturalis*, est potestas operandi mira per causas naturales: *Superstitiosa*, est potestas faciendi, quæ sunt supra naturam per signa, concurrente ope dæmonis. Dicitur *magia*, quia ad ostendendam sapientiam, hominesque ad admirationem movendos, utilis est.

84 Et quamvis usus jam obtinuerit, quod nomen magiæ ferè semper in malā partem accipiatur, tamen magiam naturalem, qua occulta quadam cognitione, quarumdam rerum naturalium mira perficit, non esse malam, nullo modo est dotis dubitandum. Nam *Echeneis* piscicu-

lus,

lus, à latinis *remora* appellatus, qui semipedis est, Limaci magnæ similis, ad hærens navigiis, licet ingentia sint, & cursu incitatissimo ferantur, cogit, (ut fertur) impetum frænare, ac stare, non labore aliquo, sed tantum adhærendo; Sic Tobias mirabilem vim ejus piscis, quem in Tigri ceperat docente Raphaele, cognovit, *Tob.* 7. Item magnes, & alia sexcenta. Tamen valde periculosa est, quia sæpè sub specie occultæ operationis naturalis, diabolus facilè se admiscet.

Diabolica verò, quæ continet explicitam, vel tacitam dæmonis invocationem, ac proinde studiosum cum eo consortium ex genere suo, est peccatum mortale, & incurritur casus reservatus cum censura; nec excusat parvitas materiæ, licet possit excusare ignorantia. Hoc peccatum continet eandem formalem malitiam, & deformitatem cum *divinatione*; & ideo dicta peccata simili modo in Divina scriptura prohibentur, ut *Lev.* 19. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis* (id est divinatoribus) *aliquid sciscitemini*; & cap. 20. 6. *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos &c. interficiam illam*. Vide cit. Laym. *de Magia*, & Benedictum Pererium, qui doctissimè tres libros composuit, primum de *Magia*, secundum de *observatione somniorum*, & tertium *de divinatione astrologica*.

Quomodo cognosci possit, an aliqua operatio ad magiam superstitiosam spectet & quid possint efficere magi per dæmonis opem, ne immorer in his rebus, quæ potius ad curiositatem spectant, quàm ad praxim resolutivam casuum, vide apud Josephum Cabrinum *in Elucidario casuum reservatorum, par. 2. in parte tertia casus 8. in Annotatione 5. & 6.*

85 Tertia species, est *observantia sanitatum*, & est, cum quis adhibet quædam signa, orationes, numerum crucium, sacra verba ad sanandos hominum, vel animalium morbos, vel ad se præstandum immunem contra læsiones hostium, vel casus fortuitos. Ad hanc refertur modus ille curandi vulnera in loco etiam distanti, applicando remedia gladio, aut vittis vulneratorum sanguine madefactis, quæ cum non sit naturalis (cum causa naturalis non agat, nisi intra sphæram suæ activitatis) igitur ad instar diabolicæ superstitionis est damnanda. Nec virtute simpatica sanguinis, ut aliqui ineptè tenent transfunditur efficaciam medicamenti. Nam si hoc esset verum, sequeretur, quod etiam posset transfundi virtus veneni, & vulnerato mors inferri.

Similis vanitas est illa, quæ adhibetur à multis in his partibus, qui ad sanandos oppressos in splene portant lienosum ad arborem nucis, in cuius cortice persignat suum calceum, quem corticem postea extrahunt ex arbore, & suspendunt in camino ignis, in quo sicuti illa arescit, sic gravescentem lienem imminuere credunt. talis item est illa: quod quot sunt dies martii, in quo primò tonat, tanti valebit triticum in anno venturo.

Non diversa est illa, in qua mulieres infirmo longa agonia laboranti, supponunt in capite jugum bovum, asserentes non posse absque illo mori, & maxime si antecedenter, aliquod jugum combusserit: Idē asserunt, si terminum aliquem alicujus territorii evellerit. Ac etiam illa, qua Icteritiam curant quadam oratione sacra, & quodam filo, ter metiendo brachia ægri Eiusdem farinæ est, si suspiceris de muliere, quod sit saga, atque ideò invertas scopas, ut si saga sit, abire non possit e domo, nisi gressu averso, seu cancrino. Qui in quibusdam diebus non iteragunt, neque seminant, &c.

Aliam ridiculam superstitionem paucis ab hinc annis didici: Vidi enim transeuntem per viam, quamdam mulierem gestantem pergrandem panem sphericæ figuræ vernacula lingua dictum: *Tortano*, quæ cum magna caterva parvulorum introivit in quadam domo, in qua attulerunt quemdam puerum anni unius cum dimidio circiter non adhuc loquentem, quem ter fecerunt introrsum per illum panem transire, quem postea diviserunt singulis illis puerulis ibi congreatis. Hæc ego videns, petii cur talia agebant? Et responderunt: Quia sic linguam ad loquendum solvebat, nempe cum panem illum (qui à patrina factus debebat esse) partiebantur illis puerulis, per quem prius mutulus infans ter medium transivit.

Ejusdem farinæ est illa, quam religiosè retinent matres lactariæ, se caventes ne dapes suas superstites cætera animalia, vel mulieres adhuc lactariæ ingurgitent ob metum ne proprium lac tanquam ab illis attrahendum perdant. Et e converso

cum

eum eadem in casu sterilitatis lactis residuum prandii aliarum lactariarum clam furantur, & comedunt, ut sic illis lac tollant, & augeatur ipsis.

Nec credendum loquacibus illis, qui ajunt, se de D. Pauli domo esse atque natos in nocte ejus conversionis, vulgò Ciaralli propter quod asserunt habere virtutē, ut sputo, seu saliva à venenatis morsibus sanare; aut cum dicunt, quod sal, quod tetigit lingua viperæ, quam ipsi gerunt, sit contra hydrophobiam, seu rabiem, & alia mala.

Non absimilis est illa, quam Insulsæ Mulieres, imo & homines afferunt de filio post sex masculos, nulla intermedia femella nato, quō ajunt tali in ejus saliva pollere virtute, quod morborum oculis medeatur, puta ophthalmiæ, seu adnatæ tunicæ inflammationis, Pterigio seu ungue oculorum, cataractæ, sive suffusioni, quæ est concretio densior corpusculorum in aqueum humorem illabentium, Amaurosi sive guttæ serenæ seu ophthalmiæ internæ &c. de quibus ad medicos. Non nego tamen aliquibus esse concessas aliquas gratias gratis datas, ut Regibus Galliæ, qui à Deo sanandi strumas, gratiam habent, sequentia verba super tali morbo correptos proferentes: *Rex te tangit, Deus te sanat.*

86 In dubio autem, an effectus proveniat à causa naturali, vel superstitiosa, præsumendum est provenire à causa naturali. Tum quia, ut docet Sanch. *lib. 2. mor. c. 40. n. 44.* Dubia in mitiorem partem interpetrari convenit (nisi constaret effectum aliquem, causæ naturalis vires excedere) Tum quia penè infinitæ agentium naturalium virtutes, & proprietates, nos latent.

87 *Observantia eventuum*, est cum quis ex observatione alicujus eventus, conficit sibi aliquid adversi, vel prosperi eventurum, & inde actiones suas moderatur, ut si ex eo, quod sibi fortuitò occurrat vulpes, canis, cadaver adversum quicpiā sibi credat futurum.

Huc spectant omnia periammata, amuleta, brevia, involucra, verba sacra, orationes descriptæ, quæ gestantur à quibusdam, ne possint lædi, ne effluat sanguis, aut certum genus mortis effugiant, si contineant signa inutilia, vana, superstitiosa, tanquam necessaria. Sic nolle præscindere unques in die Veneris, vel alio die, in quo adest litera, R: Circa templum S. Antonii Abbatis ter Jumentum circumducere: proicere in flumen imagines alicujus sancti, ut pluat, cum invocatione ejusdem sancti, aut verborum sacrorum prolatione, &c. Excipe si gestent, verba sacra, &c. ad Dei, & Sanctorum honorem, ut à malis ex eorum intercessione liberētur. Alias nugas superstitiosas hodie usitatas, vide apud Gobat à *n. 923.*, & apud alios. At Regulas pro dignoscenda vana observantia, & quæ sint superstitiosa, vide apud Croix *lib. 3. de vana observantia, par. 1. n. 27. 28. & 29.*

88 Ex dictis eruitur, reservatione ligari, qui colit diabolum tanquam numen cum talis adoratio sit idolatria; ac etiam incurrit excommunicationem Bullæ cœnæ *in hæreticos* latam. Etiam incidit, qui ad obtinendum aliquod à Dæmone, ficto animo ipsum adorat. Quia licet non sit vera, & formalis idolatria, est vera, & formalis superstitio.

89 Ex Cajetano, *ver. incantatio*, non ligatur reservatione, qui adorat non dæmonem, sed statuam falsi numinis, aut aliam creaturam. *Quia* habet ipse non quælibet idolatria, sed ea, quæ colitur dæmon tanquam numen, ut dirigat in operando, comprehenditur nomine incantationis; licet delinquat peccato infidelitatis, & puniri possit ab Inquisitoribus S. Officii.

90 Non subiacet reservantis juris dispositioni, qui utitur superstitione cultus *superflui*, ut dictum est n. 47. Quia talis superstitio regulariter non excedit venialem culpam, si fiat bona intentione. Esset enim mortale, si fiat cum notabili eorundem perversione, & credulitate. Neque ligatur, qui utitur superstitione cultus *falsi*: ut qui falsas proponit reliquias, vel miraculum aliquod fingit. Quia quamvis hæc superstitio sit mortalis, nisi ignorantia, vel simplicitas excuset, tamen non comprehenditur reservatione.

91 Circa *somnia*, est censenda illicita, & cum dæmonis pacto conjuncta, atq; reservationi obnoxia somniorum observatio, cum vanè, & temerè ex illis conjectantur effectus liberè eventuri, aut merè casuales & fortuiti. Quia cum somnia non habeant vim naturalem significandi occulta, & futura contingentia, sequitur, quod sint signa instituta, & immissa à diabolo.

Pa-

92 Pariformiter innodatur casu, qui somnium observat, ut in cognitionem veniat earum rerum, ad quas presciendas, sortilegus in vigilia dæmonem invocavit & responsum expectat. Quia eorum cognitio nullo modo per somnia haberi potest. Sic peccant graviter, & incidunt in reservatum, qui ex somniis certò interpretantur numeros ponendos ad ludum, vulgò: *della Beneficiata*, ob rationem supra datam.

93 Non tamen innodatur, qui utitur somniis ad præcognoscenda futura, si sōmia procedant ex revelatione Divina, vel ex causa naturali intrinseca, vel extrinseca, quantum virtus talis causæ potest se extendere.

94 Incidit in reservatum, qui res occultas sive præsentes, sive præteritas, V.G furtum, thesaurum, per astra investigat. Quia talis divinatio sine tacito eum dæmone pacto, vix fieri potest.

95 Ideoque *Astrologia judiciaria*, quæ ex astrorum aspectu futura contingentia & à libero arbitrio pendentia divinare, præsumit, & omnis alia superstitio, prorsus superstitiosa, omnique jure prohibita; & in casu comprehenditur, etsi non exprimatur (quod non dubitatur in hac Diœcesi, in qua omnis superstitio, sive cum expressa, sive tacita dæmonis invocatione reservatur) docent Sanch. Fagund. Suar. &c. idque probant ex identitate rationis: Quia supradictæ divinationis species sunt ejusdem generis, & potius dicitur inclusio similium peccatorum, quàm extēsio.

96 Neque obstat, quod in odiosis non debeat fieri extensio ad ea, quæ termini formaliter accepti, non significant. Nam docent DD. quod quando agitur de animarum salute, potest fieri extensio, etiam juris pœnalis: & potius dicenda est inclusio similium delictorum, quàm extensio. Et casuum reservatio licet forte sit odiosa quantum ad pœnitentium, & Confessariorum *sensualitatem* (*ut ita dicam*, ait Cabr. *in Elucid. cas. reser. par. 2. cas. 8.*) est tamen medicinalis, & favorabilis animarum saluti; ideoque aliquando extendi, & dilatari potest, docet Finel. & Quar., ideoque nomine superstitionis intelligitur omnis divinatio, in qua intervenit expressa, vel tacita dæmonis invocatio.

97 Omnes supradicti superstitiosi divinandi modi, tam cum expressa, quam cum tacita dæmonis invocatione, in dicto casu comprehenduntur, & si parvi sint momenti. Quia, ut docent communiter cum Delr. *lib. 4. disq. magi. cap. 2. q. 4.* & Sanch. *lib. 2. mor. cap. 37. n. 18.* in divinatione serio facta ope dæmonis, non datur parvitas materiæ.

98 Preterea incidunt omnes supradicti, qui sortilegiis, vel aliis vanis signis utuntur, quamvis expressè protestentur, se non intendere dæmonem invocare. Nā protestatio est contraria facto; quia dum seriò media illa inutilia usurpant ad rerū occultarum cognitionem, ad quam sunt improportionata, tacitè ad dæmonem recurrere censentur.

99 Innodatur casu, qui per alterius ministerium, tanquam per cooperationem, utitur superstitiosis divinationibus: Quia moraliter rem æstimando, censetur iste sortilegiis se immiscere, quamvis per alterius ministerium. Nec strictè est interpretandum Jus pænale, quando de mente Legislatoris dubitari non potest, ut in nostro casu. Nam alioquin & quisque in legis fraudem ageret, & telum reservationis effugeret. Sicuti, ut docent Azor. & Laym. *lib. 2. tract. 1. cap. 15. n. 6.* incidit in excommunicationem latam contra legentes libros hæretici, qui per alium legit, aut audit. Tamen non est improbabile cōtrarium, ut docent Mazzuch. & Januar. *de cas. res. ru. resol. 22. n. 6.* Quia lex pœnalis non comprehendit mandantes, vel auxilium, aut favorem præstantes, nisi exprimantur. Tamen respondent, quod tunc dictus incurrit reservationem tanquam utens, moraliter rem æstimando.

100 Tamen est immunis à reservatione, qui utitur astrologia naturali. Quia sicuti non est illicitum spectare causas, ita nec prædicere illarum effectus.

101 Incidit quoque in casum, qui scienter *artem notoriam* exercet, ob rationē n. 82. datam. Sicuti qui magiam diabolicā, seu superstitiosam, ut n. 84. dictum est.

102 Circa utentes *observantia sanitatum*, innodatur casu, qui advertenter, & mala fide ea utuntur ad morbum aliquem curandum; sic incurrunt fabri ferrarii utentes observantia sanitatum ad sanādos equos: rustici, qui utuntur ad sananda pecora; obstetrices ad mulieres laborantes in partu; mulierculæ illæ, quæ ad dolorem laterum, ventris, vel dentium depellendū

adhibent rem naturalem, fed cum tot numero crucium,ita ut fi plures,vel pauciores adhibeantur,non tollatur dolor, &c. Quia tunc lignum eft, effectum non pendere à caufa naturali, fed à dæmone per exhibitionem figni ab eo inftituti,ficque de aliis juxtà dicta n.85.

103 Non tamen incurrit, qui utitur quibufdam orationibus, in quibus certò credit ineffe virtutem,fi illis fuperftitiofe non eft ufus.Et probabiliter nec ligantur cafu perfonæ illæ, vel familiæ, quæ dant operam fanandis quibufdam morbis, V.G.morfis à rabido cane. Quia nulla fufficienti ratione convincitur horum officium effe fuperftitiofum. Diligentèr tamen infpiciendum eft, an id faciant remediis naturalibus, an ex gratia gratis data,ut volunt multi DD.cum Nav.Sanch.& Delr. Ideò confeffar is magna cura adhibenda eft,in abfolvendis iis, quos noverint ad fanandos morbos uti remediis,virtutem naturalem non habentibus. Neque fatis habere debent, quod ab Ecclefia tolerentur.

104 Ob *obfervantiam futurorum eventuum* ligantur refervatione, qui colligũt herbas,obfervatisquibufdam diebus,horis &c.vel aliis circumftantiis fuperftitiofis. Idem ftatuas de illo,qui fefto S.Joannis, recitatis quibufdam orationibus, vana quædam obfervant, vel fefto S. Matthiæ hederæ fo ia aquis imponunt, ut fciant cui nubant. Nam hæc eft mortalis fuperftitio;ficque difcurre de cæteris aliis fimilibus.

105 Excufantur verò, qui verba facræ fcripturæ&c.geftant fine fuperftitiofo ufu,fed tantum ad Dei, Sanctorumque honorem.Idem dicas de illis, qui circa templum alicujus Sancti,V.G.circa templum S.Antonii Abb. ter jumentum circumducunt,fi id agant ob majorem devotionem in illum Sanctum, vel effectum ab ipfis intentum, Sanctorum meritis afcribant, vel ejufmodi ritum à fuis majoribus acceptum bona fide obfervent.

106. Nec cafui fubjacet,qui ex fortuito aliquo eventu,conijcit illum diem, vel rei exitum fore fibi profperum,vel adverfum.Quia hoc genus fuperftitionis venialem culpam non excedit, præterquam fi conftanter illis adhæreat.

107 Nec cafu afficiuntur, qui utuntur virtute rei naturalis,quæ per fuperftitionem cognita eft, dummodo cognitio, vel ufus illius rei à dæmone non pendeat. Quia licet ejufmodi cognitio malè parta fit,peccatum tamen tranfiit,virtufque naturalis,ex eo nihil mali contraxit. Idem dicendum,fi quis à cachodæmone acquifivit aliqua bona ratione obfequii præftiti (ut effent animi bona,puta notitia virtutis naturalis rei, V. G. alicujus herbæ, lapidis,&c. vel bona fortunæ, ut aurum, argentum, pecunia, &c. poteft licitè iis uti,dummodò imprefentiarum non requirant dæmonis concurfum, & dæmon, refpectu bonorum fortunæ,illa aliis non fit furatus.

108. Eadem refolutio datur de illo, qui certum miffarum numerum V.G.triginta miffas,quæ celebrantur fine interruptione dierum ab eodem Sacerdote,quas appellat Gregorianas;quia dicunt à Gregorio Magno habere initium quando rescripfit Abbati Prætiofo,ut per fe,vel alium illas legeret pro quodam monacho defuncto.Has enim legere,vel curare legi, eft per fe loquendi licitum; dummodo vis non ponatur in tali præcifo numero,aut in hac,vel illa conditione requifita, ut docet Croix, *lib.6.par.2.de facrif.miff. n.189.* Idem dic de illo,qui certa hora,aut cum certo candelarum numero, vel ordine celebrat, fi hæc & fimilia in memoriam alicujus myfterii fiant. Tamen incurrunt fi credant non prodeffe in majori,vel minori numer

109 Nec eft refervationi obnoxius,qui operatur mirum aliquem effectum,de quo æquale dubium fubeft, an proveniat à caufa naturali,vel fuperftitiofa. Tum quia dubium interpretandum eft in mitiorem partem; tum quia cafus dubius non eft refervatus.

110 Non tamen excufantur illi, qui cũ fint certi,quod res,quam achibent,fecundum fe inutilis,& fuperftitiofa fit; & tamen ferio utantur, & fi proteftentur, fe non intendere, vel nolle effectum confequi,fi qua diaboli virtus, vel pactum fubfit. Quia talis proteftatio cum fit contraria facto,non excufat proteftantem, ut n. 98.dictum eft.

111 Non tamen eft illicitum uti fcientia ope dæmonis acquifita,modò ejus confervatio, vel ufus à dæmone non dependeat,Laym.Sanch. *lib.4. moralium, cap. 41.n.2.*Qui etiam refolvit,quod is,qui ratione obfequii præftiti nonnulla bona ac-

acquisivit, posse iis tuta conscientia uti. Quia dæmon potest ea ex aliquo thesauro sub nullius dominio, vel ex profundo maris extrahere. Secus dicendum, si dæmō ex furto acquisierit.

Quicumque igitur se immiscet alicui ex dictis superstitionibus, & divinationibus dicitur uti sortilegiis cum expressa dæmonum invocatione, & consequenter gravissimum scelus reservationi obnoxium committere.

112 An verò supra relata sortilegia, divinationes, &c sint hæreticalia, iisque utentes de hæresi sint suspecti.

Dico quod, quæ fiunt ab habentibus pactum expressum cum dæmone, quales sunt supradictæ species divinationis sunt hæreticalia, quoties cultus latriæ dæmoni exibetur, eidem thura adolendo, sacrificia offerendo, &c. Item, si cultus Duliæ illimet exibeatur, ut si dæmonum nomina, Sanctorum nominibus misceantur in nefariis orationibus, &c. adeoque tales tanquam hæretici possunt condemnari.

113 Sed insurgit difficultas, cur supra relatæ superstitiones, cum sint hæreticales, & casus hæresis sit Papæ reservatus, possint ab Episcopis reservari?

℞ Posse ab Episcopis reservari, quia hæresis est error, sive assensus falsus circa veritatem Orthodoxæ fidei cum pertinacia junctus, ideo si nefariis hujusmodi superstitionibus utens nullum habeat errorem in intellectu, sed illis se immiscet, motus cupiditate obtinendi aliquid à dæmone, & sic ipsi obsequendo sacrorum usu imperanti, ipsum in sua vota perducat, nō est hæreticus, sed perditissimus peccator, cujus nefaria scelera sunt illamet, que Episcopus sibi reservat in casu.

114 In foro verò externo, qui prædictis superstitionibus se immiscere deprehenditur, hæreticus, & excommunicatus præsumitur. Nam factum suapte natura malum, præsumitur mala intentione factum, *l. si non convincit, C. de iniur.* Exibere autem Latriæ, vel Duliæ cultum dæmoni, manifestam in foro exteriori hæresim sapit. Quia id agens, credere præsumitur dæmoni talem cultum deberi; Juris ergo præsumptione hujusmodi superstitionibus addicti præsumuntur hæretici, sanctique officii Inquisitoribus denunciandi, teste Carena *tar. 2. tit. 2. §. 10. n. 56.* quamvis in rei veritate non sint heretici.

115 In hoc atrocissimo delicto, quod solet esse origo, & radix aliorum facinorum confessarii, & præcipuè Pœnitentiarii debent diligenter pœnitentes dictis nefariis superstitionibus addicti examinare. 1. an bona, vel mala fide usi fuerint? 2. num damna proximo intulerint? 3. an alios instruxerint? 4. an libros, brevia &c. apud se habeant, quia sunt comburenda. 5. an dicta conjuncta sint cum hæresi? Quia tunc est casus in Bulla cœnæ. 6. an sint abusi rebus sacris &c. 7. examinent opiliones, qui utuntur superstitionibus gratia tuendi gregem &c. 8. Rustici, Fabri ferrarii, obstetrices, milites, & alii, juxtà supradicta.

Pars Quarta, & Novissima.

Et non revelantes illos, qui talia agunt, vel docent Sacramentorum vel Sacramentalium abusus.

116 *Incidunt in hunc casum non revelantes illos, qui superstitiones supradictas agunt, vel docent sacramentorum, aut sacramentalium absus.*

117 *Tres rerum sacrarum sunt species.*

118 *In reservationi includitur omnium trium specierum sacrarum abusus; quid sit abuti? & unde dicatur abusus, seu abuso?*

119 *Incidit in reservatum, qui reiterat tria sacramenta imprimentia Characterem.*

120 *Non incidit, qui reiterat Sacramenta irreiterabilia, sed invincibiliter.*

121 *Innodatur, qui rebus sacris abutitur.*

122 *Reservationis virga percutitur, qui abutitur sacra Eucharistia ad turpem amorem excitandum, seu ut eam ad collū deferat.*

123 *Reservationi subjacet, qui utitur verbis psalmi ad movendum annulum super filum, ut divinet adulteri adventum sponsi.*

124 *Incurrit etiam, qui dat oleum maleficiis cum ossibus, seu cineribus mortuorum, sub mappa altaris prius tectis.*

125 *Subjacet, qui figit clavum ferreum in arbore cum quadam verborum sacrorum prolatione, ut dissolvat maleficiū ingruentis grandinis.*

126 *Etiam qui abutitur rebus sacris,*

L 2 male

maleficii se immiscendi, vel quando maleficium maleficio destruit, incidit.

116 IN prædictum casum incidunt omnes, qui non revelant superiori illos, qui dictas superstitiones, faciunt ac etiam, qui docent abusus Sacramentorum, aut Sacramentalium, ut liquet ex terminis casus.

117 At pro majori notitia, & casuum dilucidatione notandum, quod tres rerum Sacrarum, sunt species. In prima reperiuntur *Sacramenta*; Unde si quis baptizaret imaginē, vel rebaptizaret puerum, aut quod horribile est dictu, abuteretur hostia consecrata, talia nefaria, sacrilegaque actio diceretur Sacramentorum abusus. Sic etiā oleum sanctum, quod triplex est, nempe oleum Chrismatis, Chatecumenorum, & infirmorum, si quis illo abuteretur.

In secunda reponuntur *res sacræ*, ut Sacramentorum *vasa*, sanctorum reliquiæ imagines sacræ, candelæ, palmæ benedictę, sal exorcizatum, aqua lustralis, seu benedicta, agni cerei benedicti, paramenta sacerdotalia, brevia sacra ad collum appensa, aliaque multa, quorum abusus, sacrilegium constituit.

In tertia specie veniunt *Sacramentalia* quæ sunt actiones sacræ, quibus in Sacramentorum administratione, vel missæ celebratione utitur Ecclesia, ut oratio dominica, exorcismi, preces, benedictiones, variarum rerum consecrationes, signum S.Crucis, invocatio SS.Trinitatis, SS.Nominis Jesu, vel Deiparæ, symbolum Apostolorum, Evangelium S. Io: verba Sacrę Scripturæ, versiculi psalmorum &c.

118 In reservatione igitur includitur omnium dictarum rerum abusus, hoc est malus rei contra suam institutionem abusus. Abuti enim significat quodcumq. peccatum, quod committitur usurpando Sacramenta, vel Sacramentalia; idest cum usatur alio fine præter institutum, & dicitur abusio cum quis abutitur re contra suam naturam.

119 Ex dictis resolves, abuti Sacramētis, & per consequens incidere in reservatum, qui scienter sępius reiterat Sacramenta irreiterabilia, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ cum imprimant characterem, non possunt plusquam semel accipi. Quia dictis Sacramentis male contra suam institutionem, nempè quod non possint iterum iterari, utitur; Abuti enim aliud non est, quam male uti.

120 Excipe nisi ex invincibili ignorantia id faciat (quæ vix tamen potest in aliquo circa hæc reperiri; quia in diem vigent, dicta Sacramenta non reiterari): quod mihi quodam tempore jubilari accidit cum quodam rustico pœnitente, qui ter Sacramentum confirmationis susceperat, cui ego cum petiissem: cur id scelus commisisset? respondit: quod secundò acceperat, quia existimabat, non solum non esse peccatum, sed melius esse iterum illud Sacramentum accipere; & postea quia rusticorum vulgus illi dixerat, quod quia secundò acceperat, amiserat primam confirmationem, idest ut ipse ajebat: *s' era sfresimato*, ideoque denuò se confirmari curavit.

121 Incidit etiam, qui rebus sacris abutitur, V.G. si ebibit, vel ungit se oleo sacro. Quia si in dictum casum incurrunt non revelantes eos, qui docent Sacramētorum, vel Sacramentalium abusus à fortiori incurrunt, qui eis abutuntur.

122 Reservationis virgæ est obnoxius, qui abutitur S.Eucharistia, partem ipse sumens, partem tradens sumendam ei, quā ad turpem amorem allicere cupit, additis quibusdam precibus maleficium involvētibus, Chapeaville, *cap*.21.*q*.2. & sic etiam ut infert Io: And. gravissime peccavit, & poterat puniri per Inquisitores *S. Officii* quædam fœmina, quæ cum retineret in ore Eucharistiam dedit osculum viro, putans sic per eam plus ab eo diligi. Est etiam graviter illicitum tenere ad collum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; quia abutitur illa, utendo ea alio fine, quàm fuit institutum.

123 Reservationi subjacet, qui ut divinet adulteræ adventum sponsi, utitur verbis psalmi ad movendum annulum super filum. Quia est divinatio cum abusu Sacramentalium, quales sunt versiculi psalmi.

124 Idem resolvitur de illo, qui dat operam malefici is cum ossibus, vel cineribus mortuorum sub mappa altaris prius repositis. Quia abutitur sacris.

125 Subjacet etiam, qui maleficium ingruentis grandinis dissolvit figēdo clavū ferreum in arbore cum quadam verborum sacrorum prolatione, quod factitatum ab aliquo legi. Quia abutitur sacris verbis.

In

126 Incidit etiam, qui abutitur rebus sacris, maleficio se immiscendo; vel si maleficium maleficio destruit, &si ad bonum finem. Tum quia non sunt facienda mala ut eveniant bona. Tum quia maleficia nullo casu possunt fieri licita. Abutuntur quoque Sacramento Pœnitentiæ confessarii seu alii, qui in illo ad libidinem provocant; Cum pro reconciliando pœnitentes, tradūt illos met in manus diaboli. Atque hæc sint satis dicta quo ad hunc casum, cum ex dictis resolvi possint innumeri alii consimiles casus circa hanc materiam.

CAPUT V.

Casus Quintus cum Censura.

Incestus in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradu, ac etiam cognationis spiritualis quoad masculos tantum.

APOPHASIS.

1 *Scelus Incestus quantum sit odibile, & grave, & eo magis, quo gradus est proximior?*

2 *Quare noster Legifer reservavit Incestum tantum primi gradus consanguinitatis, vel affinitatis, quoad masculos tantum?*

3 *Quid requiratur, ut incurratur hic casus?*

4 *Non incurrit casum, qui cognoscit matrem, sororem, aut filiam suæ uxoris, si postea cognoscat suam uxorem juxta Sanchez. Tamen contrarium, non est improbabile.*

5 *Neque ligantur casu eunuchi, castrati, ac spadones carentes utroque teste, si cognoscant consanguineam.*

6 *Ut incurratur casus, copula debet esse consummata, saltem ex parte viri; licet alii velint etiam ex parte mulieris.*

7 *Non ligatur casu effundens semen extra vas, aut committens incestum ebitu sodomitico.*

8 *Inculpabiliter committens incestum cū consanguinea, vel affine, probabiliter non incurrit casum; sicuti neque committens ex metu gravi cadente in virum constantem.*

9 *Quid sit cognatio spiritualis, & quid requiratur, ut contrahatur?*

10 *Hunc casum incurrit Parochus, aut alius baptizans, & Patrinus, qui tenet, aut suscipit infantem de sacro fōte, aut in Confirmatione.*

11 *Similiter incurrit casum, qui per procuratorē tenuit, aut suscepit infantem de sacro fonte, aut in Confirmatione.*

12 *Probabiliter non ligatur reservatione peccans cum baptizata, vel ejus matre; si non sit designatus à parentibus, vel à Parocho, & tenuerit, aut susceperit infantem.*

13 *Baptizans non solemniter infantem, casum incurrit: si cum predictis personis peccaverit. At patrini probabiliter non incurrunt.*

14 *Non incurrit casum Cajus peccans cū infante, quam commisit Titio, ut levaret de sacro fonte; si antequam levasset, commissionem revocasset: Nec qui libet de communitate per Procuratorem levans.*

15 *Idem dicendum de illo, qui cognovit filiam adoptivam, vel uxorem adoptātis.*

1 EST tam odibile, & naturæ exosum & tanto magis quantò gradus est proximior, facinus Incestus, ut etiam major pars bestiarum ab illo aborreat; & tamen aliquando aliqui ex hominibus relictis habenis, conculcantes Deū ipsum, & naturam (bone Deus!) absque rubore etiam cum propriis parentibus, filiis, fratribus, & sororibus rabida libidine moti, omnes nefarios, odibiles, & luxuriosos actus exercuere, nec arubescētes, quod ea, quæ animalibus rationis expertibus, licet non ipsis prohibita, odibilia sunt, ipsi contra naturalem Dei legem perfricata fronte, & intrepidè committere non erubescunt. Ideo nil mirum, si interdum incestus, quando committitur cū iis, qui Jure Divino, & naturali nequeūt inire matrimonium, nempe cum matre, sorore, filia, punitur morte: Ergo jure optimo, noster probus pastor olim hunc casum cum censura reservavit.

2 Quamvis Incestus sit congressus cum consanguinea, vel affine usque ad quartum gradum; tamen Legislator tantum pri-

primum gradum cum censura reservavit & secundum gradum absque illa. Quia quò magis gradus est proximior, tantò magis majorem deformitatem,& gravitatem affert;Igitur reservatur in hoc casu Incestus in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradu, ac etiam Cognationis Spiritualis quoad mares tantum, fortasse ut fragilitati infirmi sexus fœminei parceret providissimus Legislator,ac etiam ut eorum saluti consuleret,quæ non tam facilè possunt Penitentiarios majores pro absolutione adire,ob scandalum, timorem suorum,vel ab alias causas,& potissimum, utpote quæ multum à Civitate distant.

3 Hic casus ut incurratur, requiritur, ut copula cum consanguinea, vel affine, sit illicita, prolifica, & consummata.

4 Igitur prima conditio est, quod copula sit ex se illicita;Unde videtur quod qui cognovit sororem,matrem,aut filiam uxoris,propter quam copulam, contrahit cum sua uxore affinitatem; si deinde cognoscat eam,non contrahit reservationē. Quia copula ista maritalis ex se licita est,licet per accidens in tali casu, in pœnam,privetur petitione debiti conjugalis,Sanch.*lib.7.disp.21. & lib.9.disp. 31.* Tamen vide dicenda in casu 14. sine censura,*n.16.*

5 Secundò copula debet esse prolifica, nempe inter marem, & fœminam, unde proles nasci possit, aliter non contrahitur reservatio,Diana *par.3.tract.4.resol. 262.* Ideoque non ligantur casu Eunuchi, seu castrati,ac spadones, si utroque testiculo careant.Quia cum non emittant verum semen,sed quemdam humorem semini similem, non fiunt una caro, nec possunt veram copulam efficere.

6 Et demum debet esse consummata, nempe cum effusione seminis intra vas muliebre,quæ seminatio sufficit, si sit tātum ex parte viri,cum seminatio fœminæ non requiratur ad generationem.Quamvis nonnulli,teneant contrarium, inter quos acest Vericelli,qui,ni fallor,*tract. 4.q.27.à n.78.*docet, non incurri casum, si vir tantum seminaverit, consanguinea non seminante.Quia reservatio,ait ipse, semper intelligitur de completo scelere, nempe ex parte utriusque.Et huic sententiæ videtur consentire Tamb. *lib.7. Decal.cap.4.§.2.n.5.* Vide dicenda de sodomia *quæst.2.cap. 10.n.5.*

7 Præterea non incurrit reservatum, qui extra vas semen effundit,nec,qui cōmittit incestum coitu sodomitico. Quia reservatio intelligitur de incestu in vase naturali.

8 Committens incestum cum consanguinea,vel affine,si inculpabiliter ignoret esse consanguineam,vel affinem, non incurrit.Quia sicuti tunc non contrahit malitiam incestus,propterquam,est lata reservatio;ita neque reservationem. Neque ligatur committens incestum ex metu gravi cadente in virum constantem. Quia vis, & metus excusant à transgressione,& contumacia contra legem Ecclesiasticam,cum non sit credibile, benignā Matrem cum tanto velle obligare rigore. Alia vide in casu 14.sine censura.

9 Cognatio spiritualis est quædam spiritualis propinquitas personarum, oriens ex hoc,quod aliquis confert Sacramentū baptismi,vel confirmationis,aut tenet eū cui aliquod ex dictis Sacramentis confertur.

Ad hoc ut cognatio spiritualis contrahatur,oportet,ut sit Christianus; unde, Judæus, vel paganus, si alium baptizet, vel de sacro fonte levet, non contrahit cognationem spiritualem.Quia cognatio ut docet Graff.*lib.3.consil.1.de cogn.spir. n.2.*fundamentum habet in fide.

10 Ideoque incurrit casum, primò Parochus, aut alius baptizans Sacerdos, si committant incestum cum matre illius, quem baptizaverunt aut cum ipsa baptizata.Secundò patrinus,qui tenet,seu suscipit infantem de sacro fonte,si cum illa peccet. Idem dicas de tenente confirmatum in Sacramento Chrismatis; & sic vicissim omnes,qui contrahunt cognationē spiritualem.Excipe Episcopum baptizantē,aut confirmantē,seu tenentem.Quia cum non ligetur legibus quoad vim coactivam,non incurrit.

11 Probabiliter incurrit casum, qui per legatum, seu procuratorem tenet infantem,si cum illa peccet, aut cum ejus matre.Quia juxta communiorem sententiam ipse contrahit cognationem spiritualem,cum nomine suo,procurator agat Quamvis nonnulli teneant,nec mandantē incurrere.Cum putent, neque ab illo contrahi cognationem spiritualem. At e con-

contra legatus,si cum illis peccet, non ligatur casu; Ex eoquia, non contrahit dictam cognationem.

12 Etiam probabiliter docent,non cõtrahere casum,qui peccat cum filia baptizata vel matre ipsius,si à parentibus (vel in eorum defectu à Parocho) non est designatus patrinus, quamvis infantem tenuerit,aut susceperit. Cum ex Trid. requiratur,ut sit designatus;qua designatio. ne deficiente, non contrahit cognationē & consequenter neque reservationem; & si oppositum non sit improbabile, Sanch.*lib.7.de matrim.disp.57.n.8.* & 12.Av. Gob. &c.

13 Quod si baptismus conferatur in necessitate,& privato modo;tunc oportet distinguere inter ministrum conferentē & patrinos seu susceptores.Circa ministrũ conferentem; Dico, quod is semper contrahat cognationem, uti cavetur in cap. *ad Limina causa* 30. *quæst*. 1. & consequenter incurrit casum: Si peccet cum matre baptizati, aut puella baptizata.Susceptores verò non incurrunt, si teneant puerum fungendo munere patrini.Quia,ut docent DD.eum communi cognatio spiritualis in baptismo solemni tantum contrahitur; Cum munus patrini ab Ecclesia sit institutum pro solemnitate,ob quam contrahitur cognatio,nõ autem ob baptismum privatum. Nec cognatio contrahitur, & causatur ratione Sacramenti, ut volunt adversarii, Aver. Sanch. Tamb.& alii.

14 At non incurreret casum Cajus,qui dederat Titio commissionem levandi pro se infantem,si postea revocaret illam, & Titius illius ignarus levaret;tunc Cajus peccans cum illa, quam levavit Titius, quia non contraxit cognationem ob defectum perseverantiæ consensus,neque in reservationem offendit.

Sic etiam casum effugit quilibet communitatis, qui per procuratorem levavit infantem,si peccat cum baptizata. Quia valdè probabilis est sententia,quod nullus contraxit cognationem, cum singuli non sint patrini, & hæc pluralitas vetatur à Trid.sicuti,est liber à casu Titius absens,& ignorans,si designetur patrinus,& pro illo ponatur Cajus, ut suppleat.Quia non contraxit cognationem; cum non habuit intensionem, nec dedit commissionem.

15 Excusatur demum qui cognovit filiam adoptivam,vel uxorē ejus, qui ipsũ adoptavit; Quia est incestus legalis, & per fictionem Juris; & casus loquitur de incestu ex cognatione spirituali,qui oritur ex collatione baptismi,vel Confirmationis,ut n.9.dictum est. Reliqua circa hunc casum vide in casu 14. fine censura.

CAPUT VI.

Casus sextus cum Censura:

Exigentes Gabellas à personis Ecclesiasticis directè, vel indirectè, etiam à sponte dantibus.

APOPHASIS.

1. *Quid veniat nomine personarum Ecclesiasticarum?*
2. *Personæ Ecclesiasticæ, quæ gaudent privilegium fori, etiam à solutione tributorum,immunes sunt.*
3. *Quid sit gabella, quæ in jure generaliter,& specialiter sumitur,& quid comprehendat sumpta in genere, & quid in specie?*
4. *Quid sit vectigal,& quare imponatur?*
5. *Quid sit pedagium,seu guidagium?*
9. *Quid sit salinarium, & tributum seu census?*
7. *Quid sit talea seu prestantia,vel indictum,aut super indictum, seu indictio extraordinaria?*
8. *Indictio, quæ solvebatur per singula lustra, fuit postea reversa in munus extra ordinarium,& ab hoc Tabelliones sumpserunt stylum suum. Quid sit,& quas species tributi recipiebant Romani de toto mundo?*
9. *Quid comprehendat talea, & quibus & pro quibus imponitur?*
10. *Talea alio nomine vocatur collecta, taxa,impositio,& imponitur pro publica utilitate per capitationem inter cives, ad quam tenentur masculi à 14.ãnis,fæminæ à 12.usque ad anũ 65*
11. *Collecta etiam solvitur per es,& libram.& in æstimatione rerum, æstimum faciens,quid debeat animadvertere?*
12. *Eximuntur à collecta forenses, non habentes bona in civitate.*
13. *Forensis patiens se describi in Catastro,tenetur ad collectas.*

Ha-

14 *Habens privilegium exemptionis, & sciens se descriptum in libro eorum, qui tenentur, & non appellans, omittit immunitatem, dummodo prius citatus fuerit, ut solvat.*

15 *Concessio immunitatis à collectis ob immunitatem filiorum, durat si moreantur vivo patre.*

16 *Immunitas concessa posteris, non se extendit ad feminas ex Jason?*

17 *Gabellæ ab antiquo præstari solitæ, à Principibus statutæ solvi debent de jure Divino, Canonico, & Civili.*

18 *Ad justitiam gabellæ requiruntur omnes quatuor causæ, nempe Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis.*

19 *Gabellæ impositæ à Baronibus, & aliis recognoscentibus superiorem, sunt injustæ, & si imponantur ex legitima causa, nisi imponant cum licentia, & authoritate Principis.*

20 *Civitas recognoscens superiorem, licet nō possit imponere, augere, vel mutare gabellas; tamen potest inter suos cives collectam imponere, exceptis forensibus, & Clericis.*

21 *Domini regnoscentes, superiorem possunt cum assensu Proregis imponere, vel augere gabellas, concurrentibus quatuor causis, & assensu legitimè impetrato.*

22 *Quàm malè agant inferiores dominantes, injustè gravātes suos subditos tributis, servitiis personalibus, & aliis angariis, qui peccant graviter, & tenentur ad restitutionem, si talia agant.*

23 *Graviter peccant Ecclesiastici superiores, si accipiant, quod non debetur, aut plusquam debetur, & potissimum in suis Cancellariis.*

24 *Nec excusantur dicti superiores, si permittant, Cancellariæ officiales injustè pro libitò agere.*

25 *Quid agant aliqui mali Curiarum officiales cum simplicibus pauperculis; & quomodo interdum tyrannicè se gerant erga illos?*

26 *Qui justas gabellas non solvit, ex communi sententia, peccat graviter, & tenetur ad restitutionem. Tamen contrarium, non est improbabile.*

27 *An, qui simulatione, fraude, & occultè contractas merces invehunt, vel evehunt, ut publicanos effugiant, teneantur ad restitutionem? in varias sententias abeunt DD.*

28 *Docent nonnulli, quod venditor non solum teneatur solvere gabellas, sed etiam denunciare publicano, venditionem fuisse factam, si tamen venditio fuit occulta.*

29 *Emens ab eo, qui scit defraudari gabellas, probabiliter tenetur pro venditore solvere, si cooperetur.*

30 *Ex Covarr. tenentur ad solutionem vectigalis transmittentes merces per loca publica, & consueta, etiam sine fraude.*

31 *Viator, ex sententia Castrop. tenetur deferre merces in locum, in quo exigitur gabella.*

32 *Qui contra prohibitionem afferunt aurum, frumentum, aut aliud extra Regnum peccant mortaliter.*

33 *Syndici fraudantes capita civium, seu focolaria, aut non imponentes juxta possessiones, & facultates cuiusque, aut aliter ex aliquo respectu non adimplentes suum officium, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem.*

34 *Cives mētientes in possessione bonorum, seu redditum, ubi vivitur per æs, & libram, pec ant mortaliter, & tenentur ad restitutionem.*

35 *Fraudantes in mensura, vel numero, ubi solvitur denarium pro vino, oleo, &c. peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Tamen contrarium docēt alii, si imponatur pro usualibus.*

36 *Gabellas injustas, potest quis defraudare.*

37 *Non tenentur solvere gabellas, quando cessat causa finalis, vel finitum fuit tempus, neque obligantur, quando non fiunt illud propter quod impositæ sunt.*

38 *Gabella nimis gravis, & excessiva, potest fraudari.*

39 *Quando gabellæ dicantur excessivæ?*

40 *Potest fraudari, quando conductores gabellarum exigerent duplum, vel ultra id, quod deberent accipere.*

41 *Demum potest fraudari gabella, quādo defraudantes essent injustè damnificati à dominis, & ad ipsos spectaret.*

42 *Exigentes gabellas à personis Ecclesiasticis sive directè, sive indirectè, etiam à sortè dantibus, incurrunt casum reservatum, & excommunicationem*

xum Papalem. Neque possunt Prælati cogere Clericos ad contribuendum datiis, seu collectis, imo neque Clerici ipsi, possunt sponte illa subire sine Papæ assensu.

43 *Si Clerici portarent res Ecclesiasticas de loco in locum pro utilitate suæ Ecclesiæ, aut venderent res suas tam in pondere magno, quam minuto, non tenentur solvere gabellas.*

44 *Clerici non tenentur solvere pro rebus, quibus uterentur ad pompam.*

45 *Qui sunt de familia Episcopi, gaudent privilegio illius nisi obstet contraria consuetudo. At cursores modò non sunt exempti à collectis &c.*

46 *Privilegium exemptionis extenditur etiam ad milites religiosos, profitentes vota, & habentes certum modum vivendi, atque dicentes horas juxta constitutiones Pontificum.*

47 *Bona, quæ possidentur in communi, & indivisim à Clericis cum laicis, gaudent immunitate pro parte ad Clericos spectante.*

48 *Non gaudent privilegio exemptionis Clerici primæ tonsuræ, vel ordinum minorum non servantes vitam clericalē, & nō deferētes habitū, & tōsurā*

49 *Clericus, non habens beneficium, & si non gaudeat privilegio fori, si præscripta à Trideu. non servet, tamen ex Bon. non privatur aliis privilegiis, et immunis est à tributis. At servanda est locorum consuetudo.*

50 *Clericus, qui tantum bis, aut ter non inservierit Ecclesiæ gaudet privilegio fori, & est immunis à tributis, sicuti quādo abest tēpore delicti, vel capturæ*

51 *Gaudet privilegio fori habens beneficium Ecclesiasticum, & si habitum, & tonsuram non deferat: secus si non habeat beneficium.*

52 *Clericus sacris ordinibus insignitus, gaudet privilgio Clericali, & si non servet ea, quæ præscribit Trid.*

53 *Ecclesiastici non tenentur solvere onera, quæ laicis Principibus solvuntur, neque ea, quæ exigebantur antequā ad statum Clericalē assumerētur.*

54 *Clerici conjugati, si unicam, & virginem acceperint, & vestes clericis convenientes detulerint, gaudent privilegio fori in causis criminalibus, & canonis, tamen tenentur subire alia onera sæcularia; quoad privilegium fori, Diana extendit etiam ad uxores.*

55 *Docent aliqui, quod Clerici teneātur ad gabellas, quando imponuntur pro refectione viæ quam currus, & plaustra destrunt.*

56 *Etiam putant, Clericos teneri ad gabellas tempore urgentis necessitatis, & non possit de facile haberi recursus ad Papam, neque supersint facultates laicorum.*

57 *Clerici etiam, aiunt teneri, quando negotiarentur de rebus patrimonialibus, nempe quando emāt res integras, & revendunt. Secus si emerent materiam, ut operentur in Formam.*

58 *Clerici quando aliqua emunt pro usu suo à principio, & postea mutato proposito ex aliqua causa vendunt, vel permutant nō dicuntur negotiari.*

59 *Clerici tenentur solvere gabellas, si emerent merces alienas, & deferant nomine suo; Et si negotiarentur de bonis communibus cum laicis, debent pro parte illis contingente, solvere.*

60 *Non sunt exempti Clerici à gabellis, si fratres laici denarunt, ut gabellas effugerēt; & quādo præsumatur fraus*

61 *At an Clerici sint immunes à talea, vel collecta, non solum pro bonis hereditariis, sed etiam pro emptis, & donatis, standum est consuetudini locorum, quæ præcisa vertè essent immunes. At modo ex S. Congr. in Ostunensi non sunt immunes, nisi ascendant ad sacros ordines. Nec habentes patrimonium excedens sustentationem quoad partem excedentem &c.*

62 *Nec sunt immunes Clerici à gabellis in Civitate Neapolitana, & aliis partibus Regni, ubi est taxata, & limitata immunitas iuxta decreta Cameræ.*

63 *Sicuti, neque quando laici habent facultatem à summo Pontifice ab illis exigendi ob aliquam urgentem causā & debent compelli ad solvendū à Curia Ecclesiastica.*

64 *Si controvertatur inter conductorem gabellæ, & Clericum de aliqua re, & grave esset, judicem pro fide adire, tūc committendum est juramento deferentium, vel nunciorum, si personarū qualitas non dissuadeat, vel nisi de contrario fides habeatur.*

65 *Locatores ad officium, & agricolæ par-*

partiarii prædiorum Ecclesiasticorũ, sunt exempti à solutione gabellæ pro sua parte, si privilegium sit datum rebus. Secus si personis.

66 *Emptores redituum non possũt gaudere eadem immunitate, qua Clerici.*

67 *Ecclesia, vel Clerici, tenentur solvere præstantias, & alia onera pro possessionibus, eis collatis titulo lucrativo, vel oneroso; quando illa habent onus perpetuum, & invariabile annexum.*

68 *Quomodo graventur personæ Ecclesiasticæ indirectè?*

69 *Incurrunt casum exigentes ab aliis; si ex impositione damnum patiantur personæ Ecclesiasticæ.*

70 *Neque casũ effugiunt exigentes graviores gabellas à consanguineis, seu aliis, qui cum Ecclesiasticis bona indivisa habent; si in his damnum redundet.*

71 *Etiam ligantur casu exigentes gabellas à Clericis etiam si spontè dent. & quid ad hunc casum incurrendum requiratur?*

Pro digressione de Taxa Innocentiana, & Visitatione,

APOPHASIS.

72 *De taxa Innocentiana.*

73 *Quæ sint agenda, ut observetur Taxa Innocentiana?*

74 *Quid sit Visitatio? de ejus utilitate si debite fiat? & ad quid instituta?*

75 *Solam procurationem potest Episcopus à visitatis recipere, & quid sit procuratio?*

76 *Si visitator non haberet equitaturas, sed vellet ut subditi ministrarent; sunt ministrandæ sumptibus Episcopi. Nec tenentur ministrare vecturas, & ferraturas equorum. At possunt uti equis, si sint à visitatis oblati.*

77 *Non possunt accipere à visitatis munera, etsi de commestibilibus.*

78 *Quantum solvere debeat quælibet Parochialis, seu Basilica?*

79 *Non possunt Episcopi diu visitationem protrahere.*

80 *Visitati debent facere moderatas expensas pro victualibus, & quæ veniant nomine victus?*

81 *Victualia Episcopo visitãti sunt præstanda, vel à loco, quem visitat, vel ab illis, quos ipsa consuetudo præscripserit, & solvi debent ex ipsius beneficii redditibus. At generaliter ad sumptuum contributionem tenentur Clerus, & Parochi, pro rata tamen temporis, quo visitantur, ac etiam habentes beneficia, & Cappellanias, Confraternitates, & alia loca pia. Pariter laici de jure tenẽtur solvere procurationẽ. At consuetudo eos fecit exẽptos*

82 *Episcopus non debet conducere visitatores inutiles, & superfluos, aliter tenetur de suo expendere.*

83 *Episcopus nõ debet accipere procurationẽ à loco, in quo habitat, neq. ab hospitalibus leprosorũ, pauperum, vel infirmorum locis; Nec gravare debet Ecclesias impotentes, sed debet recipere procurationem, pensatis facultatibus earumdem.*

84 *Visitatores accipientes ultra permissũ tenentur restituere duplam, & ab ingressu Ecclesiæ suspenduntur, nec valet aliqua remissio &c.*

85 *Nec Episcopi, nec quisquam suorum possunt aliquid accipere causa procurationis pro visitatione, etiam testamentorum ad usus pios, præter id, quod relictis piis, jure debetur.*

86 *Est in optione Visitatorum, an solvere velint expensas, an pecuniam taxatã?*

87 *In illis locis ubi adest consuetudo, quod nec victualia, nec quidquam aliud visitatoribus solvatur, servandum est.*

88 *Episcopus non potest se divertere, ut agat aliqua alia, visitatorum expẽsis.*

89 *Quomodo intelligantur mensæ frugales, & moderatæ, quæ debentur visitantibus? & quare illis debeatur procuratio?*

90 *Graviter peccarent superiores, si ob solum interesse visitarẽt Diœcesim. sicuti si excessivè gravarent visitatos, aut si postularent equitaturas pro inferioribus personis, aut permitterent, ut dictæ postularent à visitatis, munera &c.*

91 *Si Episcopus non visitet per seipsum, nihil est solvendum, ubi talis est consuetudo.*

92 *Non debetur Episcopo procuratio, cũ visitat locum ubi residet.*

93 *Quando Episcopus est benè eruditus de statu rerũ, debet cessare à visitatione.*

94 *Episcopus in visitatione, eligere debet*

tem-

tempora opportuna, & commoda visitandi.

95 *Pena suspensionis debet visitator uti tantum, in gravibus casibus. Nec licet Episcopo excommunicatione cogere populum, ut revelet peccata, & abusus, nec publicare edictum, ut revelentur defectus Cleri.*

96 *Episcopus potest in visitatione agere, tantum ea, quæ potest extra id tempus, & datur contra illum appellatio etiam suspensiva, exceptis concernentibus ad mores.*

97 *Episcopus potest ministrare Confirmationem in Ecclesiis Parochialibus Regularium, & visitare loca exempta ac etiam regulares ubi non est præfixus numerus religiosorum; Tamen accedens ad confirmandum, non potest recipere procurationem.*

98 *Si Vicarius delinquat in visitatione, probabiliter tenetur Episcopus.*

99 *Vicario Episcopi transfertur cognitio causarum, non autem officium visitandi, seu corrigendi.*

100 *Notarius, scriptor, &c. nihil possunt recipere pro præsentatione bullarum, decretis, actis visitationis &c.*

101 *Constitutio Greg. X. in Con. Lugd. contra accipientes illicita in visitatione.*

1 Ecclesiasticarum personarum nomine, venit qualibet persona in sacris, vel minoribus ordinibus constituta, aut prima tõsura initiata, modò juxtà Trid. *sess. 23. de refor. cap. 6.* Clericalem habitum, & tonsuram deferat, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur, qui omnes sunt exempti ab omnibus gabellis, datiis, collectis &c. aliisque oneribus personalibus, tam quoad bona Ecclesiastica, quam patrimonialia, Capic. *in d cis.* 161. & habetur in Constitutione Regni, quæ incipit *Item statuimus*, Pon. *tom. 3. de cas. in Bulla cœnæ disp. 1. q. 19. pun. 3. §. 1. n. 12.* & alii apud ipsum.

2 Et quamvis cit. Trid. loquatur tantũ de privilegio fori, hoc trahit secum etiã exemptionem à tributis. Nam, ut docet Laym. *lib. 4. tract. 9. cap. 7. num. 3.* tributũ solvere, signum subjectionis est, & consequenter, qui à sæcularium jurisdictione, solutus est, etiam ab exactione tributorũ exemptus esse debet.

3 Gabella est exactio publica à Principe imposita subditis ad suæ domus sustentationem, & Regni conservationem. Et dupliciter in Jure accipitur, *in genere* scilicet, & *in specie*. In genere sumpta comprehendit vectigal, datium, telonium, dohanam, pedagium, guidagium, portorium, salinarium, tributum, taxam, taleam, collectam, præstantias, censum &c. DD. in cap *super quibusdam de verb. sign.* Jason in *L. placet, C. de sacros. Eccl.* Gloss. *in l. 1. 5. hic tit. ff. de public. & vectig.* In specie verò, est illa, quæ solvitur pro venditionibus, & emptionibus rerum; & alio nomine dicitur est *datium, & telonium*, de quo Matth. 9. & Luc. 6.

4 Vectigal est gabella, quæ solvitur pro mercimoniis, seu rebus venalibus, quæ invehuntur in Civitatem, vel ex ea extrahuntur, & alio nomine dicitur *portorium*, quia in porta civitatis solet solvi; vel aliter, & dicitur *dohana*. Hæc autem, vectigalia imponuntur pro refectione põtium, & ædificiorum communium.

5 Pedagium, quod à pede dictum est, est quod datur à transeuntibus in locis constitutis à Principe, & idem est ac *guidagiũ* quod solvitur pro mercimoniis, vel personis, quæ transeunt per vias publicas, vel per pontem. Etiam dicitur *guidagium*, quando tributum solvitur à transeuntibus pro custodia, & securitate viarum.

6 *Salinarium* dicitur, quod datur pro sale, Gloss. in dicto cap. *super quibusdam.* Tributum, sunt publicæ exactiones, quæ debentur ordinariè Regnanti, vulgò appellatæ *pagamenta fiscalia*, quæ solvuntur regulariter pro fumante, vel foculari, juxtà doctrinam Bartoli in *l. si non cert. lit. §. actor, n. 3. ff. de re jud.*, & alio nomine vocatur *census*. Vide Afil. in *tit. quæ sint regalia* super verbo *plaustrorum, colum. 3. vers. sed juxtà hoc.*

7 *Talea* est quædam solutio, quæ solvitur Regi ob occurrentem necessitatem, præsertim extraordinariam, & alio nomine appellatur *præstantia*, vel *indictum*, aut *super indictum*, aut *indictio extraordinaria* C. *de indict. lib.* 10. Quia ultra ordinarium canonem, qui rebus imponitur, præstatur tributum per singula lustra, ut habet Gloss. in l. 1. C. *de indict. lib.* 10.

8 Hæc autem indictio, quæ solvebatur per singula lustra, postea fuit reversa in munus ordinarium,& ab ista indictione postea tabelliones sumpserunt stylum suū in instrumentis,ut Glos. declarat *in auth. ut nomen proponatur Imper.* in v. *indictionis*, ubi declarat, quid sit indictio, nempe cursus 15.annorum. Quia antiquitus Romani singulis 15.annis, tributum de toto mundo recipiebant;& in primo lustro, seu quinquennio,ferrum,ut inde fierent arma militibus Romanis.Secundò quinquennio argentum;ut inde haberent stipendia milites.Tertio quinquennio,aurum,quod in ærario ponebatur; ut tempore necessitatis pro Republica expenderetur.

9 *Talea* autem comprehendit omnia patrimonialia;& indicitur, atque imponitur civitatibus,atque civibus inter cives, ratione rerum,tex.in.*l.rescripto,§.fin. in vers.talea*,ubi Gloss.& Bart. ff. *de muner. & bonor.*

10 Hæc alio nomine vocatur *collecta*, *taxa,impositio*,& imponitur pro publica utilitate inter cives per capitationem, toto titulo,C.*de capitat.civium,lib.* 10.ad quā sunt obligati à quatordecim annis masculi,à duodecim fœminæ usque ad sexagesimum quintum,*l.ætatem,ff.de censibus.*

11 Solvitur etiam per *æs*,& *libram*,id est habito respectu facultatum, ut declarat Aloiatus in *l.munus,n.3.,ff.de verb.sign.*& qui facit *æstimum* debet considerare æstimationem rerum;ad quam considerandam est habenda ratio onerum,quæ præstantur super illa re, & unicuique dandum, quod suum est.Etiam in rerum æstimatione debet *æstimum* faciens animadvertere ad utilitatem,& perceptionem fructuum;& ideo Im.in *l.apud Julianum,§.hæres,ff.de legibus.*1.Alexan.in.l.*rescripto,§.fin ff.de muner.& honor.*volunt, quod collecta potius ponatur habita ratione ad fructus,quā ad æstimationem rerum licet prætiosarum sed tamen sterilium.Et Bal.in l.1. C. *de annon.& trib.*dicit,quod,collectam tenetur usufructuarius solvere, quia habetur loco domini, tex. in *l. quæro, ff. de usufruct. leg.*

12 Eximuntur ab hac collecta forenses nisi habeant in civitate aliqua bona,quia tunc tenentur solvere bona tenentium, Abbas in cap.*pervenit, de Imm. Eccl.* qui latè tractat hanc materiam,& n.22.inquit quod non debet imponi pro utilitate, sed pro necessitate ipsius civitatis.

13 Sed quid dicendum, si forensis patiatur se describi in catastro, an tunc teneatur ad collectas?

Affirmativè respondet cum Gloss.& Bart in *l.incola jam muneribus, ff. de municip.* Bal.in l.1.§.*quod si nemo*, colum. 3. vers. *super.tertio puncto,ff.quod cujusq.univer.*& in l. *etiam,C.de exec.rei judic.*

14 Hinc sequitur, quod si quis habeat privilegium exemptionis,& scit,se descriptum in libro eorum,qui tenentur, & non appellat,amittit immunitatem,l.1.§.*siquis tutor, ff.quando appellatio fit.*Quod intellige,quando citatur,ut solvat, & ita non solum requiritur scientia descriptionis, sed etiā,ut sit citatus,ita Ang. *in dicto §.si tutor*,communiter ab aliis secutus, referente Bossio tit.*de Princip*, n. 168. Sic etiam,si solvo sine protestatione juris mei an amittam immunitatem? vide Alexand. *consil.33.vol.5.& consil.193.colum. penul. in 4.dubio 2.vol.& consil.* 190. *colum.* fin. Jas.*l.non solum §.morte,colum.* fin.ff. *de oper.novi.nuncia.*

15 An autem concessio immunitatis à collectis,extendatur ad futura,& quando conceditur ob immunitatem filiorum, an duret iis mortuis?

Est dicendum,quod duret,si morerentur vivo patre,non autem post ejus mortem, Decius,in *l.in omnibus de reg.jur.*Et quādo concessa est euntibus ad mercatum, an habeat locum dum redeunt? vide Parpal. in *l.placet,C.de sacros.Eccle.*

16 Et demum, an immunitas concessa posteris,se extendat ad fœminas, vel natos ex fœminis.

Docet Jason remissivè in l 1.*ult. colum. ff.de constit.Princip.*qui inquit,quod non; ponens illud notabile dictum Bart. in l. *quoties,C.de privil.*sco.libr.a.

17 Gabellæ ab antiquo præstari solitæ, a Principibus statutæ, solvi debent de Jure Divino,Canonico, & Civili, Gen. 47. Esdræ.7. Matth.22. & 17.Mar.12.ad Rom. cap.13.& cap. tributum 23. quæst. 8. cap. *super quibusdam de verb.sign.*& tot.tit. *ff. de publ.C.d vectig.*Trid. sess.25. *de refor.* c.20.Urb.VIII.5.Junii 1641.in bulla ipso ædita,Beja par.1. cas.13.

18 Tamen ad justitiam gabellæ, quatuor requiruntur causæ,nempe Efficiens, Materialis,Formalis,& Finalis.1.Efficiens idest auctoritas Pontificia, aut Imperatoria,

ſia, aut Regia, vel Concilium generale, aut immemorabilis conſuetudo, juxtà tex. & DD. in cit. cap *quibuſdam* 2. requiritur causa materialis, ideſt res, pro qua ſolvitur gabella, quæ licet de jure, non debeat eſſe de iis rebus, quæ invehuntur in uſus proprios, & familiæ, l. *univerſi*, *l. omnium*, *C. de vectig.* Tamen uſus (in noſtri præjudicium) recepit, ut etiam ſolvatur pro pane, vino, carne, panno &c. Nav. cap. 17. num. 202.

3 Requiritur causa formalis, ideſt ut imponatur juxtà rerum valorem, & cujuſque facultatem, atque juxtà vires Regni, alioquin ſi non ſervetur moderata, & æqua exactio, tyrannica eſt, & injuſta, & potiſſimum: ſi reddant aliquem immunem ab oneribus communibus, U. G. quia eſt potens, amicus, conſanguineus &c. & augeant onus gabellæ aliis, & præcipuè pauperioribus, qui non poſſunt, ut illi, ſe defendere; quod communiter in univerſitatibus, abſque conſcientiæ remorſu fit.

4 Debet adeſſe cauſa finalis, ideſt publica utilitas, vel urgēs neceſſitas, & ut exigatur ſecundū proportionem geometricā, quàvis in collecta, non requiratur publica utilitas, ſed tantum urgens ipſius civitatis, vel communitatis neceſſitas, Abbas in cap. *pervenit. de imm. Eccl.* Unde ceſſante hac cauſa finali, ceſſare omnino debet exactio gabellæ, Felinus, & Cajet. in verſ. *vectigalia*.

19 Ex dictis ſequitur, quod ſi gabellæ ſint poſitæ ab aliis ſuperioribus, nempe Baronibus, Ducibus, & Principibus recognoſcentibus ſuperiorem, injuſtæ ſunt, & graviter peccant, non ſolum ſi imponant nova pedagia, ſed etiam ſi impoſita augeāt (& ſæpè etiam, quod pejus eſt, abſque legitima cauſa) ſine debita licentia, ideſt ſine authoritate Pontificia, in terris ſummo Pontifici ſubjectis; Imperatoria, in ſuis terris; Regia in ſuis Regnis, & ſic de aliis Principibus, Ducibus, & Rebuspublicis non recognoſcentibus ſuperiorem.

20 Civitas verò, quæ ſuperiorem recognoſcit, licet gabellas imponere, vel augere, aut mutare non poſſit, ſecundum Gloſ in l. 2. & 3. C. *nova vectigalia*; tamen poteſt inter ſuos cives, exceptis forenſibus, & Clericis, collectam imponere, Bart. in l. 1. C. *de ſupern.* lib. 10. Card. conſil. 12. *in dubiis præmiſſis.*

21 Sed petes, an poſſint domini recognoſcentes ſuperiorem imponere novas gabellas, vel pedagia, vel impoſitas augere, cum aſſenſu Proregis?

℞ Affirmative, quia is gerit vicem Regis, ideoque eandem poteſtatem habet, quem Rex, Jaſon, Mar. Feder. Jacob de S. Georg. *in ſua in viſt.* in Gloſſ. in verſ. *Vicarius perpetuus*, concurrentibus tamen ſupradictis cauſis. Sed adverte, quod tunc aſſenſus Regis, ſeu Proregis juſtificat gabellam, cum fuerit legitimè impetratus, aliter peccant mortaliter, & caſum quintū Bullæ cœnæ, incidunt.

22 At hodie dolenter videmus, ambitionem, & voraginem, cupidinis quorumdam n. 19. dictorum in tantam pervenire ingluviem, ut propriis proventibus, & forte non contenti, non ſolum in omni levi, & futili cauſa miſeros ſubditos infimis fortunis privant, ſed etiam in diem ipſos gravant injuſtis, & intolerabilibus tributis, & ſervitutibus, atque cogunt ad præſtanda ſervitia perſonalia abſq. ullo, vel parvo emolumēto, ſub titulo, quod ſint ſubditi, nolētes ſcire, quod in illis rebus, in quibus ſubditi non tenētur erga ſuos dominos, habētur pro non ſubditis, adeoq. non ſunt tuti in conſcientia, ſi dant minus operariis ſubditis, quàm darent non ſubditis.

Merito enim de his verificatur, quod ſcribit Jun. III. Papa *lib. 1. cap. 15. de contēptu mundi*, dum ait: *ſervus miniſtrat, angariis agitur, plagis affligitur, opibus ſpoliatur; quod ſi non habet, habere compellitur; & ſi habet, cogitur non habere; culpa domini ſervi pœna; culpa ſervi, domini præda; venatio leonis, onager in eremo, ſic & paſcua divitum, pauper.*

Dic is etiam deſerviunt documenta, quæ Nicolaus Lanicius vir eximius ſocietatis Jeſu cuidam Comiti Bohemo anno 1642. dedit *tom. 2. opuſc. 13. lib. 3. fol. 327.* aiens: *Diligentiſſimè caveat ne ſubditis ulla prorſus onera imponat, ad quæ ex prima eorum inſtitutione, non fuerunt obligati, ſive ea ſint in ſuſcipiendis itineribus ad vehendas, vel ferendas res aliquas, ſive in laboribus domi, vel in agris, ſive in alendis canibus, vel catulis, ſive in contributionibus ad domini adeventum conferri nullo jure ſalitis, ſive aliis modis, quia quodlibet tale onus ad quod non ſunt obligati ruſtici ex prima eorum erectione, ſi ſit æſtimabile pretio unius ducati aurei, inducit peccatum mortale Domino, eumque obligat*

ad

ad restitutionem, quam nisi faciat, si scit, & potest, uti potest, damnabitur in æternum. Videri etiam potest Gaspar Rodericus *de annuis redditibus, lib.1.quæst.15.à num.50. & lib.2.quæst.33.à n.56.*

Unde ex dictis inferas, graviter peccare, si suis subditis non permittant, V. G. ire ad aliud molendinum, seu hydromolam, quàm proprium, ad frangendum frumentũ, aut molam oleariam ad terendas olivas pro extrahendo oleo, & quod pejus est, si accipiant tanti pluris, quàm accipitur in aliis molendinis. Similiter si prohibeant extractionẽ nivis nisi extrahant propriã, aut tanti solvant; aut lapicidis, ne lapides fabrefiant. Sicuti si prohibeant, ne vendant frumentum, vinum, oleum &c. nisi prius vendant ipsi suum; & aliquando si non vendunt, distribuunt coactè suis subditis, etiam pretio summo, certis temporibus, aut in æstate solvendum. Idem solent efficere in locandis agris, nempe cogendo agricolas, ut accipiant pro pensione valdè excessiva, & si agri sint deteriorati; nonnumquam etiam solent violenter rapere bona Universitatis, ut essent nemora, silvæ, pascua, & sic discurre de aliis detestabilibus angariis, & coactionibus.

Omnes enim, qui talia committunt, peccant graviter, & tenentur ad restitutionem damnorum, & meritò; Nam hic est subditorum amor, & misericordia! nolunt scire ex Evangelio, *quod eadem mensura, qua mensi fuerint, metitur illis*; Epulo enim ob credulitatem exercitam cum Lazaro, tractans cum peiorem canibus, coactus fuit ab inferis ab illo aquæ guttulam mendicare. Sicque non se jaceant in impunitatis terrenæ spe; cum dominus sit patiens redditor.

23 Sic pariter graviter etiam peccarent Ecclesiastici superiores, qui reservantes crimen exactionis gabellæ à personis Ecclesiasticis, ipsi verò iniustè acciperent, cum scandalo non tantum Ecclesiasticorum, sed etiam sæcularium, bona ab utrisque; & primò si accipiant, quæ omnino prohibita sunt accipere. Secundò, si in suis Cancellariis accipiant immoderatissima emolumenta, non solum in causis temporalibus, sed etiam spiritualibus, & præcipuè in quibusdam in quibus exigere emolumenta, nec nominare licet, & potissimum in illis rebus, in quibus emolumenta accipienda, deberent esse magis moderata, quàm in foro sæculari. Tertio si pro observanda taxa innocentiana in dictis Cancellariis eidem proscriptionem dederint; aut si illam faciant variare ad instar tarissæ pharmacopolarum, quæ singulis annis mutari solet, sed cum hoc discrimine, quod in ista res quandoque augentur, quandoque minuuntur; in illa verò semper augentur, novæque solutiones solent addi.

Et quia de taxa incidit hic sermo, æquũ erit illam hic transcribere. At ne multum recedam à difficultatum hujus casus decisione, dictam taxam cum Visitatione ad extremum hujus Capituli addam; cum ejusdem exacta observantia conferat & ad Dei servitium in gubernatione Ecclesiarum, & ad bonum nomen, ac gloriam Prælatorum (mitræ quorum nunquam gemmã majoris splendoris, & pretii habere poterunt, quàm illam sequestrationis ab interesse), & demum ne Clerus, cęterique de populo graventur.

24 Nec sunt excusandi Prælati illi, qui omni cura à se rejecta, sinunt Cancellarię Officiales pro libitu agere, ad quos, si quis recurrat pro justitia, aut pro bonis suis vindicandis, non auditur: nisi bursas plenas aureis, aut saltem argenteis nummis habeat; & si audiatur, serò eam habeat, quasi emptam, & post tribulationes plurimas. Unde meritò Sacerdotes quandoque talia videntes possunt exclamare cum Lateranensi Concilio cap.4.ibi: *Qui potestatem habere videntur, tot onera imponunt Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis Divinæ notitiam non habebat: ille quidem omnibus aliis servituti subactis, Sacerdotes, & possessiones eorum in sua libertate dimisit, & eis alimoniam de publico subministravit: Isti verò onera universa imponunt Ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, ut eis, quod Jeremias deplorat, competere videatur:* Princeps populorum facta est sub tributo.

25 Quid verò agant mali Curiæ Officiales cum simplicibus, & agrestibus pauperculis fraudis curialis ignaris: Colligitur ex sequentibus verbis Gersonis Cancellarii Parisiensis apud DionysiumCarth. *de vita, & regimine Episcopi, art. 36. Dici non potest quanta mala faciunt isti exploratores criminum, quos promotores appellant,*

qui

qui simplices, & agrestes pauperculos, vitā suam innocuam agentes, & fraudis urbanæ ignaros, sæpe in jus pro nihilo vocant, causas, & crimina contra eos confingunt, eosq; vexant, terrent, irritant, & ita eos per talia, secum componere, & pacisci compellunt; quod si facere renuerint, crebris, & quotidie repetitis citationibus eos supra modum infestant, quod si qualibet occupatione præpediti, comparere desierint, censura anathematis, aut pecuniaria tamquā rebelles puniuntur. Si verò perseveraverint comparere eorum audientias apud judicum tribunalia impediunt, morasque, & subterfugia dilationum, & interlocutionum captant, quæ perfacile in foris Ecclesiasticis obtinentur, quatenus simplices longo tædio fatigati, coguntur pactione pecuniæ redimere futuram vexationem, atque impensam, sic pro levi, vel nullo delicto, pro exiguo debito, fit innumerus cumulus expensarum.

Et certè nonne tyrannica crudelitas est, interdum videre non paucos pauperculos, qui in eorum manus incidunt non solum ultra dimidium, sed etiam quadruplum ex emolumentis, quæ eis ex jure debentur, coguntur solvere; nam, aiunt: tanti solvitur, & si quod absit, quis contradicat, tigrina facie improbant, ita ut miselli ne subjaceant dilationibus, & scandalizent, placidè, & cum precibus solvunt, imitantes Christum Dominum, Matth. 17. qui vectigal, ad quod non tenebatur, solvere voluit. Isti enim non solum augēt antiquas taxas, sed quotidie introducunt novas, & hoc quia absque stipēdio detinentur, ob quod coguntur artes furtivas quærere, ut vivant, & etiam superiores connivent, & ipsi plus augent taxam & superbiunt; cum tota facilitas, & audacia in peccando, ortum trahat ab impunitatis spe. Ideoque appellari convenienter possunt Episcoporum hirudines evomentes Episcopo alienum sanguinem, quē biberunt; Unde possumus exclamare cum Ecclesiaste, cap. 4. v. 1. *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos.*

26 Igitur ex dictis patet, quod qui gabellas justas (nempe in quibus concurrrūt causæ ad justitiam gabellæ supranotatæ) non solvit, peccat mortaliter, nisi excuset parvitas materiæ; & tenetur ad restitutionem publicanis damnificatis, vel eorum hæredibus; & his cessantibus, in pios usus, juxtà communem cum Rosella V. *pedagium*, 5. 6. Fel. Alph. de Castro, Sotus &c. Tamen Nav. Ang. Beja, & alii dicunt, leges de solvendis vectigalibus, esse tantum pœnales; adeoq. non teneri ad restitutionem fraudantes.

27 Hinc inferunt primò, quod qui simulatione, fraude, atque occultè contractas merces invehunt in Civitatem, vel provinciam, aut illas evehunt, quò publicanos effugiant, ipsosque defraudent, tenentur ad restitutionem etiamsi vectigalia non petantur. Quia hi, qui merces invehunt, aut evehunt, tenentur per viam publicam, aut regiam eas transmittere, & non occultare, Covar. in v. *peccatum*, par. 2. 5. 5. n. 5. Tamen Ang. Hen. Fill. Th. Urt. Major. Lug. &c. absolutè docent, non esse obligationem sponte sua offerendi gabellas, nisi petantur; imo Mol. Sanch. cum aliis docent, quod non tenentur restituere, quamvis occultaverint. Et idem dicendum putant de his, qui afferunt unum pro alio, vel res esse minoris quantitatis, ut minus solvant, Archiep. Flor. *in summa de restit. cap. 1. v. manus fraudataria vers. 5.* ob rationem num. 26. cum Nav. &c. datam.

28 Inferunt secundo, ut non solum teneatur venditor solvere gabellas, sed etiam denunciare publicano ignoranti venditionē factam fuisse, & solvisse gabellam sed tamen quando venditio fuit occultè facta, ut docent Cov. & Sotus *lib. 4. de just. & jur. quæst. 6. art. 4.*

29 Sed quæres, an emens ab eo, qui scit defraudari gabellas, alioqui ex justitia solvendas, teneatur pro venditore solvere

Silvester ait, ementem teneri gabellam pro venditore solvere. Quia gabella est onus reale, quod cum merce transit ad ementem; & admittunt communiter alii, si cooperetur, quia esset causa damni. Si autē non cooperetur sed tantum permittat, ajunt non teneri. Quia gabella non est strictè onus reale, gravans mercem, sed merx est tantū veluti hypotecha obligata pro gabella, si fiat excussio, & intentetur actio, Mol. Bon. Less. Dic. Spor. Sanch. Croix *lib. 3. par. 2. d. restit. n. 276.*

30 Inferunt tertio cum dicto Cov. quod tenentur ad vectigalis solutionem etiam

trans-

transmittentes per loca publica, consueta merces absque ulla fraude, quamvis nullus sit custos ibi, qui vectigal exigat, & si nulla pœna sit afficiendus, si absque vectigalis solutione transierit.

31 Inferunt quartò cum Castrop. *lib. 1. de leg. pæn. cap. 10.* Bart. in l. fin. §. *Divus, ff. de publ., & vectig.* Bal. in l. 3. C. *de naut. fœno*, ut etiam si ad esset locus certus exactionis gabellæ, teneatur ibidem viator deferre. Quia ille locus, dicitur exactor.

32 Inferunt quintò, quod afferentes aurum, frumentum, equos &c. extra Regnum contra prohibitionem, peccant mortaliter.

33 Inferunt sextò cum Tiraq, & Menoch., quod fraudantes capita civium, in capitationibus, vulgò dicta *focolaria*, ut sūt syndici, quibus in aliquibus locis spectat singulis cujusque communitatis imponere collectas juxta possessiones, & facultates civium, nec magis gravare pauperes, quàm divites, & defendere (ut habet Cicero, in causa Cornelii Balbi) causas publicas, & jura, peccant graviter, & tenentur ad restitutionem, si causa amicitiæ, utilitatis, timoris, cognationis &c. suum officium non adimplent. Quia ex officio eis spectat, ut dictum est, cuique quod cōtingit, imponere nullo habito respectu, nec erga seipsos; & defendere communitatum jura, non autem potius accipere de communitate, ac dissipare illius bona; Et ideo populus in dictorum syndicorum electione, vel aliorum, utcumque appellentur maxima cum diligentia, & delectu eligūt; licet populares asportentur non semel à passione, affectu, & inclinatione, dum videmus, quod aliquando in eorum electione sine ulla consideratione eligant, agentes more ovium, ex quibus dum una proicitur ad natandum, omnes aliæ illam sequuntur.

34 Inferunt septimò, quod cives mentientes in possessione bonorum, seu redditiū ubi vivitur per æs, & libram, seu ut vulgò dicitur per *attretium*, peccent mortaliter & teneantur ad restitutionem damnorum communitati illatorum.

35 Inferunt octavo cum cit. Archiep. Flor. quod ubi adest collecta de solvendo denario, pro vino, oleo, butyro &c. fraudātes in mensura, vel numero, idem peccatū incurrant; Et idem dicunt cum Jason in l. *non dubium*, n. 45. & 46. C. de leg. de his, qui invehunt uvam, ut ex ea exprimant vinū ut fraudent gabellam, ubi pro dictis rebus est imposita.

Nihilominus Cajet. & alii 12. AA. apud Lugo, n. 24. dicunt non obligare in conscientia, quando imponitur pro usualibus Quia tūc videtur injusta propter inæqualitatem; cum pauperiores non habentes talia ex suis bonis, cogantur plura emere, quàm divites, adeoque plus gravarentur, quodq. esse probabile, afferunt Mol. *disp.* 669. Bon. *de rest. 2. qu. 9. pun. 1. num. 5.* Diana &c.

36 E contra non tenentur quando gabella est injusta. Nam cum eā non teneatur quis in foro conscientiæ solvere, poterit licitè illam defraudare, Fel. in C. 1. *de const.* Bart. in l. *vectigalia*.

37 Nec tenentur quando cessat causa finalis ob quam imposita fuit gabella, vel finitum fuit tempus, Fel. Cajet. in v. *vectigalia*. Neque obligantur quando non fieret illud, propter quod imposita fuit Host. &c.

38 Etiam dicitur injusta gabella, & potest fraudari quando esset nimis gravis, & excessiva, ut si V. G. gabella pro eodem frumento, aut pisce repetatur ab eadem persona in diversis locis. Non enim debet quis taliter affligi, cap. *cum perverso*, Sylv. ver. *gabella 3. quæst. 9.* & verbo: *Unde hujusmodi*.

39 Excessivæ autem, ex dispositione juris, dicuntur quando gabella excedit tertiam octavæ partis valoris rei, per text. in l. 1. C. *de vectig.* Fel. in cap. 1. *colum. 13. vers. alius casus est.* Tūc enim potest fraudari in odium injusti exactoris, non solum respectu excessus, sed etiam totius, ut in cap. 1. *in fine*, & cap. 2. *de cens. lib. 6.* & cap. *quia plerique de imm. Eccl.* Hodie tamen non potest assignari certa regula, nec dari certus terminus, quando gabella sit excessiva; ideo totum remittitur arbitrio boni viri, attenta necessitate, causa, & loco.

40 Etiam fraudari potest, quando conductores gabellarum exigerent duplum, vel ultra ejus, quod deberent accipere, Bal. in l. 3. C. *de naut. fœno.* Ubi nota, quod præpositus gabellarum tenetur de facto familiæ, l. 1. §. *familiæ*, ff. *de public.* Abbas in cap. *licet.* Idem dicit de nauta.

41 Potest demum fraudari gabella, quando defraudantes essent injustè damnifi-

nificati à dominis, quia possunt sibi satisfacere, Silv. v. *gabella*, n. 24. Sed tamen quando spectaret ad eundem dominum loci, qui injuste damnificavit. Verum, etsi nonnulla ex supradictis, & infrà dicendis parum videantur pertinere ad hunc præsentem casum, quia tamen sæpè in prædictis soleant homines impingere, ac etiam quia non parum faciunt ad faciliorē hujus casus intelligentiam, hęc adnotavi.

42 Et ut ad casuum resolutionem deveniamus, dicendum primò, quod qui gabellas exigerent à supradictis personis Ecclesiasticis, directè, vel indirectè, etiam à sponte dantibus, incurrunt casum reservatum, nec non excommunicationem papalem in Bulla cœnæ, n. 18., quæ extenditur ad omnes Prælatos cogentes clericos ad contribuendum datiis, & collectis, c. *non minus de imm. Eccl.* imò si clerici spōte nomine capitulari promiserint subire talia onera, non possunt id facere sine Papæ assensu, c. *adversus de imm. Eccl.*

43 Quod procedit etiam si clerici portarent res Ecclesiasticas de loco in locum causa recreationis, pro utilitate suæ Ecclesiæ, & venderent res suas, vinum, oleū, frumentum, & similia, tam in pondere magno, quàm minuto, Cyn. Bal. in l. 2. c. de Ep. & Cler. Abbas &c; & ideo in talibus casibus possunt clerici occultare talia bona, de quibus non tenentur solvere gabellas; ne videantur à publicanis, dummodo semper caveant à mendaciis arg. tex. in cap. 3. de reg. jur. Abbas in c. *olim* il primo *de restit. spol.*

44 Quod ampliatur, quod nec teneantur solvere pro equis, & rebus, quibus uterentur ad pompam. Quia universaliter sunt exempti à solutionibus gabellarum, *c. quamquam de cens.* lib. 6.

45 Ampliatur etiam in familia Episcopi, quæ gaudet privilegio Episcopi, non autem famuli clericorum, Abbas in c. 2. in *f. de for. comp.* Felinus, Jason &c. Verum in hoc attendendum est usui, & praxi, nam exemptio familiarium Episcopi si sæculares sint, nullo canoni nititur, sed tantum consuetudini, si sit in loco. Neque extenditur ad cursores, qui modò non sūt exempti à collectis, & gabellis, aut aliis tributis, imo possunt conveniri coram laico Judice, ut debita solvant, neque possunt incedere armati cum armis à Regiis pragmaticis prohibitis, ut novissimè edicto prohibitum fuit à nostro Episcopo.

46 Demum, hoc privilegium exemptionis extende etiam ad milites religiosos profitentes vota, & habentes certum modum vivendi, atque dicentes horas juxtà Pontificum constitutiones, Clem. ex c. 1. *de relig. domib.*

47 Bona quæ possidentur in communi, & indiviso à clericis cum laicis, gaudent immunitate pro rata, & parte ad Clericos spectante, & qui à talibus exigunt gabellas, afficiuntur hoc casu, & excommunicatione 18. in Bulla cœnæ. Quia alias gravarentur à laicis, Bon. *tom. 3. de cen. in Bull. cen. disp. 1. q. 19. p. 3. §. 1. n. 19.*

An autem Clericus teneatur in partitione hæreditatis paternæ in legitimam computare bona sibi pro titulo à patre assignata, vide Bon. de *contr. disp. 3. q. 8. pun. 4. n. 33.*

48 Limitandum modò primò est hoc dictum privilegium exemptionis in clericis primæ tonsuræ, vel ordinum minorum, non servantibus vitam clericalem, & non deferentibus habitum, ut habetur in pragm. Regni, quæ incipit: *Ferdinandus.* Et meritò quia hodie mæstè perspicimus non paucos fraudolentes, & dolosos Clericos viventes ad instar pessimorum laicorum, & in tantum à servitio Ecclesiæ abhorrentes, ut nec eam ingrediantur; nec deferentes habitum, & tonsuram clericalem, & vitam ducentes militum, & proscriptorum more. Neque se adscribunt in clericorum numero, ut ad ulteriora ascendant, & ut Deo magis inserviant, sed (ut fallaces) effugiant laicalem forum & furentur gabellas, & alias immunitates in bonis.

Miseros! quem finem agent? quomodo conscientiam ab amaris morsibus furtorum fraudatarum gabellarum, & collectarum defendent, cum inconcussum sit, ut patet ex cit. Trid. *s. 23. cap. 6. de refor.* quod nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut habitum, & clericalem tonsuram deferant, & inserviant alicui Ecclesiæ &c. non sunt immunes à supradictis oneribus. Nam tunc, cum non gaudeant privilegio fori, & habeantur tamquam laici (quod, ut n. 2. diximus, trahit exemptionem à tributis), sunt subjecti jurisdictioni sæculari; & consequenter æquum est, ut oneribus tributorum subjiceant, ut ex consuetudine in multis locis observatur,

vatur,& docent Suar.Cov.Less.Gutt.&c. apud Laym. *lib.4.tract.9.cap.7,num.3.* Et meritò,quia non debent gratiis, & favoribus Ecclesiæ gaudere, qui membra inutilia ipsius sunt.

49 Tamen in sententia Bon.*to.3. disp. 1.q.19. cap.3.§. 3.de cens.in Bulla cœnæ*, Clericus non habens beneficium, etsi non gaudeat privilegio fori, nisi præscripta à Trid. servet; Tamen aliis privilegiis non privatur, ideoque est immunis à tributis. Quia Trid.id solum poscit in privilegio fori, & cum simus in pœnalibus, non est facienda extensio ad alia privilegia. Sed in hoc servanda consuetudo,quæ vera est legum interpres.

50 Sicuti ex cit.Bon.*n.25.* neque privatur privilegio fori, & est immunis à tributis Clericus,qui tantum bis, aut ter non inservierit Ecclesiæ. Quia Trid. requirit frequentiam, & perseverantiam in servitium.Idem est,si non inservit illi Ecclesiæ, cui mandavit Episcopus inservire,tunc enim privatur dicto privilegio fori,sicuti, ut Laym.docet, neque quando abest tempore delicti,vel capturæ,quia non præsumitur,quod dimiserit habitum animo deferendi,sed ut commodius delictum patraret;Sicuti attentis circumstantiis, qui incedit cum habitu, & tonsura, & obediens est Prælato, & per paucas vices interfuit choro, & processionibus, licet Ecclesiæ ex mandato Episcopi non inserviat, vel beneficium Ecclesiasticum non habeat, Felix Potestas in *examine confessariorum tom.1.par.2. de 1. Decal. præcep.cap.4.n.731.*quæ vide pro casibus, in quibus Clericus constitutus in sacris non gaudeat exemptione à potestate fori laicalis,l.c.à n.735.& demum si semel dimiserit habitum, si tamen sine fraude, vel dolo reassumpsit, recuperat privilegium.At in omnibus his non amittit privilegium canonis.

51 E contra gaudet privilegio fori, si habeat beneficium Ecclesiasticum, etsi habitum,& tonsuram non deferat, ut liquet ex illa particula disiunctiva,*aut*,apposita à Trid.cit.Bon. n. 21. & innumeri alii apud ipsum.At si non habeat beneficium debet deferre habitum,& tonsuram, & simul inservire alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi.Quia dicta copulativè præcipiuntur, aut saltem requiritur,ut commoretur in seminario,vel in aliqua schola,vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos,ut cit.Trid.

52 Clericus sacris ordinibus insignitus gaudet privilegio clericali, etsi non servet ea,quæ à Trid.sunt præscripta.; Tum quia nullibi præcipitur; Tum etiam quia videtur persistere mancipatus servitio alicujus Ecclesiæ,non potens amplius redire ad statum laicalem.

53 Ecclesiastici non tenentur solvere onera, quæ à subditis solvuntur Principibus pro capite,neque ea,quæ exigebantur antequam ad statum clericalem assumerentur.Quia sunt onera personalia imposita rebus intuitu personarum, vel imposita personis subjectis intuitu bonorum,Bon.*tom.3.de cens.in Bull.cœn.disp. 1.qu.19.pun.3.§.1.num.4.* Sicuti non potest illis imponi onus hospitandi Principes,vel ipsorum legatos,vel milites.Quia Ecclesiastici sunt exempti quoad bona,& personas.

54 Limitandum secundò in clericis conjugatis in nostra Ecclesia latina, qui etsi gaudeant tantum privilegio *fori* in causis criminalibus, *& canonis*;modò unicam,& virginem uxorem acceperint, tonsuramque,& vestes honestas clericis convenientes detulerint &.alicui Ecclesiæ serviant,juxtà text.*in cap.un.de.Cler. conjug. lib.6.*Tenentur tamen gabellas, munera sæcularia,collectas,aliave regalia obsequia, censum, & his similia subire, sicuti Laici, Glossa *memorabilis* in dicto *cap.un.vers.cæteris*,Panor.*in cap.ex parte de Cler.conjug.*Guido Papa *quæst.*383.Bertachinus,*in tractatu de gabel.7.par. num. 11.*& communiter omnes. Imo ex Dianæ sententia, privilegio fori etiam Clerici uxor gaudet.Quia viri sui forum sequitur;ac etiam filius vivente patre, Pignat. *tom.1.consult.99.& 463.*

55 Tertio docent aliqui, quod clerici teneantur ad gabellas, quando pro viæ refectione,quam currus,& plaustra destruunt, imponuntur. Quia sicuti tenentur ad refectionem via rum,L.*ad instructiones C.de sacros. Eccl.* ita ad refectionem viæ quam currus, & plaustra destruunt, etsi non possint cogi.Tamen quinque debent concurrere conditiones, quas vide apud Felicem Potestatem *tom.1.par.2.n.807.*

Sed an hodiè illa Lex *ad instructiones*, &c.procedat? vide Deci. *in cap. S. Maria num.*

num. 234. *de constit.* & *Abb. consil.*6.

56 Quartò docent teneri tempore urgentis necessitatis, ut tempore belli, famis, pestis, æris alieni &c.&non supersunt laicorū facultates, nec de facili potest recursus ad Papam haberi, arg. gloss. 16. *quæst.* 1, 5. *placet*. Tunc enim potest rogare personas Ecclesiasticas, ut solvendis gabellis, vel militibus hospitio recipiendis consentiant, Sylv. *ver. immun.* Et defactò anno 1557. Duce Albæ, Neapolis Prorege, tempore Pontificatus Pauli IV. cum Galli ad Regnum Neapolitanum venerunt, ingruente tunc pecuniæ necessitate ob Regni defensionem, omne argentum Ecclesiarum pro moneta conflanda acceperunt ut refert Camil. Saler. *in proemio Constit. Regni verbo præfatis*. Et nos non semel coacti fuimus ad milites hospitio recipiendos, & potissimum anno 1707. & in adventu nostri invictissimi Regis Caroli Borbonii Philippi Regis Hispaniarum filii, anno 1734. de quo, ac de ejus coronatione vid. Perrotta lib. 2. suæ Histor. cap. 9. in fine.

57 Quintò, ajunt, teneri, quando inveherent, aut emerent ad negotiādum: quod intellige de rebus patrimonialibus; Secus de Ecclesiasticis. Negotiatio autem tunc dicitur, quando emerent res integras & revenderent; & tunc debent pro illis gabellas solvere; Non autem quando emerent materiam, & operarentur in formā. Quia tunc artificium, non autem negotiatio esset.

58 Nec Clerici, qui aliqua emunt à principio pro suo usu, & postea aliqua ex causa, proposito mutato, vendunt, vel permutant, negotiari dicuntur: Quia ponderatur principium. Nam non emerunt, ut venderent, vel negotiarentur, sed tantum pro suo usu.

59 Sextò tenerentur, si emerent, res alienas, quas suo nomine deferrent; vel si negotiarentur de bonis cum laico communibus; cum tunc pro parte laico contingente, gabellas solvere debeant. Quia prætextu privilegii, non debet publica Potestas impediri, *l.* 2. *C. de privil. Schol.* & tunc docent, quod Judex posse eos ad cimissionem cogere.

60 Nec ab onere gabellarum sunt excepti Clerici, quando fratres laici in fraudem donarunt, nempe ut onera gabellarum &c. effugerent. Et fraus præsumitur, quando possidet Laicus post donationem sicuti prius, Sylv. *ver. excomm. c.* 9. *n.* 14.

61 An verò Clerici sint immunes à gabella, seu collecta non solum pro bonis patrimonialibus, & hæreditariis, sed etiam pro emptis, & donatis?

Bon. *tom.* 3. *de cas. in Bulla Cœnæ disp.* 1. *q.* 19. *pun.* 3. §. 5. *n.* 16. docet, quod bona ab Ecclesiasticis empta, vel alio titulo acquisita, non sint subjecta oneribus, & tributis Principum. Quia per mutationem personæ & qualitas inhærens rei ratione personæ mutatur, L. *locatio*, §. *fiscus*, *ff. de publican.* & *v. Bigal.* Idem docent Duardus, & alii. Et dicta sententia est certissima, ubi nulla est taxata, & limitata immunitas, aut ubi non adest consuetudo, ut pro talibus bonis solvatur. Ideoque supradicta bona semper deberēt esse immunia, saltū quoad partem Ecclesiasticis contingentem; si illa cum laicis essent dividēda, aut omnia; si cum illis dividenda non essent.

At pro claritate dictorum nota, quod juxtà processum appellatum *Ostumensis nullitatis variarum donationum Ecclesiasticis simulatè factarum ex Delegatione Apostolica in Annunciatura Neapolitana fol.* 521. Per responsiones à S. Congr. Episcopo Ostumensi, anno 1711. datas, non sūt immunes ab oneribus collectarum Clerici, nisi ascendant ad sacros ordines; nec illi, qui habent patrimonium excedens congruam sustentationem, sunt exempti à parte excedente, utpote in fraudem constituta (absque tamen præjudicio exemptionum pertinentium Clericis in aliis bonis præter patrimonium prædictum, quas realiter, & sine fraude possidet) Neq; pro portione virili, vivente patre, gaudet exemptione, nisi ad dictos sacros ordines ascendant. Et defacto anno 1735. à Syndicis hujus Terræ Roccæ Monfinæ, medio Episcopi assensu, coacti fuerunt Clerici pro solutione collectæ supradictorum bonorum.

62 Nec procedit talis immunitas Neapoli, & in aliquibus aliis partibus Regni ubi immunitas, juxtà decreta Concordatæ summariæ ac vitandas fraudes, taxata, & limitata est.

63 Neque quando Laici haberent facultatem à summo Pontifice, dicta immunitas procedit: ut defacto ante adventum dicti nostri Regis Caroli Borbonii Philippi V. Hispaniarum Regis filii, in

N 2 hoc

hoc Regno, ex fummi Pontificis conceffione à duobus quinquenniis *decima Papalis*, ut vulgò dicebatur, nempe quatuor pro centum de bonis Ecclefiarum, & beneficiorum afcendentium, tamen, ad fummam per Bullam Pontificiam taxatam, folvebatur Imperatori pro fubftentatiòe militum in Turcharum confinibus exiftentium; quam Bullam denuo per alium quinquennium confirmaverat Benedictus XIII. circa annum 1726. Tamen hæc onera non debent imponi, nifi ex valde urgenti caufa, & ad tempus: Et renuentes debent per Ecclefiafticam Curiam, non autem per Laicalem compelli.

64 Si verò controvertatur inter conductorem gabellæ, & Clericum; vel quia ille negat, ejus Clericatum; vel dicit res deferri negotiationis caufa; & grave effet femper Judicem adiri pro hujus rei fide recipienda; tunc committendum eft negotium juramento deferentium, vel fuorum nunciorum; fi perfonarum qualitas non diffuadeat; vel nifi de contrario fides habeatur in promptu. Et pro hoc facit *text. in cap. finali de juram. quod metus caufa fit.* Quoad perfonam videtur fufficere fi fit in tonfura, & habitu Clericali, *cap. fi judex de fent. excomm. lib. 6.*

65 An verò Locatores ad officium, & agricolæ partiarii prædiorum Ecclefiafticorum, fint pro fua parte à folutione gabellæ exempti? Refpondetur negative ex Gloff. *num. in Clem. 1. in ver. excolendas de decimis*, Fed. de fent. *confil.* 3. Francus, Abbas &c. Quia pars agricolæ fubjecta eft Domino temporali. Separatorum enim feparata debet effe ratio. Quod intellige quando privilegium datum eft perfonæ; fecus fi datum fit rebus. Et ideo videnda funt privilegia, quia fæpè conceditur Religiofis immunitas non folum pro eorum prædiis, & bonis, fed etiam pro eorum colonis, & partiariis, qui dividunt fructus.

66 An autem emptores reddituum Clericorum poffint gaudere eadem immunitate, qua clerici?

Negant cum Jo: And. *in cap. quamquam*, *Gloff. in Cl. 3. de cenf.*

67 Demum quæritur, an Ecclefia, vel Clerici teneantur folvere præftantias, feu alia onera pro poffeffionibus eis collatis, vel titulo lucrativo, vel onerofo?

Dic quod quando illa onera annexum habent onus perpetuum, & invariabile, tunc cum oneribus fuis ad Clericos tranfeunt hic facit Clem. 1. *& quod ibi not. de cenf.* Si verò onus non erat tale, ut funt iftæ defcriptiones, quæ hodie fiunt, quia æftimantur bona cujufcumque, ut folvant plus, vel minus fecundum impofitionem collectæ; ad ifta non tenentur Ecclefia, & Clerici. Quia hoc non eft onus annexum fuis poffeffionibus; cum non fit perpetuum, fed variabile: Et quandoque imponitur perfonæ pro rebus. Si ergo proveniunt ad Ecclefiam, debent cenferi de Jure Ecclefiaftico; & pro hoc extat textus *in cap. unico de jure patronatus lib. 6. Abb. in cap. 1. num. 12. de vit. & hon. Cleric.*

68 Ponuntur in cafu illæ particulæ *directè, vel indirectè etiam à fponte dantibus*. Pro quo quia de gravamine *directo* dictum eft ufque modo; Nunc de *indirecto* agendum erit. Unde tunc indirectè gravarentur perfonæ Ecclefiafticæ, fi gabella poneretur, non principaliter in gravamen ipforum, fed generaliter in gravamen omnium; ita ut Clerici emerèt fub eo gravamine, Felix Poteftas *de gabellis n.* 805.

69 Quarè incurrunt cafum, exigentes ab aliis, quoties ex impofitione, damnum patiuntur perfonæ Ecclefiafticæ; & ideo cafu afficiuntur, qui exigunt à Colonis Ecclefiafticorum majores gabellas, fi Ecclefiaftici damnum patiantur, V.G. fi per hoc cogantur locare vili pretio &c.

70 Neque cafum evadunt, qui exigerent graviores gabellas à confanguineis feu aliis, qui cum Ecclefiafticis bona indivifa habent, ita ut damnum etiam in ipfos Ecclefiafticos redundet. Nam tunc hujufmodi onera cenferentur indirectè imponi Ecclefiafticis, & ipforum bonis.

71 Ad extremum, quia ut dictum eft, adduntur etiam in cafu particulæ illæ *etiam à fponte dantibus*, incurrunt cafum exigentes, & exigi mandantes à Clericis gabellas &c. etfi ipfi Clerici ob aliquem refpectum, & ad vitandas rixas, fponte dent. Quia tunc inviti dicuntur folvere, nec omninò liberè, & voluntariè dant; cum folvere nollent, fi poffent; ideoque ab illis exigentes, cafum non effugiunt, etfi fpontè, & libenter afferant accepiffe.

72 Et demum pro coronide, & ad majorem

jorem hujus casus intelligentiam, nota, quod ad incurrendum dictum casum non semper requiratur, ut exigentes accipiant ab Ecclesiasticis materiam gravem; sed quandoque incurritur etiamsi accipiatur aliquid minimum; si tamen coactè, & violenter exigatur. Quia tunc, etsi peccetur leviter spectata quantitate, quæ exigitur, nihilominus peccatur graviter ratione injuriæ illatæ ipsis Ecclesiasticis, eorum statui, & superiori; finis cujus fuit, ne sæculares gravent personas Ecclesiasticas ipsis non subjectas, oneribus laicialibus.

Aliter, si in his partibus, semper esset attendenda materia gravis in ratione furti pro hoc casu incurrēdo, rarò incurreretur, quamvis coactè quis exigeret gabellas pluries ab uno, vel semel à pluribus personis Ecclesiasticis; Cum gabellæ, quæ pro rebus solvuntur sint leves in materia. Nam qui exigit gabellam ab Ecclesiastico pro amphora vini, olei, &c. acciperet tantum semissem; pro singulis sextertiis carnis, assem; pro gabellis animalium parvorum, ut sunt sues &c. quando venduntur, aut emuntur, acciperet unum, aut ad summum duos asses, vulgò *bajocchi*, o *grana*, & sic posset pluries Ecclesiasticos gravare absque eo, quod casum reservatū incurreret, quod esset eludere Legislatoris præceptum.

Quandò verò accipiunt spontè ab Ecclesiasticis gabellas; tunc postquam exegerunt materiam gravem, casum incurrunt. Quia etsi id quod accipitur ab illis, qui omnino sponte dant, quantumvis sit in gravi quantitate nunquam constituat materiam gravem; Quia dans censetur donare, & quilibet sit rei suæ moterator & arbiter, ideoque nec faciat ei injuriā & consequenter nunquam incurreret reservatum. Quia verò facit injuriam statui Ecclesiastico immuni à dictis oneribus, & superiori graviter id prohibenti; statim ac quis exigendo pervenit ad materiam gravem, innodatur casu.

Episodium, seu Digressio.

De Taxa Innocentiana, & Visitatione.

QUIS nescit, quod natura humana debilitata, & vulnerata à peccato atque languida ferè ab initio cum extiterit semper in præcipitia currat, nisi à legū fræno retineatur: *Lubricū genus est si natura mortalis, cito quidem labitur, facilè cadit*, ait Chrisost. Hom. *Epist. ad Theod. Monac.* Hinc est, quod si in aliquibus locis sequens taxa ob hominum malignitatē, & interesse fortè sit in tenebricosum carcerē, aut longum exilium missa, bonum erit illam revocare, ut sic humanis occurratur fraudibus. Immo ipsa taxa cum aliquid mali (nisi fortè fraudulentibus) non fecerit; putarem jam satis condignam pœnitentiam per tot annos egisse in tenebris latendo. Nec illius hostes, si qui adsint, gravari se dicant, cum potius pro spirituali illorum utilitate à tenebris ad lucem erit revocanda, ut nempe videant, quæ liceant, quæque tanquam Simoniaca non solum ab hominum conspectu repellantur, sed etiam quia Deo odibilia, penitus detestentur, quare fit.

Tassa Innocentiana del foro Ecclesiastico nelle materie spirituali, o vero dichiaratione sopra quelle cause, e materie Ecclesiastiche, e spirituali, nelle quali nel foro Ecclesiastico non si può, ne si deve esigere emolumento alcuno, eccetto quello, che si dichiara per il solo Cancelliere, con la riforma degl' abusi contrarii.

72 ESsendosi avuto ricorso alla Santità di N. S. Innocentio XI. per molti Vescovi, e Arcivescovi, e altri Prelati zelanti; acciò per la sicurezza delle loro coscienze, e per togliere ogni occasione di dubio, che potesse nascere dalle diverse consuetudini delle Diocesi, e anche acciò non siano ingannati da loro Vescovi, Cancellieri, e altri ministri, e famigliari, si stabilisce una tassa generale, e uniforme per il foro Episcopale, o verò Ecclesiastico; Ne mancando il ricorso de Cleri, e de' popoli; ha perciò la Santità sua deputato una congregazione particolare de due Signori Car-

Cardinali, Prefetti delle Congregazioni dell'Concilio, e de Vescovi, e di 4. altri Cardinali delle medesime Congregazioni, di due Monsignori loro Secretarj, e delli Monsignori Datario, e Auditore della Santità sua; da quella si è risoluto non potersi nelle cause contenziose, civili, e criminali, e miste venire alla sudetta Tassa Generale senza la precedente notizia delle Tasse particolari di ciascheduna Diocesi, o Provincia; potendo giuridicamente quella esser varia, secondo la diversa consuetudine regolata dalla diversità de Paesi, e Luoghi. Pensi doversi con qualche maggior chiarezza prattica, per togliere tutti i dubii, ed equivoci, dar fuori le dichiarazioni, che in più tempi, e diverse occasioni si son fatte dalle sacre Congregazioni del Concilio, e de' Vescovi nelle materie Ecclesiastiche, o vero meramente spirituali; acciò in tal modo sappia ciascheduno quel che sia illecito, e si toglia ogni scusa, o pretesto d'igõrãza, o di cõsuetudine; dovẽdo in si atte materie l' osservãza essere da per tutto uniforme per la generalità de Canoni, e Concilii, e particolarmente del Tridentino, in modo che deve dirsi reproba, e illecita ogni contraria consuetudine, o tassa diversa in qualunque modo per l' addietro fatta, conforme dalla medesima Congregazione si è stabilita, in modo che le sequenti dichiarazioni debbiano osservarsi da per tutto, senza eccettione alcuna, sotto le pene contenute ne' sacri Canoni, e Concilii, e d'altre ad arbitrio del Sommo Pontefice, che sarà *pro tempore*; e nascendo qualche dubio in contrario, se ne debbia consultare la sudetta sacra Cõgregazione del Cõcilio, e nõ altrimẽti

Nella materia degl' ordini sacri, e minori, e prima tonsura, così per la Collazione, come per la facoltà, che ad altro si dia di conferirli, e anche per il loro esercizio, e per la facoltà d' esercitarli in qualunque luogo, e qualunque tempo, si stabilisce la regola generale da non ricevere altra eccettuazione, che quella si dirà di sotto, e che ne il Vescovo, o altro Prelato, ne il suo Vicario Generale, ò Foraneo, Cancelliero, e altro Officiale quatsivoglia, ne parenti, o famigliari, o servidori possano esiggere, e ricevere emolumento, e cosa alcuna sotto qualsivoglia colore, e pretesto d'atti per la giustificazione de requisiti, o vero di tovaglia forbici, pettine, ed altro, ne sotto titolo di regalo, o di mangia, anche se spontaneamente s' offerisse, e desse: Eccetto che l' ordinante possa ricevere l' oblatione della candela, secondo dispone il Pontificale à libero arbitrio dell' ordinato circa la qualità, e peso. Ed il Cancelliero secondo la disposizione del Sacro Concilio di Trento per le lettere testimoniali della collazione dell' ordine già dato, o vero per le lettere dimissoriali per la collazione da farsi per un altro Vescovo, possa ricevere solamente la decima parte d' uno scudo di moneta Romana, cioè un giulio, o vero l' equivalente nella moneta del Paese, e non più da persone, le quali abbiano l' uso del denaro, non già da quei Religiosi li quali non han l' uso, come sono i Cappuccini, e Minori osservanti; Eccetto che nella Collazione del Suddiaconato per gl' atti, che si devono fare per la giustificatione della verità, e sufficienza del patrimonio, o vero del Beneficio, a titolo del quale si deve promovere, possa esigere quel emolumento, che sia proporzionato alla mera fatiga personale per la scrittura, e carta, senza che il Vescovo, o Vicario, o altro Officiale ne direttamente, ne indirettamente, ne possa partecipare in modo alcuno, purche detto emolumento non possa, ne debbia eccedere un scudo d'oro. Ma se la fatiga richiede minor mercede si debba esigere solamẽte quel meno. Ma rispetto agl' altri Ordini, e alla prima Tonsura, non possa esiggere cosa alcuna sotto pretesto di registratura de' Brevi, e dispense, e d' altre scritture, o di presentata, e di qualunque altra giustificazione, e sollennità, e remozione d'impedimento.

Con dichiarazione, che le sudette lettere testimoniali, o vero dimissoriali contengano più Ordini, tutta via non si possa esigere altra mercede, che la sudetta d' un giulio; Sicche non si possa moltiplicare à ragion di ciascun Ordine. Non sia però tenuto il Cancelliere à far una sola scrittura per più Ordini, quando questi siano stati conferiti in diversi tempi, e diverse Ordinazioni, ma volendo possa farle separate non già rispetto à quegl' Ordini, che si conferiscono in un istesso giorno, come segue ne' Minori, ne quali dovrà farsi una sola scrittura, e nelle lettere dimissoriali, che si diano per l' ordi-

dinazioni da farsi per un altro Vescovo à più ordini, parimente non si possano moltiplicare scritture, ne possa esigere cosa alcuna per rogito della Collazione degli Ordini, o vero per l'accesso al luogo dell' Ordinazione con altro pretesto, anche di mangia, o di regalo.

Nella Materia de' Beneficj Ecclesiastici, quando si tratta di quelli, che come di libera collazione, o vero come devoluti si conferiscono dal Vescovo, o da altro Ordinario Collatore, parimente si stabilisce la regola generale, che ne il Vescovo o altro Collatore, ne il suo Vicario, o qualsivoglia Officiale, ne il Cancelliero, o parenti, famigliari, servidori possano esigere, e ricevere emolumento alcuno, o altra cosa sotto qualsivoglia colore, e pretesto, anche di mangia, o regalo, o voluntario donativo; Cosi se sian Curati o Residenziali, e anche se siano Cappellanie manuali, ma solamente il Cancelliere per le lettere della Collazion compresa, carta, sigillo, corde, e ogn'altra cosa, possa esigere la mercede proportionata alla Scrittura, e materia, purche nõ ecceda la sõma di giulii diece di moneta Romana, o vero l'equivalente nella moneta del paese, senza, che si possa pretendere altra mercede sotto qualsivoglia pretesto, e particolarmente per l'approvazione, e preelezione nel concorso delle Chiese Parocchiali. E per il possesso il Vescovo, o Vicario, o altro Officiale, non possa esigere cosa alcuna, e il Cancelliero, se sarà dentro la Città possa per il rogito, & ogn'altro atto esiggere giulii tre; Se ne Borghi, ò vero suburbii, giulii quattro, e se in altro luogho i medesimi giulii quattro il giorno, e le spese di vitto, e viatico; Però, che se nel luogho del Beneficio, vi sarà il Cancelliero del Vicario Foraneo, o altro Notaro, si dovrà il possesso commetere al Vicario Foraneo, e suo Cancelliero, senza la necessità del Cancelliero Episcopale.

Quanto à beneficii di provisione Apostolica, perche sian riservati, o vero affetti avanti la loro provisione, cosi ne' Beneficii Curati, ne' quali per l'Ordinario si danno le lettere testimoniali alla Dataria dell'approvazione, e della preelezione nel concorso, secondo la forma del Concilio di Trento, come anche negl' altri Beneficii non curati, e particolarmente ne' residentiali, per i quali si sogliono dare l'attestationi alla Dataria sopra la vita, costumi, e idoneità de' Concorrenti, per le dette lettere, non si possa esigere, ò ricevere mercede, ed emolumento alcuno in denaro, o in altre cose sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di volũtario donativo, ma si debbiano dare affatto gratis.

E doppo la provisione per l'esecuzione delle lettere Apostoliche, quãdo sia nella forma graziosa, non possano il Vescovo, ò altro Prelato Ordinario del luogo, o suo Vicario, e Cancelliero, e altro Officiale pretendere di doverne essere per necessità esecutore. Ma sia in arbitrio de provisti l'eligersi l'esecutore, e'l Notaro per il possesso; Ma se il provisto elegesse l' Ordinario, Officiale, e'l suo Cancelliero; o veramente se le lettere fossero nella forma, che si dice *Dignum* indrizzate all'Ordinario, o vero al suo Vicario, il quale perciò ne fosse necessariamente l'Esecutore cosi nell'uno come nell' altro caso, nõ essendovi legitimo Contraditore in modo che l'esecutore sia mero, parimente il Vescovo, o altro Prelato, e il suo Vicario, o altro Officiale, e suoi famigliari, servitori, ed attinenti, non possano, ne debbiano esigere, e ricevere emolumẽto alcuno, in quel istesso modo, che di sopra si è detto ne' Beneficii d'ordinaria Collazione ma il Cancelliero possa per la copia, o registro delle lettere Apostoliche, e altri atti ricevere la mercede proportionata alla faticha per la scrittura; purche non ecceda in tutto un scudo d'oro; Ed essendovi contraditore, siche convenga di far processo giudiziale, la mercede del Cãcelliero per la sua faticha, si possa estendere a due scudi d'oro, e non più, sẽza, che il Vescovo, ò Vicario, o altro Officiale possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, mentre nelle cause Ecclesiastiche, e spirituali, ordinano i sacri Canoni, che non ostante qualsivoglia consuetudine, il giudizio si debbia interponere gratis. E per il possesso s'osservi quel istesso, che si è detto di sopra ne' Benefici conferiti dal Ordinario Collatore.

Nelli Beneficii di padronato, nascendo dubio sopra l'esistenza del padronato con il Procuratore fiscale, o vero col Provisto, che ne pretenda la libertà, si debbia in tutto, e per tutto osservare quel istesso, che di sopra si è detto ne' Beneficii di libera collazione coll' Contraditore. Ma se

non

non controvertendosi l'esistenza, sia la controversia tra conpatroni, o vero Presentati da essi sopra la pertinenza; In tal caso si riputi come causa civile profana, e per consequenza s'osservi la solita tassa di ciascheduna Curia, sino à tanto, che si facci l'altra tassa delle cause profane, civili criminali, e miste.

Generalmente così nelle Cappellanie manuali, come nelle nuove fōdazioni, ed erettioni de' Beneficii, Cappellanie, Cōfraternità, Congregazioni, o vero fondazioni, benedittioni, e consegrazioni, e respettivamente visite, ed approvazioni di Chiese, e d'Oratorii, così con l'autorità Apostolica, come con l'Ordinaria il Vescovo, o altro Prelato, e suo Vicario e qualunque Officiale non possa esigere, e ricevere emolumento alcuno. Ma solamēte il Cancelliere possa esigere quella mercede, che sia proportionata alla sua fatica per la scrittura, purche nō possa escedere in tutto ū scudo d'oro; ma sia meno se minor sia la fatiga

Nelle cause, e materie, che riguardano il matrimonio, e i sponsali, così per l'esecuzione delle dispense Apostoliche matrimoniali, come per giustificazione del stato libero, o che non vi sia Canonico impedimento, e anche per la dispensa alle publicazioni o per la licenza di potersi contrahere in casa, o in altro luogho, o tempo insolito, e prohibito, o che si possa contrahere in presenza d'altri, che del Parocho, e ogn'altro atto, che occorresse fare il Vescovo, o il suo Vicario, e ogn'altro Officiale, o Ministro o familiare, non possa sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di māgia, e di volontario donativo esigere, e ricevere emolumento alcuno, ne in denaro, ne in altre cose. Ma solamente il Cancelliero possa esigere la mercede proportionata alla fatica della scrittura, cioe nell'esecutione delle dispense giulii tre, per li testimonii sopra del stato libero, che non vi sia impedimento, un giulio per testimonio, purche in tutto non s'ecceda un scudo di moneta Romana, cioè dieci giulii, ò vero equivalente nella moneta del Paese. Non comprendendosi le cause contēziose tra i Conjugi sopra la validità del matrimonio, o vero sopra la separazione del toro, stimandosi questa causa giudiziale profana nella quale s'osserverà la tassa di ciascun Tribunale, sinche si proveda.

Generalmente in tutto quello, che riguarda i Monasterj delle Monache, ed i Conservatorj di quelle donne, le quali à guisa di Monasterj, e Monache respettivamente vivono ritirate, il Vescovo, ò altro Prelato, il Vicario così generale, come particolare, e qualunque altro Officiale, ò Deputato, ed il Cancelliere, e anche i parenti, e famigliari del Vescovo, ò Prelato, e de suoi Officiali, non possano esigere, e ricevere emolumento alcuno in denaro e in altre cose; eccetto che quelle comestibili, che siano proporzionate all'uso, e consumo proprio dentro trè giorni, anche con titolo di donativo, per l'ammissione all'abito monastico, per l'approvazione del deposito della dote, per la professione, per l'ammissione dell'Educande, ed altre donne secolari, per le rinuncie, che si fanno delle Novizie, per l'elezzione dell'Abadessa, o altra Superiora, per le licenze de Medici, Chirurgi, ed Operarj, e per le licenze di parlare alle Monache, ed altre, che sono nel Monasterio, per la deputazione de Confessori, Cappellani, Procuratori, Esattori, ed altri Ministri, e generalmente per ogn'altro atto, che riguarda al governo. Ma solamente il Cancelliere per il rogito delle rinunzie e per gl'atti, che convenga fare sopra la giustificazione del Deposito della dote, possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura; purche non ecceda in tutto giulii cinque di moneta Romana, o vero l'equivalente nella moneta del paese.

Parimente per regola generale da non soggiacere à limitazione alcuna il Vescovo, o altro Prelato suo Vicario generale, o particolare, Cancelliero, e qualunque altro Officiale, Ministro, e familiare, anche sotto nome di mangia, o volontario donativo, non possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, così in denaro, come in qualunque altra cosa, in tutto quello, che riguarda l'amministrazione de Sacramenti, del Battesimo, della Cresima, della Penitenza, dell'Eucharistia, e dell'estrema unzione, anche per l'esame, ed approvazione, o licenza d'amministrarli. Anzi s'incarica à Vescovi, Prelati, e loro Vicarii, ed Officiali, che non lo per-

permettino à Curati, e à Confessori, ed altri Ministri, e particolarmente nel prendere il piatto, o altro vase, nel quale sia riposto il vase d' Oglio Santo per l' estrema unzione, o della Cresima nel Battesimo, o vero tovaglie fazzoletti, ed altre cose dichiarandosi tutto ciò illecito, come anche non chiedere, ne esigere cos' alcuna per la benedittione delle donne infantate, quando dopo il parto, secondo il rito Ecclesiastico per la prima volta, che entrano in Chiesa.

In quelle Diocesi nelle quali regna l' antica consuetudine, che il Vescovo o altro Prelato, ed Officiale faccia il testamento per l'anima di quelli, li quali muojono *ab intestato* di quella somma moderata, nella quale secondo i decreti della Sacra Congregazione può esercitar tal facoltà, non posiano esso, e suoi Officiali, e Ministri, parenti, e famigliari partecipare in modo alcuno sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di povertà, ma il tutto si debbia effettivamente applicare ad usi, ed opere pie; ne per l' adempimento di tal disposizione, si posiano in modo alcuno impedire, o ritardare la sepoltura, e l' esequie, o funerale al defonto, dovendosi esercitare giuridicamente l' azioni sopra i beni ereditarj, e si debbia osservare la lettera circolare della Sagra Congregazione de' Vescovi sotto li 19. Agosto 1678.

Come anche in modo alcuno non si posiano impedire, o ritardare la sepoltura, e l' esequie, o funerali à desonti così cittadini, come forastieri per il pagamento di quegli emolumenti, che dal Vescovo, o dal Capitolo, o dal Curato, e qualunque altro per la consuetudine del paese, si pretendano; Ma parimente rimancano illese l' azioni giuridiche ne' beni sopra i quali si doveranno esercitare, senza che in modo alcuno si faccia represaglia al cadavere, o vero che si diano molestie personali à figli, mogli, e parenti, ed ancora non si possa esigere cosa alcuna per la licenza di trasportare i cadaveri o vero sepellirli più in un luogo, che nell' altro.

Si dichiara ancora illecito ogni emolumento diretto, ed indiretto, e per consequenza se ne proibisce al Vescovo o Prelato, suo Vicario, o Cancelliere, e ad ogn'altro ministro, e famigliare ogni esazione sotto qualsisia pretesto anche di mâgia, o donativo nell'infrascr. cose cioè

Per la licenza, o patente di predicar così nella Quaresima, nell' Avvento, come in tutti gl'altri tempi, ed in qualsivoglia luogo.

Per la licenza di lavorare nelle feste, anche per applicarsi ad usi pii, sicche si dia onninamente gratis, e quanto alle contraventioni d' aver lavorato, le pene tutte s' applichino effettivamente ad opere, e luoghi pii, senza partecipazione alcuna, benche minima, eccetto che agl' esecutori, e ministri inferiori, volgarmente sbirri per la cattura, si dia la mercede proporzionata alla diligenza, e fatiga, purchè non ecceda tre giulii in tutto.

Per la revisione de conti de luoghi pii.

Per la recognizione, ed approvazione, e publicazione delle reliquie, dell' indulgenze, ed altari privilegiati.

Per le licenze di questuare.

Per l' attestazione della povertà, o altro requisito, eccetto che il Cancelliere possa esigere in tutto, e per tutto un giulio di moneta Romana, o l' equivalente.

Per la licenza d' essere esente dalla residenza, e generalmente per le dimissorie, che si soglion concedere à quelli, li quali partono di casa per andare in altro paese.

Per le monitoriali, per le rivelazioni di scommuniche, così quando si danno da essa Curia, e Ordinario, come quando si publicano le lettere Apostoliche, eccetto, che il Cancelliere possa per la mercede della scrittura esigere un giulio solamente.

Per la dichiarazione dell' incorso nelle censure, per la percussione de Clerici, e altre somiglianti cause, e per la loro assoluzione, eccetto, che il Cancelliere per la fatiga della scrittura possa esigere giulii due, eccetto che nell' esecuzione de Brevi della Penitenziaria, nel qual caso per quel, che appartiene all' assoluzione, ne anche il Cancelliere possa esigere cos' alcuna.

Per la facoltà d' esercitare gli Pontificali.

Per l' esecuzione de Brevi Apostolici, o vero licenza della Sacra Congrega-

zione nell' alienazione de beni delle Chiese, e luoghi pii, overo impositione de censi, solamente il Cancelliere possa esigere la mercede proportionata alla fatica della scrittura, purche non ecceda in tutto giulii diece di moneta Romana, o suo equivalente, come anche per tutto quello, che appartiene alla difesa dell' Immunità Ecclesiastica, così personale, come reale, e locale, e particolarmente di quest' ultima non si possa in modo alcuno sotto qualsivoglia pretesto ricevere, ed esigere mercede, o vero emolumento, ma il tutto si debbia fare gratis.

Le pene, le multe, e le composizioni s'applichino ad uso de' luoghi pii, senza che il Vescovo, o Vicario, e suoi Officiali direttamente, ne indirettamente, n' abbiano participazione alcuna.

Il sussidio Caritativo in quelle Diocesi, nelle quali sia solito esigersi, e non altrimente; s' esigga solamente per una volta nel primo ingresso del Vescovo secondo la tassa solita antica d' anni quaranta indietro; Sicche non s' intenda il solito più moderno da detto tempo in più, ne si possa esigere sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo.

Quanto alla Visita s' osservino inviolabilmente il decreto del sagro Concilio di Trento, e le dichiarazioni della sacra Congregatione, e particolarmente da quelli i quali concorrono alle spese de cibarii ne mediatamente, ne immediatamente si possano ricevere reali, e donativi, anche di cose comestibili. Ed ancora non si possa esigere emolumento alcuno per gl' atti della Visita, decreti, e presentate di scritture, o vero per la revisione de' decreti delle visite antecedenti, e della loro osservanza, mentre da quelli, i quali sono visitati, si ricevono le spese del vitto, Die 8. Octobris 1678.

Litteras circulares ad quoscunque ordinarios locorum transmissas, ut præmissam taxam, seu declarationes in Cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, easdem adamussim observent, ac faciant observari, sicque vitabuntur frandes, dum quisque potest eam legere. Adnotationem verò, aliaque circa dictam Taxam, vide apud Josephum Crispinum tomo 4. libri, cujus titulus *il buon Vescovo &c.* de Taxa Innocentiana, & ad notitiam.

Nota, quod, ut in materia ordinum dictum est, in tantum concellarius potest exigere julium unum, in quantum insinuavit quidā Episcopus Gallus, attestans in Concilio, esse in aliquibus locis Galliæ dictam consuetudinem, ut refert Cardinalis Pallavicino.

Quod verò non possint accipere aliquid pro licentiis non residendi, declaravit Sacra Congreg. 8. Martij 1602. his verbis: *Congregati. Concilii censuit, nec Episcopo, nec ejus Vicario, vel Cancellario licere quidquam accipere, vel percipere directè, vel indirectè ob licentiam ut quis possit abesse a beneficiis.* & multo minus pro litteris testimonialibus, quę etiam appellantur *commendatitię*, quæ solent concedi Ecclesiasticis illis volentibus discedere a Diœcesibus; & ideo Divus Carolus Borromæus, in suo quinto Concilio Provinciali, posuit hæc verba: *Litteræ, dimissoriæ, testimoniales, facultas abeundi extra fines Diœcesis, vel peregrinandi, nec ob licentiam celebrandi missam. sed.*

73. Quid sit agendum à gravatis, si superiores nolint observare dictam Taxam!

Ut Clericorum, & populorum indemnitati provideatur, si sint gravati in Cancellariis Episcopalibus, vel alibi, aut quia coguntur solvere pro illis rebus pro quibus omninò prohibitum est omne genus emolumenti accipere; vel quia coguntur solvere ultra permissum, sequentia à gravatis sunt peragenda.

In primis debent negare solutionem rerum prohibitarum; atsi negentur acta, quæ petuntur, nisi prius solutio fiat, solvant, sed tali modo, ut res possit legitimè justificari, nempe cum chirographo, vel coram testibus, & talibus justificationibus poterunt gravati recurrere, cum expressione nominum illorum, & solutionum factarum, & actuum propter quos facta est solutio.

Et quando personæ particulares timent recu-

recurrere ne subiaceant indignationi superiorum, fieri poterunt recursus per Cõmunitates sęcularium; Tamen *informa legitima, & authentica* cum prędicta expressione casuum particularium,& aliqua cum justificatione, ut committątur debitæ informationes,cum quibus,quando recursus veri reperiuntur, opportune providebitur,non solum pro restitutione illius, quod indebite fuit exactum; sed etiam de rigorosa castigatione contravenientium.

De Visitatione.

Circa Visitationem,de qua in fine *taxæ Innocentianæ* actum est, non inutile erit videre, quomodo sit per agenda,& quę liceat, quęque in illa prohibeatur, & potissimum circa *procurationem*,pro qua indagandum est quid Doctores sentiant,Concilia, & sacri Canones decernant,& sacra Congr.statuat.

74 Visitatio, ut habet *Pontificale Romanum* & Barb.*de offic.& potest.Episc.alleg.73.n.1.* aliud non est,quàm observantiam obligationum, juxta cujuscumque personæ, ac rei exigentiam, inquirere; quæ si juxta Concilia, & sacros Canones fiat,quàm utilis,& necessaria sit,nemo sanę mentis non videt;Cum vineæ,quæ nõ visitantur, & purgantur à spinis, & tribulis, statim revocantur ad aspera nemora,sylvescant,& vites pro producẽdo dulces uvas,amaras gignent labruscas.

Hanc miseriam in persona cujusdam Ecclesiæ describit Bern.dum ait: *Pauper,& inops,ac nuda,facilè miseranda, inculta, hispida,& exanguis,ò miserãdam sponsam!* Et Ego lacrymans de quadam Sacristia egressus, videns, quod sciphus esset calice pretiosior;equus, missali carior; cappa pulchior casula; camisia delicatior,quàm alba,& quod horribile est,mũdiora femoralia,quàm corporalia. At hodie quis nõ fleret,si visitatio potius scandala,& miserandos effectus sortiretur, & potissimum si fieret ad exigendam pecuniam, expensasque,& potius ad animum divertẽdum, quàm ad tollendos abusus,& corrigendos mores.

Visitatio instituta fuit.1.ut errores,& hæreses extirpentur.

2 ut novos in fide instruant.3.ut confirment, Apostolorum exemplo,*Act.8.4.* pro salute animarum, vel cultu Divino amplificãdo,vel conservatione status Ecclesiæ, vel reformatione, tam in capite, quam in membris,Graff.*de Visitatoribus*, cap.27.

75 Zerola ver.*Visitatio*,§.6.*n.*mihi 210 ex vulgatis juribus, & Conciliis habet, solam procurationẽ posse Episcopũ à visitatis recipere; quæ quidem procuratio nihil aliud est, nisi victus illius diei,quo visitat, quæ sunt exculenta,& poculenta moderata,& declaravit S.Congr.in *Marsican.*ut liquet ex *tom.1. decr.pag.191.in Arch.*Cong.Conc. ut arbitrariũ declaravit esse vel expensas, vel procurationem 1586.

76 Idem Zerola ad tertium dubium habet:*Si Visitator nõ haberet equitaturas ad equitandum,sed vellet,ut subditi illas ministrent, non tenentur suis sumptibus,sed Episcopi.* Et quod visitati non teneantur solvere vecturas,& ferraturas equorum, est communis DD.sententia,& præcipuè Episcopi Rosa, qui novissimè de hac materia scripsit, cujũs hęc sunt Verba: *Vecturas tamen, & ferraturas equorum prestare non tenentur.* Imo,& Cong. Con. *in Aquin.* censuit,non esse solvendas,ex traditis per Doctores *in cap.1. §. si procurationis de cens.* in 6.de quo etiam fuit reprehensus Episcopus Aprutinus, idest *di Teramo*, de quo lamentabatur Clerus scribens ad Cong. quę sic Episcopo rescripsit: *Admodum Episcopum Aprutinum nec quidquam pro equorum vecturis exigat.* Idem asserunt Inn.Archid.Tran. in §.*procuration.lib.6.num.1.*& Gloss.*in cap. si Episcopus* in vers. *providere de offic.ord.* eod.lib. Div.Anton. *par.3. tit.* 20.,&*cap.5.§.5.*Anchar. in dicto C.*num.* 1.&ratio est, quia, quod Episcopus impendit in via pro vecturis, & ferraturis equorum deberet impendere in Civitate pro se,suisque familiaribus, quos conducit in visitando. Et etiam quia cum debeat conducere equos suis sumptibus, erit fræni,ne conducat in numero superfluo, ita ut visitati remanerent gravati, quod est contra mentem Tridentini.

Tamen *Manuale Antistitum*, auctore Francisco *Trevitura* Clesinensi, *de Episcopo nihil accipiente in Visitatione suę Diœcesos ultra id, quod sibi debetur*, à pag. 13. num. 2.hæc de equis ha-

habet, *Posse tuta conscientia illis uti oblatis à visitatis*. Tum quia non veniunt nomine victualium vetitorum nec Concilium necessaria, prohibet. Idem est de laminibus ferreis, ac medicinalibus. Vide *n*.89.

77 Nec possunt Episcopi munera qualiacumque à visitatis etiam comestibilia, ut secum asportent, recipere, ut tenent communiter cit. Zerola, Piasec. *cap*.3. *num*.73. Mar. Ant. Gen. cap. 4. *n*. 7. ubi *num*. 5. advertit, quod Episcopus etiam finita visitatione, dum decedit à locis visitatis, recipere non potest munera, Barb. *in Trid. sess*. 24. *de refor*. C. 2. pag. mihi 386. *nu*. 28. Idem circa munera declaravit Cong. Conc. *in Marsican*. ut patet ex tomo 1. *dicre*. *pag*. 190. Aliter si ipsis placeant pharmaca, placentæ, liba, scribilithæ, crustula, spirulæ, edulia, cupedia, bellaria, petasones, seu pernæ caudali &c. miserè naufragabuntur, & de ipsis verificaretur, *oves in custodiam lupi esse commissas*, & invadent in scopulum illum à spiritu sancto indictum, Eccles. 20. 31. *Xenia, & dona excæcant, oculos Judicum, & quasi mutus in ore avertit correptionem eorum. Et Exod*. 23. *vers*. 8. habetur *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, subvertunt verba justorum*. Idem dicitur Deut. 16. 19.

Id ipsum prohibet jus Canonicum c. 10. *de vita, & honest. Cler*. Pariter jus Civile, l. 28. ff. *de offic. Præsid*. Estque prorsus irrita sententia ob acceptum pretium illicitum, l. 7. C. *quando procur. non est necesse*, & ideo peccant graviter Judices his præceptis contravenientes, Lugo *n*. 131. Dicast. *de restit. dub*. 6. *n*. 75. Haun. *n*. 56. & licet Judex sibi persuadeat, se non ideo corrumpendum, ac firmissimè proponat, non recedere à Justitia; Tamen tenet prohibitio, quia saltē motivo gratitudinis, animum danti reddunt propensum, movent ad referendam gratiam, & voluntas in dantem fit propensa, ut intellectus magis se applicet, ac attendat ad rationes hujus partis; Sicque paulatim totus animus ad hanc partem deflectit, & veluti invitus, aut non advertens, trahitur ad partiale judicium. *Omnes enim diligunt munera sequuntur retributiones*, inquit Isajas 7. vers. 23. quod ita explicat Innoc. III. *de contemptu mundi lib*. 2. *cap*. 3. *Non ipsi precedunt retributiones, quia non judicant amore justitiæ, sed retributiones præcedunt ipsos, quia judicant amore pecuniæ*.

78. Quantum vero solvere debeat quædam Parochialis, seu Basilica, habetur in Concilio Toletano 7. can. 3. & habetur in cap. *inter cætera* 10. q. 3. quod non ultra duos, solidos, Barb. supracit.

79. Nec possunt Episcopi diu protrahere visitationem. Nam finis visitationis debet esse gloria Dei, non mercurius, seu spiritus vagandi, & ideo cit. Zerola habet: *Debent Episcopi quantocitius possunt visitationem expedire, ne gravent suos subditos expensis*. Nam in dicto Conc. Tolet. 7. c. 4. & c. *inter cetera* verbo *cum verò* 7. q. 3. disponitur, ut non possit ultra diem commorare in visitatione cuiuscumque Basilicæ, & cap. *placuit* 10. q. 1. & c. *cum Apostolus*, initio in vers. *quo circa de censibus*.

Et Trid. *sess*. 24. *de refor*. c. 3. habet: *Studeant, quàm celerrime visitationem, ipsam absolvere, interimque caveant ne inutilibus sumptibus cuique graves, onerosive sint, nec pecuniam, nec munus quodumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante &c. exceptis victualibus, quæ sibi, & suis frugaliter, moderatèque pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda. Sit verò in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an verò prædicta victualia subministrare*.

Idem liquet exemplo Apostoli 1. *ad Thess*. *c*. 2. & 2. *c*. 3. & 2. Chor. c. 2. & Act. c. 20. & c. *cavendum*. 10. *q*. 3. & gloss. in c. *cum Apostolus de cens*. in vers. *consument*. *Ne laborent parum mane, & parum vesperi, sed imitari summum omnium pastorem, & Episcopum animarum nostrarum*.

Io: 4. Quando defatigatus ex itinere sedebat supra fontem, & erat hora quasi sexta, & c. 8. *Diluculo venit in templum*. Et Luc. 6. *Pernoctabat in oratione Dei*. Isajæ 37. *Solvas manum tuam ab omni munere*. Et Joan. 13. *Nec est major servus domino suo*. Et pro colophone sufficiat illud D. Bernardi: *Non benè manent membra delicata sub capite spinoso*.

80. Azorius *Instit. moral. par*. 2. *lib*. 3. *de*

4. *decalogi præcepto C.41. & 42. à n.358.* habet: *sit ii ad quos curandos, & corrigendos accedunt moderatas expensas faciant, quas Canones, & iura procurationes apellant*, & postea addit: *debent visitati, propter visitationem, quæ pertinent ad esum, & potum, & stramenta in usum ipsius Episcopi, & familiæ suæ, & jumentorum, quibus utitur ministrare; Hæc enim nomine victus continentur, l.ver.victus, ff.de ver.sign.* inter quæ etiam conputantur ligna ad ignem accendendum, frigus depellendum, coquendos cibos, fulciendosque lectos &c. Item vestes, stragulæ, ligneaque, & linea, & stamnea suppellex ad discumbendum, & vescendum necessaria, & domus ad habitandum commoda.

81. Franciscus *Priviterà* supra *n.76.* citatus, *n.3. in dubio*, sed à quo præstanda erunt victualia Episcopo visitanti?

Respondet, vel a loco quem visitat, vel ab illis, quos ipsa consuetudo proscripserit: Dum enim spiritualia seminat, temporalia metere potest ibique colligere, ubi facta fuit seminatio; ni tamē locus fuerit exemptus ab onere præstandi victualia, ut hab. cit. Trid. Nec valeret liberalitas, gratia, aut remissio dantium, ex cap. *Romana* Bon. *n.15.* Neque valeret dicere Victualium excessum datum fuisse a communitate. Quia sic titulo, & nomine Ecclesiæ datur, & a ministris ejus subripitur, *Gav.* in *manuali Episcoporum, ver. visitatio à n.44.*

Pon. de *censura* suspensionis, & Interdicti *tom. 3. disp.3.q.5.* docet, quod si rei naturam spectemus, visitator erit alendus a loco, quem visitat: *Par enim est (inquit) ut quis temporalia ab eo metat, cui seminat spiritualia.* Quod etiam ostendit Frāciscus Leo *in Tesauro fori Ecclesiastici par.2.c.16.n.48. &c.* Hoc autem intelligitur, nisi aliud postulet consuetudo; quam ob rem si consuetudo invaluit, ut victualia præstētur a communitate; talis consuetudo servanda est.

Probatur etiam ex Barb. ajente, Visitationem esse *onus reale supra beneficium*; quod etiam refert decisum Zerola *in Nerotin.* 13. Settembris 1631. ergo etiam ex ipsius benefici redditibus solvi debet; & quidem pro rata temporis beneficii possessi. Quia alias sequeretur, quod, qui hodie incipit possidere beneficium, si cras visitator veniat, teneretur solvere totam visitationis portionem pro suo beneficio, quod videtur esse, injustum, excipe si aliter sit locorum consuetudo.

At generaliter ad sumptuum contributionem tenentur quoque clerus, & Parochi pro rata tamen temporis, quo visitantur eorum Parochiæ, ut patet ex Cong. Conc. *in Aquen.* 26. Novembris 1930. & quod teneantur pro rata decrevit dicta Cong. 15. Martij 1636., ut in *tom.19. decr. pag.92. & tom.15. pag.334.* & ex *tom. decr.* anno 1654. existente in Arch. dictæ Congr.

Tenentur etiam habentes beneficia, & Cappellanias in titulum pro rata cum Parochis contribuere, ac Confraternitates, & alia loca pia.

De jure etiam Laici tenentur solvere procurationem, ut docet Hugo in *c. cavendum*, ajens, posse Episcopum una die esse cum clericis, alia cum Laicis, sumptibus eorum. Quia spiritualia utrisque seminat 13. *q. 1. §. in Diœcesi.* Tamen ex consuetudine, hodie Laici non solvunt, Graff. *decis. aur. par.2. lib.3. de visitatoribus, cap.27. n.36.*

82. Episcopus non debet conducere visitatores inutlies, ideoque si assumeret secum plures personas, quibus non sufficeret solita procuratio, deberet de suo expendere, cit. Gav. *n.51.*

83. Nec aliquid procurationis accipere debet Episcopus à loco in quo habitat, ut dicetur *n. 92.* neque ab hospitalibus leprosorum, pauperum, vel infirmorum locis, nec ab Ecclesia paupere, vel Clericis pauperibus, Gav. *n.55.* Quod etiam asserit Barb. in cit. Trit. *n.23.* Zerola, Gen. Piasec. aliique apud ipsum.

Ideoque non debet gravare Ecclesias impotentes, sed debet recipere procurationem, pensatis facultatibus eorumdem.

84. Toletus *in sūma lib.1. cap.* XLVIII. *pag.* 118. *n.* 13. habet: *Visitatores, qui ultra permissa accipiunt aliquid, in duplum restituant, & suspenduntur ab Ecclesiæ ingressu.* Nam in c. *exigit*, & cap. *Felicis de cens.* in.6. iniungitur visitantibus ne ultra visitationem, quæ ratione unius diei debetur, etiam si plures visitent Ecclesias, pro sustentatione sua (quam in victualibus, vel in pecunia volentibus recipere possunt) aliquod munus, etiam sponte oblatum, neve à visitatis ullam procurationem accipiant, aliàs duplum ejus, quod receperint, Eccle-

sia

sim, à qua receperunt intra mensem, restituere teneantur; Alioquin Patriarchæ, & Archiepiscopi, Episcopi cuplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes ab ingressu Ecclesiæ sunt interdicti, inferiores verò ab officio, & beneficio suspensi, quousque plena facta fuerit satisfactio, nulla eis in hoc ex condonantium liberalitate, seu gratia facta, remissione valitura. Hanc constitutionem c.exigit.vide in fine n.101.

Quales esse debeant Prælati discant a D.Bern.de consid.lib.4.c.6.ajente: *Qui adventantium non manus attendant, sed necessitates; qui stent viriliter pro afflictis, & judicent in æquitate: qui sint in judicio industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti; qui missi post aurum non cant, sed Christum sequantur: qui quæstum, legationem non existiment, non requirant datum, sed fructum: qui vulgus non spernant, sed doceant, divites non palpent, pauperes non gravent, sed foveant: qui Ecclesias non spolient, sed emendent: marsupia non exhauriant, sed Corda reficiant, & crimina corrigant: qui redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati, gloriantes, quod Ecclesiis reliquerint ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Aliter illis competit, quæ habet Philippus Rovennius Archiepiscopus Philippensis de Rep. Christ. lib. 1. c.20.n.8. *Connivent ad vitia, recipiunt munera, conferunt beneficia non meritis, implent ignaris, & inutilibus personis Ecclesias; ut impleant bursas, areas non personas visitant: res pauperum non [illegible]ant pauperibus, sed amicis, imo turpibus personis sæcularibus. In alienum ordinariam messem, extraordinariam falcem mittunt, scandalizant plurimos, cum impudicis, vel simoniacis, ac sacrilegis dissimulant propter munera, vel quia eodem luto inhærent.*

La Croix in sua *Theologia morali lib. 3.par.2.de restit.n.461.habet*: *Si Episcopus visitans Ecclesias ab eis aliquid accipiat præter sumptus necessarios ad victum, tenetur ad duplum intra mensem. Item si judex delegatus accipiat aliquid à partibus præter victualia, quæ paucis diebus possunt consumi, aut quando aliò proficiscitur, si accipiat aliquid præter moderatas expensas pro via, uti habent jura apud Lugo n.51.*

Bon.tom.1.de suspensione, disp.3.pun.5. §.2.n.20.habet: *Episcopus accipiens aliquid in visitatione in pecunia, vel victualibus ultra id, quod sibi debetur suspenditur ab ingressu Ecclesiæ donec duplum restituat, non obstante quacumque remissione. Et tom. 3.de suspensionibus in particulari, disp.3.quæst.5.pun.4. de censura suspensionis, & inter dicti contra visitatores ordinarios, qui occasione visitationis aliquid ultra victualia accipiunt*, ubi præter alia quæ fusè apud ipsum videri possunt, habet, quod visitator non potest salarium pro vectura equorum accipere. Hæc enim nomine victualium non veniunt.

85. Joannes Aloysius Riccius, vir patritius Neapolitanus, ejusdem urbis Ecclesiæ Canonicus, inde Episcopus *viciæquensis* meritissimus in *praxi rerum quotidianarum fori Ecclesiastici, & in Curia Archiepiscopali discussarum in praxi Visitationis, Resol. 535.n.1.* habet sequentia: *Juxta dispositionem Concilij Trid.sess.24.cap.3.de refor. Nec Episcopi, nec quisquam suorum, possunt aliquid accipere procurationis causa pro visitatione etiam testamentorum ad usus pios præter id, quod relictis piis jure debetur, nec munus, nec pecuniam &c.*

86 Et circa optionem visitatorum, nempe an velint solvere expensas, an pecuniam taxatam, habet: *Unde quamvis uno anno elegerint præstare in pecunia, non tamen poterunt cogi perseverare singulis annis; Cum in hoc permittatur variatio; Ex quo enim exigitur à volentibus dare pecuniam loco victualium*: Ergo non poterunt compelli, quod etiam erit in successoribus, qui non ligantur facto prædecessorum, Gen. & alii in *c. fælicis in 6.* itaut fragmenta, quæ remanent in mensa, tam visitantis, quam familiarium suorum, sint eroganda pauperibus loci, qui visitatur, DD. *in Clem. 2. de cens. Soc.de visit.lib.10.quæst. 1. & prædictus Riccius n.2.ait, ut nequeat recipere esculenta, & poculenta ad domum portanda, sed tantum in mensa ejusdem loci*, Gen.c.15. *procurationes n.7. de cens. in 6.*

87 Praxis Archiepiscopalis, cap. 21. sub

sub n. 13. hæc habet: *In illis autem locis ubi adest cõsuetudo, quod neque victualia, nec pecunia, nec aliud quidquam Visitatoribus solvatur, servanda est, sub pœnis de quibus in c. exigit de cens. in 6. & Trid. cit. Ratio est quia Episcopi dum eorum munus exercent, non exigunt à Diœcesanis impensam*, Abbas in c. *cum sit de Simonia; dummodo non eat ad consecrandam Ecclesiam*, Brut. in c. *procuravisti de consecr. Ecclesiæ*, Mand. in *consil. 8. in fine num. 13. & late* de Episcopis visitantibus, vel Archiepiscopis quando recipiunt alimenta. Abbas in c. *procurationes 23. n. 4. de cens.* DD. *in c. nuper, & c. sopitæ eodem tit.* Gusd. *de alimentis q. 64. tit. 1. & q. 25. & 26. eod. tit.*

88 Nec potest Episcopus se divertere à visitando, ut agat Visitatorum expensis alia. Nam de hoc admonitus fuit Episcopus *Bajan.* à Congr. hoc decreto, 14. Novembris 1654. *Per Episcopum visitationem celeriter esse absolvendam, & ad actus extraneos non esse divertendum.* Et ad Archiepiscopum *Messanensem* ob iniustum acceptum pretium victus, & vecturæ equorum; Congr. Concil. decrevit, *Archiepiscopum rursum per litteras esse admonendum, ut infrascripta adimplere quamprimum festinaret, nempè ut omnia ea, quæ contra formam Trid. & modum litterarum Congregationis a ieum transmissarum in Visitatione suæ Diœcesis indebite ex git, ad unguem bis, à quibus acc ebit, & specialiter Archipresbytero Castri Realis restituat, nempe victuras equorum pro eo, eiusque famulatu receptas pretiumque victualium ultra triduum subministratorum, à quibus, ut se abstineret Congregationis litteris exprèssè admonitus fuit, & de restitutione per documenta authentica, Congregationem Concilii certioret, & in posterum in Visitationibus nihil aliud exigat pro procurationibus, quam sibi liceat per litteras Congregationis, & decreta Concilii quod cap. 3. sess. 24. his verbis iubet:* Quorum est munus Visitationis, ut neminem sumptibus onerantes, pecuniamque, & munera etiam spontè oblata recusantes, solis victualibus frugalibus, & modestis contenti, celeriter visitationem absolvant.

89 Circa quantitatem sumptuum, quando Concilium dicit *frugaliter*, & *moderatè*, Divus Carolus Borromæus declaravit, quomodo intelligantur mensæ frugales, & moderatæ in 1. Concilio Provinciali Mediolanensi, dicens; *In mensa duo fercula tantum afferre liceat.* Et in edicto Visitationis volebat, ut victus pro se suisque commensalibus non excederet *julios duos, & pro aliis inferioribus suæ familiæ, non excederet julium unum cum dimidio* Sumptus verò pro vecturis, & ferraturis equorum conducebat suis sumtibus excepto tamen victu eorundem. Et quamvis Episcopi propter hæc onera habeant redditus Episcopales, procuratio datur in signũ subiectionis, & hospitalitatis, & ut facilius inducantur ad visitationem, non autẽ de necessitate juris naturalis. Circà expensas vide etiam Grat. *discept. forens. c. 57. n. 16.* & copiosè Joannes Maria Nav. *in pract. concl. novi jur. Pontif. conc. 122.* ubi multa uberrimè ad hujus materiæ ornatũ tradit.

90 Ex dictis, & infra dicendis, vide, quàm iniustè se gerant superiores, si non pro gloria Dei, & reformatione, morum, Diœcesim visitent, sed potiùs ob interesse! uti si tam excessivè gravent visitatos paucissimis diebus, quam non gravarent plurimæ personæ per longum tẽpus. Sicuti si postulent equitaturas pro cursoribus, famulis, aliisque inferioribus personis, ac etiam si permittant postulari: parum de hoc curantes, quia non sumptibus propriis, sed Visitatorum conducuntur. Quique graviter peccant, si permittent ut dictæ personæ, aut aliæ de familia enormiter postulẽt à Visitatis munera, donationesq; & quod pejus si cũ petulãtia, precib. importunis, & ut coactivè

91 Si Episcopus non visitet per seipsũ, nil esse solvendũ, ubi talis adest cõsuetudo, declaravit Cõg. in *Jacen.* 6. Junii 1589.

92 Nec aliquid debetur Episcopo cum visitat Civitatem, vel locum ubi residet, cum possit comedere in domo propria, ut dictum est *n. 83.*

93 Quando Episcopus est benè eruditus de statu rerum à suis ministris, ob arctitudinem suæ Diœceseos, tunc poterit, & debebit cessare à Visitatione.

94 Visitans debet in visitatione eligere tempora opportuna, & commoda ipsi, & visitandis. Unde regulariter excluduntur tempora messis, & vindemiarum

95 Pœna suspensionis debet Visitator uti in gravibus casibus tantum; cum sit

sæpe

sæpe reprobata à Sacris Congregationibus. Uti etiam ex decreto Congregationis 14, *Januarii* 1610. Episcopo non licet cogere excommunicatione populum, ut revelet peccata, & abusus. Et multo minus licet, nec etiam generaliter. publicare edictum, ut revelentur defectus Cleri, ut declaravit. Cong. 27. Julii 1592.

96 Unde erronea est opinio existimantium, Episcopo licere, tempore visitationis, agere ea, quæ non potest extra id tempus; & quod non detur appellatio suspensiva, sed tantum devolutiva. Quia ut docet Cardinalis De Luca, id procedit tantum in illis, quæ concernunt correctionem morum.

97 Episcopus potest ministrare Confirmationem, in Ecclesiis Parochialibus Regularium, & ut delegatus Apostolicus potest visitare loca exempta, & visitare regulares, ubi non est numerus præfixus Religiosorum, iuxta bullam Urbani 8. ut sunt Conventus depressi, qui non possunt sustentare numerum duodecim Religiosorum; & tales subjacent jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcoporum; & etiam non depressi, qui non sustentant saltem sex Religiosos. Tamen non potest Episcopus accedens ad Confirmandum accipere procurationem, ut S. Cong. apud Fagnanum, *ex cap. venerabilibus de cens.*

98 Si Vicarius delinquit in actu Visitationis in recipiendo plus debiti, an teneatur Episcopus?

Affirmat Graff. *par.2. decis. aur. lib.3. de visitatoribus*, *cap.* 27. *n.*95. probans ex multis legibus, & Doctoribus, quæ omnia videri possunt apud ipsum. Non enim excusatur pastor si lupus comedat oves ipso nesciente, cap. *penul. de reg. juris.*

99 Vicario transfertur cognitio caussarum, non tamen officium visitandi, seu corrigendi; quare non potest inquirere, vel punire crimina; nisi inquireret, & remitteret ad Episcopum, vel ut delinquentes se corrigant, & emendent, quod malè gesserunt, aut in crimine hæresis, Graff. *n.*27.

100 Circa actus Visitationis, Gen. in *praxi Curiæ Neapolitanæ*, *cap.* 20. cum communi docet, quod Notarius, scriptor, aut sigillator Episcopi nihil possunt recipere pro præsentatione Bullarum, ordinationibus, decretis & aliis actis Visitationis, quando habet Salarium de publico, Gav. Vilagut, D. Antonius, & prohibetur expresse à Trid.

Et Farb. in *collectanea Doctorum in varia loca Trid. Sess.24. de refor. n.*20. habet, *Non posse Episcopum quidquam ab eis, qui visitantur pro decretis, ordinationibus spectantibus, ad visitationem pro rogitu, seu scriptura, laboreve suo percipere*; & hoc refert decisum Armend. *tit.6. n.*116.

Similiter Riccius *n.*85. citatus, habet *n.*4. *Nec Notarius in visitatione aliquid recipit etiam pro præsentatione Bullarum, pro ordinariis decretis, & actis visitationis, quando habet salarium de publico, nam aliàs accipit. Sed videtur verius (postea subjungit) ex Trid. quod neque pro visitatione, aut quovis nomine aliquod solvatur.*

Et quamvis ex Congr. Concilii interprete, interrogata de aliquibus materiis, quæ expediebantur in Visitatione ab Episcopo *Vicensi*, prohibuit Episcopo omnem exactionem; annuit tamen circa aliquod, favore Notarii, sicut in *Viceno* 18. *Maii* 1645. Congregatio Concilii censuit non posse Episcopum nec illius officiales in visitatione quidquam accipere pro decretis, seu judicatura executionis testamentorum, seu legatorum sed gratis omnia fieri debere, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili, prout nec extra visitationem per Episcopum, & illius Officiales quicquam recipi posse pro hujusmodi decretis, & judicatura, sed tamen aliquid moderatè solvi Notario pro scriptura, & illius labore, in quo conscientia Episcopi gravatur, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili, ut ex *lib.17. decr. pagina* 457. patet.

Verum credendum, his & similibus decretis Congr. à Taxa Innocentiana *n.* 3. derogatum esse; atq; ideo, ut melius videatur, an liceat Notario aliquid accipere pro labore in transcribendo, adduco Provincialia decreta D. Caroli in *Concilio Provinciali 4. Notarius autem, Cancellariusve, ne quidquam pro visitatione ab iis, qui visitantur ullo quovis nomine exigat, neque ullum doni etiam pusilli quocumque modo oblati genus accipiat; ac ne item pro decretorum, ordinatio-*

tionumve in visitatione confectarum actione, vel conscriptione, eorumque exemplo etiam singulis vel Ecclesiis, vel Clericis, vel aliis, qui visitantur jussu visitationis edito. At pro opere, laboreve quem alterius, cujus interest illarum exempla, alio deinceps tempore petentis, causa in iis exscribendis, posuerit, mercedem capiat, licet pro taxæ in foro Episcopali præfixæ, aut præfigendæ ratione.

Pœnę verò, quas incurrunt illi, qui aliquod illicitum in visitatione accipiunt, declarat Greg. X. in sequenti Constitutione Concilij Lugdunensis, quæ incipit *exigit* Innovata a Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. Quæ constitutio, quia multa comprehendit capita per extensum affertur.

Constitutio Gregorii X. in Concilio Lugdunensi.

Exigit perversorum audacia, ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam pœnam delinquentibus imponamus. Constitutionem itaque Fel. Recor. Inn. Papa IV. prædecessoris nostri editam super non accipiendis in pecunia procurationibus, ac super receptione munerum visitantibus, eorumque familiaribus interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volumus inviolabiliter servari, eam decernimus pœnæ adjectione juvandam; statuentes, ut universi, & singuli, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam, exigere pecuniam vel aliàs constitutionē ipsam recipiendo munera, sive visitationis officio non impenso, procurationem in victualibus, aut aliquid procurationis occasione, violare præsumpserint, duplum ejus quod receperint, Ecclesiæ, à qua id receptum fuerit intra mensem reddere teneantur: Alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, ingressum sibi Ecclesiæ sentiant interdictū. Inferiores verò ab officio, & beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo ejusmodi gravatis Ecclesiis, plenariam satisfactionem impendant, nulla cis in hoc dantium remissione, liberṫate, seu gratia valitura.

CAPUT VII.

Casus septimus cum censura.

Incisio arborum fructiferarum Ecclesiæ, seu alterius loci pii.

APOPHASIS

1 *Arbores aliæ sunt feraces reddentes fructus naturales, aliæ verò reddunt fructus naturales industriales, & demum aliæ sunt infructiferæ pro aliquo tempore*

2 *Aliæ arbores sunt fructiferæ, si cędantur. Aliæ infructiferæ.*

3 *Ligatur casu non solum, qui integram arborem cędit, sed quoque, qui notabilem ejus partem.*

4 *Innodantur cędentes arbores fructiferas Ecclesiæ, tam si sua natura, quam si ex industria, & incisione, fructus producunt, etsi sint plantæ, quæ non dū fructus attulerūt, si materia sit gravis*

5 *Quoque innodatur, qui cædit arbores reddentes fructus naturales, sed majores, mediante industria. Sicuti succidentes ramos virides fructiferos piorum locorum.*

6 *Neque casum evitat, qui à radicibus arborem evellit, & probabiliter etiam urens.*

7 *Cædens arborem alicuius Monasterii virorum, casum effugit. At secus dicendum de arboribus Monasterii monialium.*

8 *Mandās cædere arborem locorum piorum, probabiliter innodatur casu, & à fortiori mandatarius.*

9 *Quando verba casus scripta sunt in rē tunc comprehendit etiam mandantem secus quando scripta sunt in personam*

10 *Neque incurrit, qui amputat ramum, aut ligna arida, aut parvos ramusculos ut sarcinas faciat.*

11 *Neque incurrit amputens ramum fructiferum, si talis amputatio sit arbori inutilis, nec sit apta pro trabe, seu aliquo alio:*

12 *Ligatur casu, qui arborem à vento, vel calamitate in terram dejectam cædit, si sit apta pro trabibus, vel tabulis. Secus si sit inutilis, & abjecta.*

13 *Neque casu vexatur, qui cædit ramum arboris supra suam domum extensum, vel fundum suum ad quindecim pedes*

super terram, & quotiescumque arbores publicis aquagiis nocent.

14 *Neque ligatur, qui succidit arborem viciri fundi Ecclesiastici, si radices in suo fundo habeat. Neque emphiteuta cædens arbores à se plantatas &c.*

15. *Afficitur casu, qui cædit ramum siccum ex arbore Ecclesiæ, aut viridem ex loco non pio, qui dum cadit, rumpit arborem fructiferam alterius loci pii: si tamen prævidit, & non desistit.*

16 *Casum effugit, qui aufert fructus ex arboribus, ac probabiliter, etiam, qui abstulit arborem, ipso inscio ab alio cæsam*

17 *Qui cædit arbores fructiferas sui beneficii, non ligatur excommunicatione. Trid. & si incurrant casum Beneficiati, si illas cædant.*

1 ANntequam ad casuum decisionem deveniamus, distinguamus oportet, primò, arbores alias esse feraces, seu frugiferas, nempe, quę ex sui natura absque hominum industria fructus naturales reddunt, ut arbores castenearum, ficum, nucum, glandium &c. alias reddere fructus industriales naturales, ut solent esse vites, olivæ, malus arantiæ &c. quæ sine hominum industria non reddunt fructus, aut si reddunt, malos, & parcos producunt.

Alię verò sunt infructiferę pro aliquo tempore, nempe quousque crescant, ut sunt parvę arbores supradictæ, quę plantãtur, ut crescẽtes fructus afferant. Ideo.

2 Insuper alię arbores sunt fructiferæ, si cędantur, ut solent esse arbores, nucum, castanearum &c. nempe, quę non afferunt fructus naturales, vel quę non sunt destinatę ad dictos fructus, sed ut fructificent in ratione ligni, scilicet pro tabulis, trabibus &c. Similis farinæ sunt arbores sylvę, cœduæ, nemoris &c. quę solent deservire pro faciendis doliis, cadis, catillis, cistis, cistellis, & aliis id generis; & arbores dictę certi temporis spatio, V.G. in singulis quadrienniis iterum crescunt, & venduntur denuò.

Demum alię ex natura sua neque fructiferę sunt, neque feraces, ut populus, ulmus, platanus, salix, cypressus, suber, supposito, quod non inserviant pro lignis, aut aliquo alio.

3 Et quamvis in casu tantum incisio arborũ fructiferarum reservetur, ideoque videatur non incurrrre casum, qui cędit ramos arboris; Quia ramus arboris non est arbor, & sumus in pœnalibus.

Nihilominus certum est ligari non solum si tota arbor cędatur sed etiam si notabilis ejus pars; ita ut ascendat ad culpam gravem, ob rationes datas *disp. 1. q. 1. C. 3. n. 10. & 12.* Ideoque

4 Innodantur casu cędentes, arbores fructiferas, Ecclesiæ aut alterius loci pii sive, quæ ex natura sua, sive quę ex industria, & incisione fructus producunt, sive sint plantę quę non dum fructus attulerunt, si materia sit gravis. Imo puniuntur tanquam latrones, & tenentur ad restitutionem.

5. Quoque casu ligatur, qui cędit arbores reddentes fructus naturales; sed majores, mediate industria. Quia revera cędit arbores fructiferas, & damnũ attulit locis piis. Imo qua nvis actu plantæ parvę sint, & non afferant fructum, adhuc casus eos ligat.

Sicuti etiam succidentes, seu lignantes ramos virides, & fructiferos in dictis locis. Quia damnum inferunt locis piis, ad quod impediendum, Legislator hunc casum reservavit; Aliter possent fabri lignarii cædere arboribus ramos omnes, & sic prorsus infructiferos, & inutiles reddere absque timore reservationis, quod esset contra finem legis, reservãtisque mentẽ.

6 Neque casum effugit, qui avellit arborem à radicibus, & probabiliter etiã incendens arborem Ecclesiastici fundi. Quia etsi in casu *incisio*, non autem *incendium* arboris videatur prohibita: Tamen quoque per illud incurritur casus, ob rationes in citata *dis. 1. n. 11. & 12. assig atas*

7 Sed, an incurrat casum, qui cędit arborem alicuius monasterii virorum, seu monialium?

Et dicendum, quod cędens arborem alicuius monasterii virorũ, non incurrit casum. Quia nomine Ecclesiæ, vel loci pii in casu veniunt loca subjecta jurisdictioni Episcopi, qualia non sunt monasteria virorum, quę neque quoad bona subiiciuntur Episcopis, ergo nequeunt incidentes eas reservatione ligari. Circa verò monasteria monialium innodantur, quia sunt subjecta Episcopo reservanti.

8 Probabiliter etiam casui subjicitur, mandans cędere arborem fructiferam dictorum

ctorũ. Quia causa causæ est causa causati & qui per alium facit, per seipsum facere videtur; neque enim licitum est, quod ipse ex malitia, & iniquitate commodum reportet; & talis videtur esse superiorum mens. Aliter si duo socii invicem pergerent ad lignandum in fundo Ecclesiæ, & unus tantum cęderet, alter mulos oneraret, & conduceret in domũ, hic non ligaretur casu, & tamẽ concurrit positivè ad damnum; & ideo id à fortiori debet esse verum de mandatario. Et potissimum, quia præsens casus loquitur *in rem*, cum prohibeat incisionem, ut mox in seq. patebit.

9 Sed pro majori capacitate notandum, quod quando casus loquitur in rem seu verba casus scripta sunt in rem, puta si dicat *homicidium voluntarium*, ut in hac diæcesi, tunc comprehendit etiam mandantem. At quando scripta sunt in personam, ut si diceret *si quis occiderit*, denotando actionem propriam (sicuti quando actus non potest separari ab ipso corpore, ut Incestus stuprum &c.) tunc, qui per alium facit per se non censetur propriè facere, quia in tali casu Legislator censetur velle afficere personam per se propriè, & immediatè agentem. Sufalsum testimonium cum requirat actum personalem, non potest propriè committi per alium.

10 Et contra non incurrit reservatum, qui cædit ramos, aut ligna arida, seu sicca, & infructifera. Sicuti neque, qui scindunt, escædunt parvos ramos, ut faciant Sarcinas ad comburendum. Quia sunt infructifera, ideoque sub reservatione nõ comprehenduntur, cum in his partibus non sint in estimatione ob quantitatem, & ideo passim permittuntur.

11. Neque qui amputat ramum fructiferum, casu afficitur, si talis amputatio potius sit, utilis arbori; puta si arbor ob frequentiam aliorum ramorum, & opacitatẽ paucum afferat fructum, ex quibus si aliqui amputentur, abundantes reddet fructus. Quia cum umbra, seu opacitas, & densitas noceat fructibus, potius utilitatem, quam damnum reportat. Excipe nisi ramus sit aptus pro trabe, aut aliquo alio. Quia tunc, cum sit vendibilis, & pretio estimabilis adeoque fructifer, incurrit.

12. sed petes, an incurrat qui cædit arborem à vento, vel calamitate in terrã dejectam?

Et si videatur nõ incurrere. Quia tunc ligni magis, quàm arboris nomen obtinet *L. ligni, ff. de legat. 3.* Nihilominus probabiliter incurrit, si sit apta pro trabibus, seu tabulis, & materia sit gravis (quod semper intellige) secus si sit inutil's & abiecta. Quia esto sit in terra, revera arborem cędit. At si eam solũ abstulerit, volunt probabiliter effugere reservationẽ, etsi committat furtum, & restitutioni sit obnoxius. Cum incisio, non ablatio arborum reservetur.

13. Neque innodatur cædens arboris ramum extensum supra domum; vel fundum suum ad pedes quindecim usque super terram ex *L. 1. §. deinde ff. de arb. cæden.* Quia hoc, licet, ob periculum imminens supra domũ, vel quia officit fundo; etsi male agat cędens, ni prius dixerit domino. Idem dicendum quotiescumque arbores nocẽt publicis aquæductis; sed quãdo aquagium est privatum, tunc non propria, sed judicis auctoritate fieri debet.

14. Neque ligatur, qui succidit arborem vicini fundi Ecclesiastici, si radices in suo fundo habeat. Quia arbor intelligitur esse ejus, in cujus fũdo radices egit, & unde alimentum sumit ex *L. 7. ff. de acquir. rer. Dom.* Neque incidit in casum emphyteuta cędens arbores ante plantatas. idẽ ie solvitur de succædente arborẽ de novo plantatam, si non dum radices emisit. Quia dici nõ potest arbor, quæ radicẽ non concepit *L. 3. ff. arb. fruct.*

15. Sed petes an cędens ramum siccum & infructiferum ex arbore Ecclesiæ, seu fructiferum alterius loci, qui dum cadit rumpit aliam arborem, seu ramum fructiferum ex alia arbore vicina Ecclesiæ, quæritur, an Incurrat?

Dicasque si prævidit damnum illud, & hoc non obstante, voluit cædere, tunc incurrit. Quia fuit causa damni illud cædendo. Si vero non prævidit, nec probabiliter putavit, casum rami posse vicinæ arbori prę judicare, nõ incidit; Quia illud damnum fuit involuntarium.

16 Casum quoque effugit, qui aufert fructus ex arboribus, aut quos maturos in terram cæciderunt, quamvis teneatur restituere. Quia incisio arborum reservatur, non fructuum ablatio; sicuti probabiliter, & qui abstulit arborem ab alio, ipso inscio, cæsam. Quia esto committat furtum, ipse nec cędit, nec cædere facit.

17 Qui cædit arbores sui beneficii, etsi frugiferas, non ligatur excommunicatio-

ne Trid. sess. 22. c. 11. Quia licet peccet caedendo, non tamen recipiendo. Cum arbores incisae sint fructus beneficii. At ligantur hoc casu omnes beneficiati caedentes arbores fructiferas suorū beneficiorum; Quia sūt tantū Domini fructuū ex arboribus proventium, non autem arborum. Excipe nisi eas caedendo reddant fructus, ut arbores sylvae Caeduae, nemoris &c. juxta dicta n. 2. Excipiunt quoque nonnulli DD. caedentes arbores Oratoriorū privatorum; Quia asserunt non venire nomine locorum piorum, cum non sint ab Episcopo approbata, nec deputata ad celebrandum sacrificium.

CAPUT VIII.

Casus octavus cum censura.

Allocutio tam cum monialibus, quam cum puellis in Monasterio degentibus sine licentia, & cum licentia ad malum, sive inhonestum finem etiam per litteras, & quocumque alio modo.

APOPHASIS.

1 *Motivum Legislatoris in servando casum hunc.*

2 *Quid Monialium, & quid Monasterii nomine veniat?*

3 *Hic casus comprehendit tam masculos, quàm foeminas, dummodo non sint conjuncti in primo, & secundo consanguinitatis gradu, & hi temporibus non vetitis.*

4 *Masculinum in materia poenali, comprehendit foemininum in variis casib.*

5 *Ad incurrendum hunc casum requiritur, culpa gravis, nempe allocutio, juxta communem, excedens quartam horae partem.*

6 *In allocutione cum monialibus, quoad Regulares, non datur parvitas materiae. & in hac Dioecesi incurrunt excommunicationem ipso facto Episcopo reservatam. At hoc non est certum possunt tamen hi quater in anno, mediāte Episcopi licentia, cum illis alloqui exceptis certis temporibus; Dummodo sint conjunctae in uno ex praedictis gradibus. & dictam excommunicationem incurrunt etiam Regulares habentes speciale privilegium.*

7 *Ex continuatione allocutionis cum moniale pluries interrupta, probabiliter non incurruntur plures excommunicationes reservatae.*

8 *Loquentes cum Abbatissa, vel Priorissa, an incurrant casum, controvertitur.*

9 *Impuberes loquentes cum monialibus, ex merolla &c. non comprehenduntur casu hoc, nisi exprimantur. Secus juxta aliquos. Tamen incurrunt ipso facto excommunicationem latam in eos, qui ingrediuntur monasteria monialium; dummodo habeant usum rationis.*

10 *Etsi aliqui excusent loquentes cum monialibus spiritualia ad animae profectum, vel ad tollendos scrupulos, sicuti & foeminas honestas, & consanguineos in primo, & secundo gradu, licet non excludantur in casu, & specialiter non sit illis vetitum; Nihilominus non pauci contrarium sentiūt.*

11 *Excusantur quoque loquentes ex metu gravi cadente in virum constantem, sed non excusantur loquentes obscaena ex gravi metu, quocunque modo loquantur.*

12 *Eximuntur similiter consanguinei, et si sint in gradu inaequali. At non consanguinei conjuncti in primo, vel secūdo gradu affinitatis.*

13 *Neque innodantur casu loquentes cum moniali è monasterio egressa consulendo ut revertatur; Nec si quis eam comitetur in extrema necessitate; Neque alloquentes cum illa, quae ex justa causa exivit à monasterio.*

14 *Non incurrunt pauperes, & alii accedentes ad monasteria pro eleemosyna Neque servientes in dictis monasteriis*

15 *Moniales exemptae ab Episcopi juris dictione, subjacent reservationi Episcopi in Dioecesi cujus existunt.*

16 *An subditus colloquens in monasteria exēpto intra Dioecesim incurrat casū*

17 *Laicus Episcopo non subditus, alloquens cum monialibus, ligatur casu, at non excommunicatione, si probabiliter ignoret illam. Ubi etiam de modis quibus potest quis esse alteri subditus.*

18 *Quando in casu prohibetur allocutio tantum cum monialibus, probabiliter non comprehenduntur Novitiae.*

19 *Incurrunt casum, omnes, qui ad malum sive inhonestum finem alloquuntur*

cum

cum monialibus utendo verbis, actibus Indecentibus, & inhonestis. sicuti scribentes, aut facientes scribere, dictantes litteras illicitas, & scienter deferentes ad ipsas moniales, ac etiam mittentes, & legentes.

20 *Non loquentes in communi, & solito colloquutorio, incurrunt excommunicationem Episcopo reservatam.*

21 *An colloquentes duo, vel tria obscœna verba, excusentur ob parvitatem materiæ à reservato, dato, quod peccarint mortaliter? tenendũ est incurrere*

22 *Peregrini comprehenduntur hoc casu, quando eędem sunt leges in loco domicilii, ac in loco transitus, sicuti quãdo ex non observantia talium legum oriretur scandalum, & in solemnitatibus contractuum &c. & quando alloquuntur cum monialibus turpia. Excipitur tamen contractus dotis.*

23 *Loquens cum moniali, obscœna, illa non respondente, an incurrat casum. dubium, & controversum est. quamvis distiguant aliqui.*

24 *Monialis turpia audiens, & non respondens, ex Tamb. certè non incurrit casum. Nec si turpia respondeat sæculari. Immo etsi ipsa incipiat loqui obscœna, illo non respondente.*

25 *Monialis loquens turpia cum alia claustrali ex dicto Tamb. certe incidit in casum. Tamen contrarium videtur esse tenendum quod videtur certum in hac Diœcesi, Nec incurrit casum monialis loquens cum alia sanctimoniali existente in monasterio affine.*

26 *In hac Diœcesi ligantur casu quoque loquentes de aliis criminibus præter obscœna. Secus tenendum ubi tantum turpis allocutio reservatur.*

27 *Incidunt tamen omnes loquentes obscœna per literas, interpositam personam, nutus, signa &c. At quando in casu non exprimuntur per litteras &c. probabiliter non incurrunt sic loquẽtes, quamvis etiam contrariũ sit probabile & præcipue si fiat cum fraude.*

28 *Scribens ad monialem turpia, incurrit, Etsi litteræ nõ perveniant, ad illã; tamen interposita persona illi legat. Secus si nõ perveniãt, neque aliquis illi legat.*

29 *Incidit famulus deferens legationem Domini non habentis licentiam ;dũmodo sciat præceptum Domini esse injustum. Secus si fiat ex gravi metu.*

30 *Incurrunt etiam ipso facto excommunicationem Episcopo reservatam Sacristæ, Cappellani, & Confessarii monialium (excepto casu necessitatis) & quicumque alius, qui noctis tempore in claustris monasterii, aut in monialium Ecclesiis permanent.*

31 *Ligantur etiam ipso facto excommunicationẽ moniales, & quicunque alii audientes colloqui in Confessionis, aut Communionis fenestrella; Ac etiam introducentes pueros, seu puellas cuiusvis ætatis in monasteria, sive per januas, sive per rotas; Nec non etiam ingredientes illa etsi cum licentia ante solis ortum, & non exeũtes ante occasum illius, Exceptis medico, Chirurgo, & Tonsore in necessitatis casu.*

32 *Quid sit accedere ad monasterium?*

33 *Colloquens sine accessu, vel accedens, sed non loquens, aut colloquens scripto probabiliter non incidit in reservatũ sicuti neq; colloquens per interpositam personam, aut consentientes, vel cooperantes ad alterius accessum.*

34 *Colloquentes signis, aut motu sine verbis, aliqui excusant à reservatione.*

35 *Famuli, & alii missi, dicuntur accedere, & nisi justa excuset causa, pœnis accedentium afficiuntur.*

36 *Accedentes ad colloquendum in monasteria exempta, probabiliter incidunt in eãdem excommunicationem. Contrarium tamen est valde probabile, & potissimum si accedant, sed non loquuntur*

37 *Quæ excusent à pœnis frequenter accedentium?*

38 *Non subditi accedentes sine licentia ad monialium monasteria, si probabiliter nõ ignorẽt statutum Episcopi monialium, etiam si dubitaverint de ipsa excommunicatione reservata, incurrunt casum.*

39 *Episcopus loquens cum monialibus in monasterio Diœcesis alterius Episcopi, non incidit in excommunicationem illi reservatam. Quod est verum etiam si loquatur cum monialibus Diœcesis sui metropolitani & quid de Vicario sit dicendum?*

40 *Licentia, sive ad loquendum cum monialibus, sive ad ingrediendum ad monasteria ipsarum facta sine præfixione*

tem-

temporis intelligitur pro una vice;& ad ingrediendum, debet esse in scriptis.

41 *Qui obtinent licentiam loquendi cum aliqua moniali, eo fine ut cum alia loquatur, incurrit casum si dolose cum hac loquatur. Secus si loquatur cum alia accidentaliter, & urbanitatis causa.*

42 *Vicarius, vel alius deputatus ad dandam licentiam colloquendi cum monialibus, vel ingrediendi monasteria illarum, potest præsente Episcopo illam dare, ubi vide de Potestate Reverentiali, Sigillali, & Jurisdictionali.*

43 *In quibus casibus non possit Vicarius, præsente Episcopo dare licentiam?*

44 *Pueri non dum usum rationis habentes, & furiosi ingredientes in monasterii septa non incurrunt casum cū censura reservatum.*

1 QUàm merito noster Legifer casum hunc sibi ipsi reservaverit: quis non videt: viderat enim quam injuste, & iniquè aliqui perditi homines sacras Virgines, cœlesti Sponso dicatas, sua conversatione rapuerint, quāvis altis septæ parietibus, & in loco religioso, & ab hominum commercio divisæ, & quasi à mundo sequestratæ, ut melius Deo serviant, positæ; Cum multa sint Religionis bona: & maxima inter hæc Div. Berd. *Hom. simile est regnum Cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas*, in compendium sequentibus verbis redigit: *Nonne hæc est Religio sancta, pura, & immaculata, in qua homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, præmiatur copiosius.* Unde non mirum si cœlestis Sponsus contra prædictos facinorosos sacrarum Virginum quasi raptores, non semel graviter irascatur: Nonne indignatur superveniens maritus, si spōsam suam cum alio videat iacentem, fremit, & fortasse per zeli dolorem, gladium sumit? Sic Christus Dominus cum Virginem sibi dicatam, cum altero cernit, quā acriter indignetur, & irascatur, ut propterea gladium punitionis accipere quasi cogatur, nemo sanæ mentis nō considerat.

2 Monialium nomine veniunt non solum Sanctimoniales ipsæ, sed etiam juxta nonnullos, quoque Abbatissa, vel Priorissa, quia sumus in materia pœnali, quæ in favorem animarum est; Imo, & Novitiæ. Nomine verò Monasterii, in Monachis intelligitur omnis Religiosorum in commune habitantium domus, sive collegium, claustrum, officinæ interiores &c. Nihilominus, in Monialibus, per declarationem Gregorii XIII. intelligitur usque ad portam interiorem.

3 Hic casus comprehendit omnes utriusque sexus, nempe tam masculos, quàm fœminas; dummodo non sint conjuncti in primo, & secundo gradu consanguinitatis, seu ut loquitur nostra *Synodus Theanensis, cap. 24. §. 5. de Monialibus: Exceptis earundem Monialium patribus, fratribus, & filiis*, (scilicet fratrum) *& hi temporib. non prohibitis.* Quod est verum etiamsi in casu appositum sit nomen masculinum cum non sit novum in Jure, sub nomine masculino intelligi & fœmininum. Quia homo est terminus communis æquè, & principaliter utrumq; significans; nisi ex subjecta materia astringatur locutio tātum ad masculos, lege *gloss. in cap. eos, qui Clem. de sepult.* Quia alias sequeretur, sæcularem mulierem colloquentem turpiter cum moniali, casu non comprehendi, quod nemo dicit.

4 Ideo pro claritate nota, quod *masculinum* in materia pœnali cōprehendit etiā *fœmininum*. 1. in materia excommunicationis 2. in materia indifferenti, quæ masculo, feminæque convenit, & in casu etiam odiosa rationabili, ut quia agitur de delictis puniendis, 3. in statutis factis, tum propter authoritatem ipsorum, tum quia semper præsumitur, quod nihil iniquum statuant, cum id faciant cum maturitate: dummodo aliter non constet de mente legislatoris, ut quando voluit, expressit.

Reservatur igitur in hac Diœcesi cum censura soli Episcopo reservata, allocutio cum monialibus, & cæteris in Monasterio degentibus, ut in *Appendice Synodi Theanensis, pag. 246. §. 2. in edicto de accessu ad monasteria monialium, & in Catalogo excommunicationum ipso facto incurrendarum pag. 481. n. 17. & cit. Synodus de monialibus pag. 210.*

5. Ad incurrendam hanc censuram, & reservationem requiritur culpa gravis; quia cum sit pœna gravissima, necessario culpam gravem supponere debet, cum pœna delicto commensurari debeat, quia est illius punitio. Et

Et quamvis loqui licita, vel indifferētia, ex objecto non videatur gravis culpa, potuit tamen superior sub gravi prohibere, quando nempe materia levis pro ca nite finem habet gravem, ut in hoc casu, cujus finis fuit, ne Sacræ Virgines à Divino distrahantur servitio, & ne ab orationis studio avertantur. Quemadmodum Deus in voluptatis Paradiso, sub gravi, pomi esum Adæ interdixit, qui ex objecto levis certè fuisset: At quia finis vetantis præcepti fuit, ut Adā se Deo subditum cognosceret, & illum pro suo supremo, absolutòque Domino recognosceret, transgressio illa (finis circumstantia) gravis quidem evasit.

Quanta autem debeat esse allocutio, ut ascendat ad culpam gravem?

Communiter Doctores docent, debere excedere quartam horæ partem, seu quadrantem, alias non esset materia gravis, *Quartus &c.*

6. Tamen quoad Regulares non datur par vitas materiæ; & ideo licet per brevissimum tempus cum monialibus alloquantur, incurrunt pœnam excommunicationis, privationē vocis activæ, & passivæ, aliasque pœnas, ut patet in decreto Congr. Cōc. relato in cit. *Appendice pag.* 269. & apud Felicem Potestatē loco mox citando n. 1430. Et in hac Diœcesi Regulares incurrunt excommunicationem ipso facto Episcopo reservatam, Syn. Thea. *cap.* 24. §. 7. Sed huic, ego non adhæreo, nisi adsit aliquod speciale decretum id Episcopis concedens. Ex eo quod Regulares ex jure communi sint ab Episcopi jurisdictione exempti. Accedente autem Episcopi licentia, possunt dicti Regulares quater in anno alloqui cum monialibus, conjūctis tamen in primo, vel secundo consanguinitatis gradu, exceptis temporibus *Quadragesimæ, vigiliarū, adventus, veneris, & Sabathi, ac festorum de præcepto*, Syn. §. 8.

An autem Regulares habentes speciale privilegium, quo caveatur, ne possint excommunicari, suspendi, vel interdici, ut sunt mendicantes, & societas Jesu, ut constat ex eorū privilegiis, in hanc incidant excommunicationem. Docent innodari, ut ex pluribus decretis authenticis liquet. Ideoque si alloquantur cum monialibus & peccant graviter, & incurrunt reservatam excommunicationem; nō solum si alloquantur cum Monialibus Episcopo subjectis, sed etiam si cum exemptis ab ipso. Vide pro dictis decretum Sisti V. *de anno* 1590. apud Felicem Potestatem *tom.* 1. *par.* 2. *de* 1. *Decal. præcepto cap.* 5. *à n.* 1465.

7. Sed quæres an continuatio colloquii cum moniale faciat plures incurrere cēsuras reservatas, si pluries locutio interrumpatur V. G. Quia monialis fuit vocata ab Abbatissa, vel aliis? Videtur quod incurrat, ex eo quia incurrit tot peccata, quot sunt actus, & consequenter tot excommunicationes.

Sed contrarium videtur probabilius; alias sequeretur, quod quis posset incidere in infinitas excōmunicationes. Ratio est, quia sicuti secunda comestio frangit jejunium, & non tertia, et quarta; ità à pari in nostro casu eadem locutio cum moniali pluries interrupta.

8. Non conprehendi in casu loquentes cum Abbatissa, seu Priorissa, docent nō pauci. Quia, in pœnalibus, illa non venit nomine *monialium*, nisi exprimatur, ex Pasqual. *par.* 1. *n.* 1122. Verricelli, Dian. & aliis. At contrarium docent alii ob rationem n. 2. datam.

9 Merolla cum aliis docet, nec impuberes cōprehendi, nisi exprimantur. Quia impuberes, in Jure, non ligantur pœna ordinaria, nisi exprimantur, ut *in cap.* 1. *de delictis puerorum*; & in constit. Regni *minorum jura.* Sed reservatio est pœna Ordinaria, ideoque non ligat impuberes non expressos. Vide etiam dicta *disp.* 1. *q.* 4. *c.* 1. *n.* 2.

Sed nec porrò desunt alii cum Suarez, & Dicast. n. 237. qui contrarium sentiant. Quia ætas est capax censuræ, & nullo jure probatur exempta, ut patet ex textibus adductis a Tamb. *de Comm. cap.* 4. §. 2.

Et quamvis probabile sit, impuberes nō incurrere censuras à jure, vel ab homine latas; Nihilominus dicti impuberes incurrunt ipso facto excommunicationē latam in eos, qui monialium monasteria ingrediuntur. Quia Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regularibus* expressè addit hæc verba *Cujuscumque ætatis sint.* At, hoc non obstante, pueri usum rationis non dum habentes, nullimodè incurrere possunt. Nec Conciliū videtur comprehendere rationis usus expertes; in quibus neque meritum, neque culpa esse potest.

10 Probabiliter etiam excusant colloquen-

tes spiritualia ad profectum animæ vel ad scrupulos evertendos. Quia superioribus competit in spiritualibus illis prospicere. Pariter exonerāt ab hoc casu fœminas honestas, & consanguineos in primo, & secūdo gradu, licet non excludantur in casu; dummodo specialiter illis nō sit prohibitum. Quia Claustralis ex dictorum Visitatione, non scandalum, & detrimentum patiuntur, Sed gaudium, & solamen.

Attamen, dictis non obstantibus, nonnulli prædictam sententiam prorsus reiciunt. Quia hoc dato posset quis in diem, nunc ex una, nunc ex altera causa Monialem alloqui, longūque tempus sine scrupulo cum illa consumere, & ita talē prohibitionem prorsus è medio tollere, legēque superioris inutilem, & supervacaneā reddere.

Nam quilibet fingeret necessitatem aliquam, vel utilitatem, ut ipsas alloquatur quod admittendum non est, & potissimum ab rationes n. 5. datas.

11 Sic etiam excusantur colloquentes ex metu gravi cadente in virū constātē. Quia, ut pluries dictū est, leges positivę nō cū tanto obligant onere, ait Diana *par. 4. tract. 14. resol. 48.* Rod. *tom. 1 Direct. ii, tract. 5. disp. 14. n. 158.*

Oppositum veri est tenendum de colloquiis ibus de inhonestis, non solū verbis, sed signis, literis, internuncio, & quocūque alio modo: quamvis gravissimo metu compulsi. Quia loqui de obscęnis, est malum intrinsecum, & quod intrinsecè est malum, ne mortis quidem urgente metu, potest licitè poni: Ergo &c. Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 32.* Manual, Furrect. Rosell. Sylv. Asté. Riccar. Graff. & Viva *in propos. 41. ab Inn. X. proscripta n. 3. & 4.*

12 Eximuntur similiter consanguinei, etsi sint in gradu inequali, V. G. in secūdo, & tertio. Quia hoc est veluti privilegium quoddā consanguineis primi, & secundi gradus concessum, adeoque attēditur proximior, non autem remotior gradus. E converso irretiti censentur consāguinei in primo, vel secūdo gradu *affinitatis* conjūcti, si cum monialibus alloquātur, ut clarè patet ex verbis nostrę Synodi n. 3. recensitis, quę tantum cōsanguineos primi, & secundi gradus *consanguinitatis* eximit.

13 Nec innodantur casu loquentes, cū Moniali egressa noctu, consulēdo ei ut ad suum Monasterium revertatur: nec si in extrema necessitate quis committur eam, ne famę, honoris, aut vitę jacturam patiatur, Nav. *de R gul. lib. 3. consil. 4. n. 31.* Sicuti nec, qui alloquitur cū sanctimoniali, quę ex aliqua justa, gravi, & manifesta causa, & in scriptis approbata exivit è monasterio, puta in magno incēdio, vel ob infirmitatē leprę, epidemię, pestis inūdationē, ruinam Monasterii, (si non sit in eo locus tutus, & apertus, in quo possit mortem effugere), terremotū, bellum &c. & ut evenit anno 1734. in advētu nostri Regis Caroli, ubi multæ Moniales Capuanæ, cum licentia Superioris, Theanum, & Neapolim petierunt, ut morarentur in Monasteriis ibi existentibus, ut periculū vitæ effugerēt in obsidione Capuana quę post quā capta, & expugnata fuit, recesere

Sicque etiam annis præteritis, in illo gravi terremotu, in quo multa loca Apuliæ, & consequenter multa Monasteria ruerunt, multæ Sāctimoniales asportatæ fuerunt in Monasteria Neapolitana, ubi degerunt usque ad illorum restaurationē Quia eum casus loquatur de Monialibus in Monasterio existentibus; non est improbabile nō incurrere casum, qui loquitur cum illis existentibus extra illud. Agitur enim de odiosis, in quibus semper Reo est favendum. Vide pro dicto terræmotu Perrotta lib. 2. suæ Historiographię c. 8.

14. Non incurrunt casum reservatum pauperes, & alii publici quæstores accedētes sine dolo pro eleemosyna ad Monialium Monasteria. Quia pro illis intelligitur licētia tacitè concessa, talisque est consuetudo, usus, praxisque, Donat. *tomo 3. tract. 6q. 25.* apud Felicē Potestatem *tomo 1. par. 3. de 1. Decalog. præcep. cap. 5. n. 1478.* Nec tales loquūtur, per tempus notabile, sed petita eleemosyna silent, illaque accepta ad alia loca se conferunt.

Idem resolvendum de servientibus in dictis monasteriis, aliter nimis durū dānosū, intolerabile ipsis Monialibus esset, si nemo absque licentia posset, cum illis loqui. Sic enim non invenirent, nec qui necessaria ad vitā sustentandam deferret

15 An Moniales exemptę ab Episcopi Jurisdictione, reservationi Episcopi in Diœcesi cuius existunt, subiaceant?

Dico quod hodie subjacent ob decretum

tum Greg. XV. statuentis quoque exemptas Moniales, non posse alios Confessarios, nisi ab Episcopo approbatos habere. Sed quia modo Episcopi semper approbāt omnes Confessarios, sub restrictione ne absolvant à reservatis, præsumendum est eodē modo dictos Monialium, Confessores approbare, Tamb. & Vide pariter dicta, *disp.1.q.4.d n.7.*

16 An subditus colloquens in monasterio exempto intra Diœcesim, contrahat casum, censuramque reservatam?

Posse Episcopum excommunicare subditum alloquentem cum monialibus, & incurrere casum, docent non pauci DD. Tum quia possunt Ordinarii id facere A postolica authoritate, ex Trid. *Sess.25.* ca p.5. ubi præcipitur Prælatis, ut provideant Monasteriis de Clausura Monialium. Tum quia Episcopus, ex quo ponit pœnam euntibus ad alloquendum cū Monialibus in monasterio excepto, illud ire, est delinquere, quia vadit ad illud per suam Diœcesim, & sic est delictum factū in loco non exempto, licet in loco exempto sit consummatum.

Alii autem cum Pasq. *cent.2.n.3.* Bon. *tom.2.de leg.disp.1.q.1.pun.6.* Laym. *lib.5 tract.4.c. 11. n.5.* Henr. & aliis negant. Quia leges Ordinarii, non obligant extra Diœcesim, nec in loco exempto intra illam, qui æquiparatur locis Diœcesim; Sed statutū Episcopi non ligat delinquētes extra Diœcesim: ergo nec in loco exempto intra illam.

Et hæc sententia videtur vera, etiam quando excommunicatio lata per statutum esset generaliter lata contra accedētes ad loquendū cum Monialibus absque licentia; Imo etiam quando exprimeret specialiter Monasteria exempta, ut mox dicemus.

Igitur, qui vult tenere cum Pasqual. &c ad rationes primæ sententiæ dicat, quod Trid. concedit Prælatis facultatē providendi Monasteriis Monialiū quoad clausuram, non quoad colloquutionem circa quam sunt exempta à sua jurisdictione. Nam alloqui non est contra clausuram, ut ex quidditate illius liquet.

Ad secundam rationem responde, quod reservatio non incurritur per transitum à loco non exempto ab Episcopi jurisdictione, nec per solum accessum ad Monialium Monasteria; Sed per locutionem cū illis, ut in terminis casus; Sed delictū consumatum in loco exempto, dicitur extra fines jurisdictionis Ordinarii consumatū ca. 1. §. *numquid 3. d. privil. in 6.* in quibus Ordinarius non potest suam jurisdictionem exercere, Clem. 1. *d. foro comp. Clem. Pastoralis, §. numquid etiam de judic.* Vide etiam dicta, *disp.1.q.4.c.6.*

17 Sed quæres, an laicus non subditus Episcopo, vel ab illo exemptus comprehendatur in casu, si loquatur cum Monialibus suæ Diœcesos?

Ante responsionē nota, quod quatuor modis potest cōtingere, aliquē esse alteri subditum 1. ordinarie, & sic omnes Ecclesiastici Papæ subijciuntur, & in secularibus totum Regnum, Regi. 2. ratione domicilii. 3. ratione contractus. 4. ratione delicti. His notatis.

Ad quæsitum respondetur affirmativè: Quia incidit ratione delicti, ob quod fit subditus, non tamen incidit in excommunicationem, si probabiliter ignoret.

18 Sed quæres, an quādo in casu prohibetur allocutio tantum cum Monialibus, tunc comprehendantur Novitiæ?

Affirmant multi Doctores, quod incidant, ex eo quod Monialium appellatione veniant etiā Novitiæ. 1. quia sub protectione Ecclesiæ novitius est sicuti professus. Hinc percutiens novitium est excōmunicatus, sicuti si percutiat professū. 2. quia gaudet privilegio fori. 3. quia qui sētit comodū, debet & incomodū sētire; Sed Novitia potitur, & gaudet multis privilegiis Religionis, ergo sustinere debet, & onus, nempe ut absque licentia non loquatur secum quispiam.

Alii verò à sequentibus moti rationibus negantem partem amplexati sunt. 1. quia ante professionem, Novitiæ non dicuntur propriæ *Moniales*, sed largè. 2. quia sunt immunes ab onere persolvendi officium, cum ad illud professæ tantum obligentur. 3. in anno professionis habent nolle, & velle, quod non habet professa. 4. quia possunt liberæ ad sæculum permanere. 5. non alligantur statutis Religionis, ità nec casibus reservatis, & censuris; Cū in Religionis ordinem non dum admissæ sint, ergo

Ideo resolvit Graff. quod Novitius circa ea, quæ spectant ad favorem, & gratiā venit nomine professi; Non tamen circa ea, quæ pertinent ad onus. Unde cum non

pofe loqui cum Novitia ad onus, & pœnā fpectet,ideo loquentes cum Novitia non incurrere cafum. nifi exprimantur, dicamus oportet. Vtraque fententia eft probabilis, ideo mi Lector, quæ magis tibi arridet,amplecte. Idem dic de puellis *educandis*,& potiffimum, quia iftæ profeffionem non emittunt.

An allocutio debeat effe reciproca, an verò fufficiat ex parte unius? Vtrumque eft probabile,juxta dicenda n.23.

19 Et quia fupradictus cafus incurritur etiam cum licentia, fi ad malum finē alloquantur, feu quocunque alio modo. Ideo incurrunt hunc cafum omnes, qui ad malum & inhoneftum finem cum fanctimonialibus alloquuntur,nempe utendo colloquiis,verbis,& actibus inconvenientibus,& illicitis, aut nutibus,vel fignis indecentibus; etiā fcribentes,& facientes fcribere,aut litteras indecentes, & illicitas dictantes, ac etiā fcienter ad ipfas Moniales deferentes,ficuti mittententes,& legentes literas,ut liquet ex edicto *Appendicis* §.7.*pag*.254.& 255.

20 Non obftante dicta licentia etiam ipfo facto incurrunt excommunicationē Epifcopo refervatam non loquentes in communi,& folito colloquutorio, dicta *Appendix* §.4.*pag*.251.& *Synod.cap.24.de monialibus*.§.*pag*.210.

21 An vero colloquentes duo,vel tria obfcœna verba cum Moniali,excufentur ob parvitatem materiæ à refervato,dato, quod peccarint mortaliter, quia fi peccatū fit leve nulli dubiū eft,non incurrere.

Controvertitur inter DD. Verricelli tract.8.cum Thoma Delbene,& Merolla dicunt incurrere:ex eo quia tunc ratione qualitatis verborum haberetur materia gravis. At contrarium docet Bord.dicens ad incurrendum cafum refervatum cum excommunicatione,ne quidem quatuor obfcœna verba fufficiant. Quia materia,quæ non eft gravis, faltem non eft apta ad incurrendam tam gravem pœnā. Sed primæ fententiæ, omninò eft adhærendum.

22 An autem peregrini fub cafu comprehendantur? Pro refolutione fciendum eft,quod DD.tenent ut certū, quod quādo eadem funt leges in loco domicilii,ac in loco tranfitus, tunc tenentur peregrini eas fervare communi ufu, jure Gentium introducto: Sicuti quando ex non obfervantia talium legum oriretur fcandalum ut in folemnitatibus, & conditionibus contractuū, quæ fervandæ funt ab omnibus juxta ftatutum illius loci, ubi contractus initur. (excipe contractum dotis, qui eft ineūdus juxta leges domicilii viri *L.exigere ff.de judiciis*).& demū fi legis trāfgreffio cederet in peculiare illius oppidi damnū. Quare peregrini alloquentes cum monialibus turpia, etiam incurrunt cafum hunc. Quia cum fit actio cōtra jus naturale, ratione admiffi delicti, ibi fori competentiam fortiuntur, Tex. *Authe. Qua in Provincia C.ubi de criminibus, L.fi cui 7.§.Idem Imperator.*

23 Dubitatur, an incurrat cafum, qui loquitur verba obfcœna cum Moniali, illa non refpondente? feu,an loquutio debeat effe reciproca?

Motivum difficultatis eft, quia in cafu prohibetur allocutio,quæ nihil aliud eft, quàm cum aliquo verba facere. Triplicē circa hunc dubium inveni Doctorum fententiam. Prima cum Delbene, Graff.*in* 5. *cafib.lib*.2.c.5.n.1.& Jān.*de caf.refer.refol* 39.negat.Quia folus nō dicitur colloqui.

Secūda cum Merolla *tom.1.dif.1.n.*607. affirmat.Quia in rigore cenfetur quis loqui cū alio, etfi nullus refpondeat,fi tamen ad locutionem attendat;adeoque incurrit refervatum cum cenfura.

Et demum alii docent,quod quando cafus refervatur fub termino *collocutionis*, tunc non incurritur cafus; Quia colloquutio eft fimul loqui,ideoque fit ex parte utriufque. At quando refervatur fub termino *allocutionis*, volunt incurri. Quia allocutio poteft effe ex parte unius.

24 Hinc Tamb. lib.5. *de Pœnit. tract. de caf.refer.cap*.6.§.3.*n*.27.deducit primo, ut certum,quod ipfa Monialis turpia audiens,& non refpondens,quamvis peccet fi cooperetur voluntarie audiendo cum loquente, tamen non incidit in cafum. Quia in verbis refervationis, refervatur peccatum obfcœnæ loquutionis cum Moniali, non verò peccatum Monialis audientis alios turpiter loquentes.

Secundò habet ut certum, quod fi monialis turpiter refponderet, imo etfi ipfa incipiat turpia loqui cum Sæculari, ipfo turpiter non refpondente, non incurreret refervatum ob turpem locutionem. Quia refervatur peccatum, quo quis cum clauftrali loquitur obfcœna nihil dicens de ipfa moniali, Tambur.n.28.

25 Tertio n.20.habet ut certum, quod si monialis loquatur turpiter cũ alia moniali incidat in reservatum.Quia, ut ipse habet, verba reservationis absolutè pronunciant de omnibus, qui cum sanctimoniali turpiter alloquuntur.

Sed hoc ultimũ mihi non arridet, tum ob supradicta; tum quia Legislator reservans, vult, ut allocutio cum moniali fit cum aliis extra Monasteriũ, ut liquet ex verbis reservantis, & in hac Diœcesi certum, & manifestum est; Cum in casu dicatur in *monasterio degentibus*; ergo evidens est quod supponat diversam personam cum illis loquentem: & potissimũ, quia dicitur *sine licentia*, ac etiã *cum licentia* ad *malum finem*, qua non indigent moniales, ut invicem possint loqui: Nec talis casus est latus contra Moniales, sicuti casus dicendus.n.31. Et ideo Monialis loquens cum alia sanctimoniali existen e in Monasterio affini, nec incurrit casum.

26. Etsi in hac Diœcesi legentur casu non solum ob turpem *allocutionem* Sed etiam per quacumque *coll.quutionem*; tamen quando reservatur tantum turpis allocutio cum claustrali, non incodantur colloquentes cum moniali de aliis criminibus. Quia alia crimina non veniunt, in communi locutione, nomine turpium, quia turpia Sunt solum ea, quæ ad Venerem pertinent Tambur.n.22.

27 Incidunt etiam omnes loquẽtes per literas, aut per nuncium seu interpositam personam, signa &c. obscœna, ut patet in terminis casus.

Sed difficultatur modo, an incidãt quãdo in casu non exprimitur *per litteras*, *interpositam personam* &c.

Affirmant aliqui probantes ex textũ in Clem. *Si summus de sent. excom.* ubi participare cum excommunicato fit non sulum verbo, Sed etiam per nuncium, aut litterarum inscriptionem ad idẽ, & text. in c. *Constitutione* verbo *participare de sent. excomm. in 6.* ubi incurrit minorem excommunicationẽ mittendo nuncium, vel literas excommunicato, ac si ille personaliter loqueretur. Sic etiã incurrit excommunicationem, qui cum Cardinalibus in conclavi existentibus, loquitur, tex. in cap. *ubi periculum*, §. *nulli*.

At pro sententia negãte, ratio est quia sumus in pœnis, quæ sũt odiosæ; ideo verba accipiẽda sunt in potiori significato; Sed propriè loqui quis dicitur, quãdo personaliter loquitur, ergo &c.

Ad rationes primæ sententiæ dicendum, quod licet in materia excommunicationis, quæ est strictè accipienda, allocuutio extendatur ad scripturam, & nuncium, dicta Gloss. in cap. *constitutionem*. Tamẽ hic diversus est casus; quia ibi sumus quoad excommunicationem minorẽ, quã quis incurrit pro peccato veniali, & in odium, ut sic exclusi ab hominũ cõsortio, ad Ecclesiæ gremiũ redeant. Ad textum verò in cap. *ubi periculum*, §. *nulli* ubi alloquentes cum Cardinalibus in conclavi etiam per epistolam, vel nuncium incurrunt excommunicationẽ majorem, fallit in hoc casu, ubi sic vult Legis Conditor.

Si autem scribantur litteræ, aut mittantur legationes turpia cõtinentes, aut si per interpositam personam, vel per nutus, aut signa loquantur, omittentes fraudulenter loqui, volentes observare corticem Legis sub excommunicatione loquelam prohibentis: Tunc in his casibus judicat Grassœus casu comprehendi Quia per nutus, & signa, aut interpositam personam manifestetur ea quæ quis in corde retinet, & satis suam manifestet voluntatem.

28 An vero scribens turpia ad monialem incidat in casum, si litteræ non perveniant ad manus illius, Sed tamen interposita persona illi legat?

Incurrere docent, quia literæ sortiuntur suum effectum. Atũ intercipiãtur in via, aut alia ratione ad moniales nõ perveniant nõ incurrit. Quia, ut habet Bon. tom.1. *de clausura*, & *pœnis violatoribus illius impositis, quæst.3.p. ... t.n.6.* hæc videtur mens, & superioris intentio scribere prohibentis; & parum refert caracteres componere, litterasque scribere, nisi perveniant.

29 Quoque incurrit famulus deferens legationem Domini licentiam non habẽtis, si sciat præceptum Domini esse injustum. Secus dicendum si faciat ob metum in constantem cadentem virũ. Quia quamvis isti committant flagitiũ contra legem naturalem non cooperandi malum per obscœna: Tamen cum tanto onere lex humana reservationis non ligat, ut Dian. & Antonius à Spiritu Sancto cum aliis docent.

30. Incurrunt etiam ipso facto excommunicationem Episcopo reservatam Sacristæ, Cappellani, & Confessarii Monialium (qui tamen excipiuntur in casu præcisæ necessitatis) & quicumque alius Ecclesiasticus, & sæcularis, qui noctis tempore tam inter Monasterii claustra, quàm in monialium Ecclesiis permanent Synod. Thean. *de monialibus cap.24.§.21. pag.218.* & Appendix synodi *in Catalogo Censurarum, quæ ipso facto incurruntur §* 20.*pag.*482.

31 Adest etiam excommunicatio, quæ etiam ipso facto incurritur (licet ejus absolutio non sit Episcopo reservata) cōtra Moniales, & quoscumque alios audentes colloqui in Confessionali, aut Cōmunionali fenestrella; & etiam contra quoscumque, vel moniales, introducentes pueros, seu puellas cujusvis ætatis in monasteria, sive per januas, sive per rotas, *Joseph Nicolaus Gibertus in cit. Synod. Thean.* §.10.*p. g* .213. *& appendix, de excommunicationibus, quæ ipso facto incurrūtur* §.27.*&* 28.*pag.*190. ac etiā contra ingredientes monasteria monialiū cum licentia āte solis ortum, & exeuntes post occasum illius, exceptis tamen Cōfessario, Medico, Chirurgo, & Tonsore in casu necessitatis cit. Appendix §.32. & in dicto §.6.*pag.* 252.

32 Quia ad incurrendum hunc casum aliquando solet ab Ordinariis exigi accessus ad monasterium, quo nomine ex Bon. intelliguntur ipsæ moniales, ad finē colloquendi cum illis, qui aliud non est, quàm actus ille, quo quis se transfert, aut trāsferre finit ad monasterium, Bon. *t. m. de clausura, quæst.3.punt.*1.*n.*11

33 Hinc colloquens sine accessu, puta ex sua domo cum moniali intra clausurā existente, vel colloquens scripto, vel accedens, sed non loquens, licet audiat, nō videtur hac reservatione ligari; Quia propriè ad colloquendū nō accedit, Graff. lib.4. *decis. aur.* par.1.c.8.n.42. Eodem modo respondent ad casum colloquentis per interpretem, vel interpositam personam. Quia verè, & propriè hic non accedit simul, & loquitur; Cū hæc duo simul requirantur. Interpretatio enim in pœnalibus fieri debet de proprio, & immediato accessu, nō autē de intermedio, ait Jāuar. *de cas. reser.* resolut.34. & à fortiori non afficiuntur pœnis accedentium consentientes, & ad alterius accessū cooperantes.

34 Excusant etiam a reservatione aliqui cum Dia. *par.3. tract.2. resol.48.* Pasq. & aliis, colloquentes signis, aut motu sine verbis. Quia propriè in pœnalibus nō loquuntur. Oppositum verò docent plurimi apud cit. Dianam *par.* 10. *tract.*14. *resol.*39.

35 Famuli verò, & alii, qui mittuntur, dicuntur accedere, & pœnis accedentium afficiuntur, nisi justa causa excusentur, ut si grave aliquod incommodū paterentur non accedendo, Graff. *par.1. consil.22. de sent. excom.* n.32. Homob. &c.

36 Eandem excommunicationē incurrunt accedentes ad loquendum ad monasteria exempta. Quia materia hujus excommunicationis, ut habet cit. Bon. est accessus ad monasteria, qui consumatur in loco non exempto, & subdito Episcopi potestati.

Contrarium tamē est valdè probabile, & maximè si accedant, & non loquantur; Quia finis Legislatoris accessū prohibentis est, ut cum illis non loquantur, ideoque, ut modò dictum est, requiritur nō solùm accessus, Sed loquutio quoque. Et etiam quia delictum consumatur in loco exempto, in quo juxta dicta, n.16. statutum Episcopi non ligat.

37 A pœnis verò frequenter accedentium excusat primò parvitas materiæ, puta si quis tantum semel, aut bis accedat. Quia tunc non dicitur frequentare. Secundò excusat consuetudo in contrarium, & per quadraginta annos frequentata. Et de facto videmus mares, & fœminas absque licentia, & aliquo conscientiæ stimulo Monialium monasteria frequentare, quamvis dictus accessus potius abusus sit dicendus, si fiat invito superiore,

38 Ligantur etiā non subditi ad Monasteria accedentes sine licentia, dummodo probabiliter statutum, non ignorent Episcopi Monialium; ac etiam si dubitaverint de dicta excōmunicatione reservata. Quia tunc faciunt ex ignorantia crassa, si nō diligenter inquirant pro vitandis censuris, cit. Graff. n.41.

39 An verò Episcopus loquens, cū monialibus in Monasterio Diœcesis alterius Episcopi, incidat in excommunicationē reservatam illi Episcopo, cui ipsæ Moniales subduntur?

Dicendū non incurrere. Quia excommu-

municare cum sit actus judicialis habens vim coactivā, nullum, nisi sibi subditum cogere potest. Cum verò æqualis, æquali, aut sibi met non sit subditus, & subjectus, non potest excōmunicatione ligari; quod à fortiori est verum de Superiore. Inanū enim esset, quod Superior inferiori subjiciatur. Imo non incurreret etiā si loqueretur cum Monialibus Diœcesis sui metropolitani, quia etsi subdatur illi in quibuscam casibus, ut dicetur *disp.3.q.2.cap.1.n.5.* & *6.* Tamē non est proprie subditus

An autē Vicarius Generalis alloquens cum monialibus Diœcesis sui Episcopi, incurrat hunc casum, decerne juxta dicta *disp.1.q.4.c.2.n.5.*

40 Quid autem sit dicendum de licentia sive ad loquendum cum Monialibus, sive ad ingrediendum in ipsarum Monasteria?

Dico quod licentia, sive ad loquendum sive ad ingrediendum facta sine temporis prefixione, intelligitur pro una vice.

Vbi nota, quod ad alloquendū cum monialibus sufficit licentia sine scripto. Secùs ad ingrediendum illarum Monasteria, ut constat ex Trid. *sess.25.cap.5.*

41 Sed quæres, an qui obtinuit licentiam alloquendi cum tali moniali, si ad Monasterium accessit, eo doloso animo, ut si alia superveniret, loqueretur etiā cum ipsa, incurrat casum hunc?

Et dicendum, quod si dolose accessit, & loquatur cum alia moniali præter illam pro qua obtinuit licentiam, incurrit si loquatur. Secus dicendum si non animo doloso, sed urbanitatis causa, & potissimum si ab illa interrogatus, responderet.

42 An item possit Vicarius, vel alius deputatus dare licentiam colloquendi cū Monialibus, vel ingrediendi monasteriū præsente Episcopo?

Motivū hujus difficultatis videtur nasci, quia ex text. in c. *demique* dist.24. & c. *presbyteri* dist.95. videtur quod non possit minor exercere jurisdictionem coram Superiore.

Et pro resolutione sciendum ex Grasso, quod triplex datur potestas, *Reverentialis*, *Insignialis*, & *Iurisdictionalis*, quæ dividitur in voluntariam, & contētiosam. Quoad potestatem reverentialem jurisdictio minoris suspenditur corā majore, & ideo quādo Diaconus recitat matutinum cum sacerdote, quamvis sacerdos dicat lectiones super Evangelium, Diaconus tamen dicit: *jube domne benedicere.* Idem dicendum de potestate Insigniali; Vnde Patriarcha, non potest ante se deferri facere crucem Romæ. Quia insignia suspenduntur coram majore.

Circa verò potestatem jurisdictionis, potest Vicarius Generalis exercere jurisdictionē in ejus præsentia, tam in jurisdictione contentiosa, quàm voluntaria. Hinc quoad jurisdictionē contentiosam, potest excommunicare ipso præsente, & concedere excōmunicationes illas, quæ monitionibus præmissis, fiunt ad finē revelationis pro subtractis, & deperditis rebus. Quamvis Trid. *sess.25. de refor. cap.3.* id videatur solum Episcopo concedere; cum dicat: *à nemine prorsus decernantur præterquam ab Episcopo*. Quia Vicarius potest exercere ea, quæ pertinēt ad jurisdictionē ordinariam. Vnde cum dare licētiā alloquendi, cū monialibus pertineat ad jurisdictionē ordinariā *voluntariā*, ideo illam potest is concedere, Graff. *lib.5 cons. fil. de sent. excom. Consil.22.n.45.*

43 Tamē non potest exercere hanc jurisdictionem in his casibus. Primò dando licentiam ordinandi eo præsente, & constat in c. *cū nullus de temp. ordin.* in 6. Secūdò neç Vicarius Archiepiscopi potest excōmunicare suffraganeum, ut constat ex cap. 1. § *officiales de offic. ord. in 6.*

44 Notādū incidēter incidat in reservatū, & excōmunicationē reservatā, infans nondum doli capax, nempe adhuc non habens usū rationis, aut furiosus ingrediens intra septa monasterii, quādo est lata contra ingredientes, cujusque generis sexus, ætatis, conditionis?

Non incurrunt; quia cū non possint committere peccatum mortale, consequenter neque casum cum censura reservatum, ut dictum est supra, n.9.

Neque innodantur, qui in aliquo casu repentino, V. G. quia monasterium minatur ruinam ob ignem appositū, & Moniales clamantes, ut eis succurratur, monasterium ingrediuntur. Quia necessitas Legi non subjacet.

CAPUT IX.

Casus nonus cum Censura: *Carceratio, malaffectio, vel manuum iniectio in personas Cursorum hujus Episcopalis Curiæ.*

APOPHASIS.

1 *Quid reservetur in Synodo Theanensi circa Cursores?*

2 *Judices Sæculares in hoc Regno possunt procedere cōtra Cursores, & in multis casibus etiam contra Clericos.*

3 *In quibus casibus Judices Sæculares possunt procedere contra Clericos.*

4 *Judices sæculares, non possūt capere confugientes ad Ecclesiam, & probabiliter nec confugientes ad Corpus Christi, dum defertur ad infirmos.*

5 *Eadem immunitate decent gaudere Sacerdotem deferentem oleum sanctū ad infirmos, & qui cū superpelliceo, & stola incedit post Crucem, ad mortuum sepeliendum.*

6 *Judex abstrahens ab Ecclesia eum, qui debet gaudere immunitate, de iure Civili incurrit crimen læsæ Majestatis, & jure canonico debet excommunicari, & interdici ab ingressu Ecclesiæ &c.*

7 *Sacerdos, Clericus, sive alius, potest repellere temerarium Cursorem, injustè volentem eum incarcerare, aut aliter inferre injuriam, vel occupare suam domum.*

8 *Turpe est, superiores Ecclesiasticos, mittere satellites, ut ducant vinctas Ecclesiasticas personas pro omni minimo delicto, & si ex odio objecto, & potissimū, si contumeliis, aut verberibus pro nummis extrahendis, eos afficiant.*

9 *Superiores in puniendo, non semper rigore, sed benignitate, & Charitate quoque uti debent.*

10 *Quanti in honore fuerunt olim Sacerdotes, indicant non solum Principum gesta, Barbari, & Gentes, sed etiam sacræ litteræ.*

11 *Quomodo se gerere debeat superior in subditis puniendis, & corrigendis, ac carcere detrudendis?*

1 Quamvis in Synodo Theanensi *cap. 9.§.20.n.9.pag.*113. reservetur omnis carceratio, nempè personalis apprehensio alicujus manu, vinculo, vel alia ratione, & in aliquo loco custodire, & trudere, ut nequeat ex illo liberè exire (& ad hunc finē carcer inventus est, L.1.ff.*de cust.reorum & c.quamvis de pœnis lib.6.*), & malafiectio, seù mutilatio, & manuū injectio in personas Episcopalis Curiæ, scilicet quælibet actio cōtumeliosa exterior mortalis circa Cursorum personas, vel res ei adhærētes, sive fiat manu, sive alio instrumento

2 Hodie tam. post adventum nostri serenissimi, & invictiss. Regis Caroli Borbon, quia jurisdictionem circa dictos sæculares cursores sibi in hoc Regno reservavit omninò vana, & futilis est hujus casus reservatio. Ideoque Judices sæculares possunt procedere contra Cursores, sicuti contra alios sæculares. Imo in multis casibus possunt etiam procedere contra Clericos ex commissione expressa vel tacita, & præsūpta absque timore reservationis, & aliarum pœnarum incursione, eos capiendo, vel processando, seu inquirendo.

3 Et primò procedere possunt contra Clericum, quando est realiter degradatus *Cap. Degradatio de pœnis in 6.* postea traditus Curiæ Sæculari. Secundò quando amisit privilegium fori, nempe quando caret Beneficio Ecclesiastico, aut quia habitum, & tonsuram clericalem non defert vel quia non servit alicui Ecclesiæ &c. juxta dicta casu 6.n.2.& a n.48. Vel quia effectus est jaculator, vel scurra. Nam hoc casu si anno, vel tertio monitus non desistat, Clericale privilegium amitit *c.un.de vit.& hon.Cler.lib.6.* quod procedit etiā in Clerico in sacris constituto, si se enormitatibus immiscuit, *cap.perpendimus de sent.excom.c.cum nō ab homine eodem.* Tamen in omnibus his casibus, requiritur prius declaratoria Judicis cōpetētis. Excipe tamen Clericum notorium āssassinum.

Tertio quando Clericus est in flagrāti crimine inventus, & est suspectus de fuga tunc enim potest Judex laicus eum capere, *cap. ut famæ tit. nostr. DD. in cap. cum non ab homine de judic.* dummodo sine injuria, & violēta manuum injectione capiatur, & cum primum opportunè poterit intra spatium saltem viginti quatuor horarum, reddat Curiæ Eccles. *Nav. cap.27. n.83.* aliter si non remittāt, ex *Const. Greg. 14.* ipso facto incurrunt excommunicationem, quæ contra libertatis juris, & immunitatis Ecclesiæ violatores per sacros Canones, Concilia, & Pontificum Constitutiones promulgata fuit. Quæ excommunicatio operatur, ut Ordinarius non possit absolvere Curiam Sæcularem, quia ipso jure incidit in casum Bullæ Cœnæ contra violatores supradictæ libertatis &c. à qua Episcopus non potest absolvere etiam si habuerit privilegiū ab omnibus

bus casibus Papalibus. Quia stylus Curiæ Romanæ est, ut nunquam intelligantur concessæ absolutiones ab excommunicationibus in Bulla Cœnæ, nisi de illis expressa fiat mentio, *Graff. de Imm. Eccl. lib. 3. consil. un. n. 29. cap. nuper. tit. nost.*

Quartò quando Judex Laicus non jure proprio, sed de mādato superioris cognoscit de causis criminalibus. Quia tunc facit, ut minister Ecclesiæ. Quintò quando interdum, & publice non incedit cum habitu, & tonsura. Nam tunc jure capi poterit à Judice Laico. Quia talis quisque præsumitur, in quali habitu reperitur, *cap. si Judex Laicus de sent. excom. in 6.* Imo ex quadam constitutione Clementis, & Pauli Pontificum, si Clerici beneficiati non sint, vel in sacris constituti, inventi ut Laici, possunt per Judicem Laicum puniri, nec tenetur remittere, donec de Clericatu constet coram Ecclesiastico Judice.

Sextò quando Clericus commisit notorium delictum coram Judice Laico, aut delictum sit in fieri, potest tunc ab eo capi, sed statim tenetur remittere suo superiori. Septimò quando quis post commissum aliquod delictum suscipit ordinē Ecclesiasticum; quamvis quando suscipit absque aliqua fraude, vel dolo, statim liberetur à jurisdictione Judicis sæcularis; Tamen quando cum dolo, vel fraude suscipit, tunc post delictum commissum, manet sub jurisdictione Judicis sæcularis, quoad rerum, bonorum, mulctæque condemnationem, non autem quoad pœnam corporalem. Unde criminē pœnam mortis, aut membrorum mutilationē exigente, erit per Episcopum degradandus, & Curiæ sæculari tradendus. Si verò votum Religionis, vel ordinis sacri suscipiendi fecerit ante delictum, quod post illud perpetratum adimpleverit, effugiet manus Judicis sæcularis.

Octavò Judex sæcularis non potest punire Clericum portātem arma, Laicorum lege prohibita. Tamen docent, posse licitè ab illo armis spoliari, nec compelli posse per Judicem Ecclesiasticum arma illa restituere, quod ultimum non facile admittendum, vide *Graff. par. 1. decis. aur. in explicatione Bullæ Cenæ.* Tamen monendi sūt sæculares ministri, ut abstineāt ab his, nisi specialiter, & expressè ipsis sit à Prælatis Ecclesiasticis commissum, qui licitè non possunt, nisi ex gravi causa, & quando per seipsos non possunt. Cum iniquum, odiosum, & abominabile sit velle se ingerere, & immiscere in iis, quæ ad se non spectant, & per seipsos falcem mittere in messem alienam.

4 Ex quibus incidenter nota, Judices sæculares non posse capere confugientes ad Ecclesiam, & probabiliter etiam confugiētes ad Corpus Christi dum per vias, & plateas defertur à Presbytero, & illud associant, *Jacobus Graff. lib. 4. tr. 9. cap. 3. nu. 4.* Felix Potestas *in 1. Decal. præcep. tom. 1. par. 2. c. 4. n. 623.* Et meritò quia, ut docet Tancredi apud ipsum, non debet Christiana pietas Gentilium superstitioni cedere, qui gravissimum scelus putaverunt, ut liquet ex Pausania *in Atticis* in personam Lucii Syllæ extrahentis Aristionem reum læsæ Majestatis à Minervæ Statua, qui ob id semper miserè vixit.

5 Eadem immunitate docet citat. Potestas *n. 622.* gaudere Sacerdotem deferentem Oleum Sanctum ad infirmos, ac etiā, qui superpelliceo, & Stola incedit post Crucem ad mortuum sepeliendum.

6. Ideoque Judex abstrahēs ab Ecclesia eum, qui debet gaudere immunitate, de jure civili incurrit crimen læsæ Majestatis, adeoque punitur ultimo supplicio, *L. præsenti C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt;* Jure autem Canonico debet excommunicari, *Abbas in c. alia tit. nostro c. ex tua d. sent. excom.* ac etiam debet ei interdici ingressus Ecclesiæ *c. frater 17. q. 4.* unde mulctari pœna pecuniaria, & imponi publica pœnitentia, nec restitui cōmunioni, nisi restituat, quem violenter extraxit, *cap. miror, C. si quis contumax 17. q. 4.,* & *cit. Graff. n. 26. & 27.*

7. Sacerdos, Clericus, seu alius, potest repellere temerarium Cursorem injustè volentem incarcerare, aut aliter inferre injuriam, vel occupare suā domum. Quia utitur jure suo, se defendendo, quod est verum etiam si Sacerdos sit aliquo levi crimine tinctus, & Cursor vellet illum publicè vinctum ad Episcopum, vel ejus Vicarium ducere, ut tetrum carcerem subiret. Nam justè repellit, & se defendit; cum Sacerdos utpotè persona circumspecta valde læderetur in sua fama, & existimatione, & scandalizarentur sæculares videndo Christi ministrum duci ad Episcopale Tribunal, ut ducuntur ad patibulum infames latrones.

8 Et ideò quis non videt quam turpe, & fœdum esset visu, imò auditu, si superiores ipsi Ecclesiastici cum ordinis dedecore, & sæcularium scandalo mitterent quosdam immanes satellites (qui etymologiæ nominis faciunt naturam, & facta reciprocare) ut publicè ducant vinctas personas Ecclesiasticas, imò & Sacerdotes statim ac audiunt, ipsos commisisse aliquod minimum delictum, etsi ex hominum iniquitate, & odio objectum; Et eo magis si inquirant,& capiant aliquem tamquam reum absque magnis indiciis, sicque aliquis miser innocens luat pro nullo,vel incerto scelere certissimas pœnas, non quia delictum commisisse detegitur, sed quia commisisse nescitur,atque ideo talis Judicis ignorantia, est calamitas innocentis, non obstante, quod jura potius benigniora, quàm rigidiora sequi statuent; & veritas ipsa Christus *Matth. 5.v.7.*habet: *Beati misericordes.*

Et quod pejus esset imò fœdum, si aliquando tales Lictores non solum opprobriis, & contumeliis personas Ecclesiasticas afficerent, sed etiam verberibus, & vibicibus,o manus præcidendæ! si vinctæ non dent nummos, parum facientes excommunicationem Canonis *si quis suadēte*, quibus meritò conveniret illud Horatii, *Ode 16.lib.4.*

Aurum per medium ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potētiùs
Ictu fulmineo.

Quapropter frænandi sunt in tali casu sã vigilãtia boni superioris prædicti Cursores,qui ceteroqui graviter solent Prælatorum conscientias, & præcipuè cum eo soleat pervenire eorum impudentia, ut postquam tyrannicè cum vinctis Sacerdotibus, seu Clericis egerint,urgeant, se illis beneficia fecisse: Ex eo quia magis crudeliter potuissent torqueri contra quos facit illud Ciceronis *lib. 2. Philippicarum* ajentis:*Latronum beneficium nihil aliud esse, nisi ut commemorare possint iis se dedisse vitam,quibus non ademerint.*

Enim turpe esset videre aliquando Sacerdotes tam commēdatos in Sacris Scripturis, ut *Lev.21. Deut.17.12.Job.41.2.*, & potestate majores Archangelorum,malemeritos ab inurbanis Cursoribus, proh dolor! ab illis nempè, quos quotidie pascunt,personis talibus,qui ut docet *Gen. in praxi Neapol. Cur.* non probant, nisi in levibus. Quare Ecclesiastici, quibus iniqua, & infelici sorte contingerit ab illis maleaffici, meritò conqueri possent, dicendo cum *Psalte: Si inimicus meus maledixisset mihi,sustinuissem utique.*Sint enim Sacerdotes quantumvis indigni, & facinorosi, tamen sicut ob talia non desinunt esse Dei ministri, ita neq; suo honore,& respectu sunt fraudandi.

9 Ideò non essent laudandi superiores, si hæc, vel similia permitterent, nec benè agerent, si equo Pharaonis, non autem humilitate Redentoris,scilicet semper justitia, & nunquam charitate,utantur erga suos subditos,& filios. Quia interdum benignitas magis, & humilitas, quam severitas juvat, ut accidit Prælato illi,qui secretò suum incorrigibilem subditum vocavit,& in conspectu ipsius graviter se fustigavit, dicens: se talia pro suo scelere agere: Hæc videns adamantinus in sceleribus subditus, tactus intrinseco cordis dolore, amaris cum lacrymis sua scelera flevit, sanctamque duxit posterierem vitam. Sicuti enim adamantis durities ex sanguinis gutta agni, non autem ex malleorum gravitantibus ictibus mollitur, ita humilitate magis, & charitate, quam severitate (quæ non semel est causa ruendi desperatè, & pertinaciter in gravissima crimina)delicta tolluntur,adamantinaque corpora molliuntur. Sed sint severi, at æqualiter in singulos, & meminerint, quod etiam ipsi in multis deficiant

10 Tanti olim fuere in honore Sacerdotes, ut Principes ipsi sæpe variis gestis demonstrarunt. Unde Constantinus Imperator, sic effatus est: Si vidissem Sacerdotem turpia agentem,chlamydem meam exuissem, & cooperuissem eum. Imò apud Barbaros ipsos,& gentes quoque, ut probat *Baronius, anno 57.*& *Cic.lib.2. de Legibus*, & in veteri lege jubet Dominus, ut nullus Sacerdos maximus aperiret caput laicis, etsi nobilissimis, ut *Lev.21. & Deut.17.* Quia non est potestas super terram, quæ comparari ei possit, ut patet. *Job.41. 24.*, & tamen Sacerdotes veteris legis erant tantum figura nostrorum. Et ideò in *cap.si Episcopus 95.dist.1.*dicitur, quod non debet Prælatus, in quolibet loco sedens pati presbyterum stare; nisi presbyter assumeret officium standi, *l.si*

quis

quis §. fin. C. de postul. Quia debet onorare dignitatem Sacerdotalem, quæ etiam reali dignitati præeminet; sicque imitabuntur Christum, qui *Matth. 26.* cum Apostolis in Cœna sedit. Tamen in itinere Prælatus debet præcedere, & subditus sequi, *Dist. non oportet, Graff. Append. aur. lib. 4. c. 3. n. 3. & decis. aur. par. 1. lib. 3. de Regul. cap. 5. n. 53.*

11 Prudenti superiori in subditis puniendis, etsi grave sit crimen, quod commiserunt, dissimulandum prima facie, & tempore suo puniendum. 1. ne tollatur totaliter fama. 2. ne detur ansa ad injuste calumniandos Ecclesiasticos. Quis enim negare potest, quod rustici, & iniqui homines videntes superiorem ad quamlibet alicujus relationem acriter suos subditos punientem, pro qualibet contentione inter ipsos orta, appingunt illis falsa crimina, etsi forte delictum sit verum, etsi leve, tanquam atroce facinus pervulgatur, tum ab invidis, tum ab iis, qui non correctores, sed socios delictorum cupiunt habere, & maxime si delictum sit commissum à circumspecta persona. Quia sicuti de sole dicitur, quod spectatores non habeat, nisi cum deficit, & ecclipsim patitur; sic defectus alicujus circùspectæ personæ plurimos habet spectatores, non in benè actis; sed cum aliquid etsi leve committit, & exorbitans videtur: Pulvis enim in ped bus, non est tantæ considerationis, quantæ in oculis, & pupillis ejus.

Itaque subditi sunt misericorditer corrigendi, nec pro omni crimine sunt more latronum in carcerem detrudendi, & in carcere tali, qui videatur imitari Syracusanas latomias. Non enim Sacerdotes sunt luctuosis carceribus mancipandi, nisi ex gravibus delictis, sed interdum sufficit, quod eis imponatur pœna corporis afflictiva, cum carcer ad custodiam inventus sit, ut liquet ex *l. aut damnum §. solent, & l. credibi le ff. de pœnis*, ideoque debent in carcere custodiri captivi, non perire, aut salutem prorsus amittere, ut eveniret, si longè ibi manerent.

Hinc humanissimus Imperator Constātinus, sancivit, carceres nihil debere habere præter fidam custodiam, *l. 1. C. de cust. reor.* Irregulares enim sunt Prælati, si delinquenti in tetro carcere mors sequatur, *Graff. lib. 3. decis. 4. par. 1. de Regul. c. 5. n. 128.* Non semel enim benignitas magis, & humilitas, quam severitas juvat, & Episcopi, ut doces *Gen. in praxi Cur. Neap. cap. 27. a n. 1.* non debent esse proni ad carcerandum Clericos; Cum carcer infamet, & irreparabile damnum asferat. Ideoque Episcopus injuste carcerans Clericum est excommunicatus, nisi saltem præsumptive constet de delicto, *c. si Clericos de sent. excom. in 6.*

Quid autem dicendum de incarceratis in casu, quo volentes consanguinei mūdano illo inferno eos extrahere, non inveniretur via, neque carceris aditus pro eorum diutina pœna corporis afflictiva, nisi duce nummularia compositione, ac solutione? Certè talis pæna (vulgò dicta marsupiorum afflictiva) raro, & non nisi ex gravi causa, & ea juxta regulas prudentiæ examinata, exigenda erit, & ne fortassis dicatur, eos imitari Juda avaritiam hæc similia proferendo; *quanti vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?*

Quare semper laudabilis fuit in antiqua Ecclesia pæna corporis, non autem pecuniaria, & sæpe sufficit pro extinguēdis criminibus modica mortificatio in corpore, quam notabilis in auro. Itaque licet criminosi Ecclesiastici, & præcipuè Sacerdotes (qui debent aliis exemplo esse, non scandalo, & in quibus debent sæculares oculos conjicere) debeant puniri, non tamen cum dedecore status, & aperta cum ignominia.

CAPUT X.

Casus decimus cum censura.

Sponsorum conversatio ante contractum matrimonium ultra duas vices, & bis vicibus non præsentibus sponsæ consanguineis.

APOPHASIS.

1 *Quare hunc casum reservavit Legislator?*

2 *Quam malè agent parentes, aliique domestici, conversationem sponsorum permittentes?*

3 *Sponsi etiam semel, aut bis conversantes, sine præsentia consanguineorum sponsæ incurrunt casum.*

4 *Probabiliter nō incurrunt casum spōsi per duas vices conversantes simul; præsentibus consanguineis sponsæ. Secus cum aliis consanguineis.*

5 *Quare Legislator præsentiam consanguineorum sponsæ, & non sponsi requisivit in conversatione sponsorum?*

6 *Sponsi incurrunt casũ etiam cum præsentia consanguineorum sponsæ, si conversentur ultra duas vices, & hoc etiam si spõsalia clandestinè fecerint.*

7 *Permittente etiam more patriæ, pluries simul conversantes sponsi, excusari non possunt ab hujus casus incursione.*

8 *Sponsi, etsi pluries conversantes, non incurrunt casum, si colloquium notabile, simul non habeant.*

9 *Sponsi, ut incurrant casum, debent notabile tempus, nempè per quadrantem habere colloquium, & cõversationem.*

10 *Sponsi fraudulenter, & ad notabile tempus per nutus, & signa simul alloquentes, an incurrant casum utrumque est probabile. At loquens per alium, aut per litteras, ipso absente, refugit casum.*

11 *Neque afficiuntur, sic conversentur ante contracta sponsalia.*

12 *An afficiantur casu impuberes, si simul conversentur, & quid sit dicendũ circa sponsos colloquentes in Diœcesi, ubi dictus casus non est reservatus, vel in loco exempto Diœcesis.*

13 *Non incurrit, qui fictè promisit. Neque postquam sponsalia fuerunt dissoluta, si postea simul conversentur.*

14 *Casum evitat, qui post contracta sponsalia cum Maria, celebrat alia, cum Lucia, si cum hac postea conversetur, etiam si postea matrimonium cum ipsa celebret.*

15 *Nec reservationis telo feritur, qui promisit alteri non repromittenti, vel si repromittat tradendo tantum copiã sui corporis, si postea conversentur.*

16 *Neque afficiuntur, qui bona fide sponsalia, seù matrimonium contraxerũt, si fuerint nulla, si interim simul conversentur. Et idem dicendum de conditionatis, pendente conditione.*

17 *Ubi reservatur carnalis copula inter sponsos, an incurrant casum coeuntes sodomiticè?*

1 UT perniciosus frequentis *conversationis* spõsorum abusus, quæ est animæ pestis, sine strage non cessans, & ex qua oriri solent non solum turpes, & libidinosi tactus, sed etiam actus fornicarii inter ipsos sponsos qui sæpius simul conversantes, tandem ad pessimos actus, adveniente solitaria occasione, deveniunt; Ex eo quia non timent verecundiam, cum supprimatur à secuturo matrimonio (ex quibus gravissimis peccatis, non raro, ut loquitur nostra Synodus *de matrim. cap.* 12. §. 12. Deus permittit inter dictos conjuges dissidia; in filiis infortunia: in substantiis dissipationem, & in tota familia dedecora, & cladem) pænitus ab hac Diœcesi convelleretur, noster providissimus pastor Joseph Nicolaus Gibertus Episcopus Theanensis, casum hũc suo severiori judicio cum censura reservavit, quamvis censuram, quæ ipso facto toties quoties incurritur, non sibi reservavit, sed à quolibet confessario potest tolli, ut patet in Appendice Synodus *pag.* 484. *n.* 10.

2 Ideò sciant parentes, aliique domestici permittentes, juvenes, & adolescentulas simul conversari (quasi illi ex lapide molari, hæ ex porphyrite, seu marmore sint) & venire in eorum domus, quod agunt, ut antiquitus quidã genitores idolatræ, qui habebant in usum offerendi suos natos ad accensam statuam æream in cujus gremio, quando ignita erat collocabantur illæ tenellæ creaturulæ, & ne miseræ inter ardendum, desperato vagitu commisererentur, seù mulcerent genitorum viscera, introduxere, ut in illo actu sonarentur tubæ, & timpana. Hunc morem possumus dicere usque modo durare (quamvis tunc ore nabãtur corpora, nunc animæ) dum sponsi ad domum sponsarum, cum muneribus, sonitu, cantu, saltibusque accedentibus, parentes, aliique domestici id concedunt, quasi, ne commisereantur seipsos ad spiritualem stragem eorum juventutis.

3 Hinc patet ex dicta Synodo *loc. cit.* quod si sponsi semel, aut bis simul conversentur, & colloquium habeant, sivè ad bonum, sivè ad malum finem sine præsentia dictorum sponsæ consanguineorum, nempè usque ad quartum gradum, (quia ultra non dicuntur consanguinei) incurrunt casum cum cẽsura reservatum. Quia in tantum permittit usque ad duas vices, in quantum adsunt præsentes consanguinei, ergo si semel deficiant, incurrunt.

4 Sed quæres, an incurrant casum, si per

per duas vices conversentur præsentibus sponsi consanguineis?

Dico probabiliter non incurrere. Quia finis Legislatoris fuit, ne ex tali colloquio ad turpes perveniant actus, quos æquè possunt impedire sponsæ, quam sponsi consanguinei; Cum utrisque incumbat, ut ab illicitis suos consanguineos retardent. Secus dicendum, si conversentur, & colloquium habeant coram aliis non consanguineis. Vide dicta *disp.1.q.1.cap. 8.a n.11.*

5 Modò nota, quod Legislator in tantum apposuit solos sponsæ cõsanguineos, non autem sponsi; Quia semper accidit, ut sponsi eant ad domum sponsæ, cui non decet ad domum sponsi ire, ideoque hoc rarissimè accidere potest, ideò sponsæ cõsanguineos, non sponsi expressit; nõ enim respexit ad casus de raro, & accidentaliter contingentes. Et etiam, quia consanguineis sponsæ ob honorem suæ familiæ interest, ut sponsam à congressu sponsi, & ab aliis illicitis, quæ potius sponsæ, quã sponso maximam infamiam causare possunt, defendant, ne fortè ob sponsi mortem, vel aliam ob causam, sponsa infamata, & innupta remaneat.

6 Incidunt sponsi in hunc casum, etiam cum præsentia consanguineorum, toties quoties excedunt dictas duas vices, liquet ex cit. Syn. permittente per duas vices coram consanguineis sponsæ. Et hoc est verum etiam si sponsalia clandestinè fecerint, quia dicta, in foro conscientiæ, sunt valida. Idem dic de illo, qui post sponsalia invalida, ratificavit per copulam subsecutam, si postea simul conversentur.

7 Et licèt hodie contrarium servetur sine scrupulo (quod est abusus) cum sponsus post contracta sponsalia sæpè frequentet conversationem sponsæ, non solum extrà suam domum, sed etiam in domibus vicinorum, ac ipsius sponsæ; parum æstimantes innumera scandala, quæ videntibus dant, non dico innumera peccata saltẽ cogitationis, quæ ipsum matrimonium antecedunt. Tamen juxta usum, & morem cujusque patriæ, ab immemorabili introductum, conveniens est aliquadò sponsum, domum sponsæ petere, & cum ipsa honestè, fideliter, & verecundè versari, ut esset quando defert annulum arrhas, & munera jocalia; aut facit donationem ante nuptias, seù donum sponsalitium; aut quando defert pallã, tibialia, calceos, & alia ornamenta mulebria, quæ juxta cujusque loci consuetudinem, solent à sponsis deferri: propter quod, credo, Legislatorem permisisse in duabus vicibus talem conversationem.

8 Econtra non incurrunt casum, si simul conversatur; sed colloquium non habeant, quia Legislator ad incurrẽdum casum, requirit conversationem cum colloquio. Nam hæc habet in cit. Synodo; *Præcipimus futuris sponsis sub excommunicationis pœna toties quoties &c., quod neque ad bonum, neque ad malum finem, audeant simul conversari, & colloquium habere.*

9 Ad hoc ut sponsi simul colloquentes incurrãt casum, debent conversationem, & colloquium per notabile tempus, nempè ut saltem per quadrantem alloquatur. Unde non incurrunt casum sponsi, qui casu sibi invicem occurrentes in via, aut alibi, salutantur, licet alia verba indifferentia proferãt; dummodò per modicum tempus confabulentur.

An verò sponsi obscænè alloquentes, aut alios actus turpes per breve tempus simul exercentes, incurrant casum, discurre juxtà dicta *in casu* 8.*n.21.*

10 Quando autem in conversatione requiritur etiam colloquium, pro incurrendo casu, ut ex verbis *Synodus n.8.* recitatis, an incurrant casum sponsi, si fraudulentes per nutus ad notabile tempus simul alloquantur, & an ligetur casu, qui loquitur per interpositam personam, vel per litteras?

Quoad primum dubiũ valdè probabile est, quod sponsi incurrant casum ac notabile tempus per nutus, & signa alloquentes. Non enim refert, quod quali tercumque, quis suum exprimat animum, *ff. de legat.3.l.nutu nu.11.quæst.3.Cod. quoniam multis, Zabar in Clem. Si summus in fin. de sent. excom.*

Circa verò alloquentem per interpositam personam, vel per litteras, si dum pro ipso loquitur interposita persona, ipse præsens sit, sicuti dum legitur epistola; tunc probabile est, incurrere casum, quia sicuti exprimens per alium verba contractus matrimonii, dicitur per se expressisse, ita nostro casu. Si verò dum pro ipso alloquitur aliqua persona, vel qui-

do leguntur litteræ, ipse sit absens, tunc non ligatur casu, quia deficit conversatio, quæ nihil aliud est, quam simul esse: vide dicta in *cas.8.nu.28.* De muto alloquente persigna, discurre juxtà dicta in *casu 8.n.35.*

11 Non incurrunt, si simul conversentur, ante contracta sponsalia, etsi conventi sint cum sponsæ consanguineis, de sponsalibus, & matrimonio quamprimum contrahendis, quia casus ligat tantum sponsos, quales non sunt ante contracta sponsalia.

12 An verò sponsi impuberes simul cōversantes incurrant hunc casum, discurre juxta dicta *disp.1.q.4.de subjecto reservationis cap.1.n.2.*

Deniq; an spōsi colloquētes in Diœcesi in qua talis casus non est reservatus, aut in loco exempto Diæcesis, incurrant casum?

Quoad primam partem, discurre juxta dicta *disp.1. quæst.4. cap.4.* Circa secundam, vide *cap.6.*

13 Non incurrit, qui fictè promisit, neque postquam sponsalia fuerunt dissoluta si simul conversentur. Cum ad incurrendum casum, non sufficiat quælibet promissio, sed debet esse vera, voluntaria, deliberata, acceptata, mutua, & signo aliquo externo sufficienter expressa, nec sufficit propositum, aut promissio dissoluta. Quia sicuti sponsalia à spondendo, ita sponsi quasi alteri promissi, dicti sunt; nec tales sunt, dissolutis sponsalibus.

14 Casum aufugit, qui post contracta sponsalia cum Maria celebrat posteriora cum Lucia, etsi jurata, si cum hac postea conversetur: Quia hæc sunt invalida. Idque est verū etiā si vir ille postea matrimoniū celebret cum Lucia. Quia licet cōversatio antecedat matrimonium, nō antea, sed post sponsalia.

15 Nec reservationis laqueo irretitur promittens alteri, qui ipsi non repromisit; vel si tantum repromittat tradendo copiam sui corporis, si postea simul conversentur. Quia in primo casu, sponsalia sunt invalida; In posteriori conversatio præcedit, non subsequitur sponsalia; cum perficiantur, & constituantur per talem copulam.

16 Neque afficiuntur, qui bona fide sponsalia, seu matrimonium contraxerunt, si ob aliquod impedimentum postea detectum, fuerunt nulla; si interim dum expectatur, & expeditur dispensatio, simul conversentur. Quia fuerunt invalida.

Idem dicendum, si sponsi contrahant sponsalia conditionata, tunc si pendente conditione, conversentur, reservatum evadunt; Quia conditio de futuro suspēdit sponsalia.

17 In Diæcesibus, in quibus reservatur *carnalis copula inter sponsos*, probabiliter evitant casum sponsi simul coeuntes sodomitico coitu. Quia per carnalem copulam, intelligitur coitus naturalis, non sodomiticus. At juxta dicta *disp.1. qu.1. cap.3. a n.10.* videtur non posse effugere dictum casum.

CAPUT XI.

Casus undecimus cum censura.

Periurium in judicio cum præjudicio tertii, vel falsificatio scripturarum, & non intelligatur concessa facultas, nisi facta restitutione damnum passo.

APOPHASIS.

1 *Unde desumat suam gravitatem periurii scelus?*

2 *Quare casum periurii, suo peculiari judicio, Legifer reservavit?*

3 *Quomodo sumi debet periurium in proposito casu?*

4 *Quid sit periurium, quod duplex Assertorium, & Promissorium?*

5 *Periurium Assertorium, triplex est Verbale, Reale, & mixtum.*

6 *Dispositio juris reservantis cōprehendit tantum periurium Assertorium, tam verbale, aut reale tantum, quàm mixtum.*

7 *Periurium Assertorium aliud est materialiter tantum, aliud formaliter solum, & aliud materialiter, & formaliter simul.*

8 *Periurium materiale solum, eximit à culpa, & pœna reservationis.*

9 *Pejerantes formali tantum periurio, probabiliter non incurrant reservatum.*

10 *Quod sit mendacium, quod primò dividitur in materiale, formale, & mixtum.*

11 *Insuper mendacium dividitur in jocosum, officiosum, & perniciosum.*

12 Men-

12 *Mendacium consistit, non solum in dictis, sed etiam in factis.*

13 *Tria sunt personarum genera, quæ in judicio falsum dicendo peccare possunt.*

14 *Sex species offensionis veritatis; Falsitas, varietas, contradictio, vacillatio, duplicitas, & mendacium.*

15 *Quatuor modis committitur falsum, scripto, dicto, facto, & usu.*

16 *Falsum etiam committitur in nominis, vel cognominis mutatione, si fiat per fraudem; Secus, si fiat sine fraude, & cum causa.*

17 *Nominis, aut cognominis mutatio facta per superiorem, est licita, & cur fiat?*

18 *Quid intelligatur in casu nomine judicii?*

19 *Judicium publicum quando sit, aut non sit juridicum?*

20 *Quas personas casus comprehendat?*

21 *Ad incurrendum reservatum in hac Diæcesi, requiritur periurium, cum præjudicio grave tertii. Secus ubi non exprimitur; quamvis contrarium doceant probabiliter alii.*

22 *Si graviter contra aliquem probatum fuerit, tunc etsi alius testis deponat in judicio falsum, non incurrit casum.*

23 *Ut quis reservationi subiaceat, requiritur, ut mendacium juramento confirmet.*

24 *Innodatur reservatione, qui pejerat in judicio; cum Judex ad notitiam delicti procedit, tam via inquisitionis, quam accusationis; si delinquens laboret publica infamia, aut sit semiplenè probatum, vel plenè videatur probari posse.*

25 *Innocens, etsi peccet graviter licet non contra justitiam, si ad infirmandam calumniatoris accusationem, vel iniqui testis depositionem, ipsis crimen aliis falsis testibus obiiciat; Nec ipse, sed periuri testes, casu ligantur.*

26 *Incurrit etiam ille, qui non legitimè interrogatus à Judice, positivum mendacium jurat in judicio.*

27 *Testes jurati, scienter mentientes causa fallendi in judicio, quamvis jure renciantur à testimonio faciendo, non excusantur à casu.*

28 *Etiam incidit scienter, & malitiosè præstans assertorium periurium, tam reale, quam verbale coram Judice competente, vel Notario mandatum judicis habente, si in judicio præstetur periurium in damnum alterius. Ac etiã qui in gratiam ubi non requiritur damnum tertii.*

29 *Innodatur casu periurii ille, qui cum sit testis de auditu, testatur tamquam testis de visu, & certus de facto, etsi fortè sit verum, quod juravit.*

30 *Probabiliter ligatur testis ille, qui dubiam, & incertam veritatem tamquam certam, & exploratam coram Judice, juramento confirmat; sicuti, qui subticet veritatem, quam judici revelare tenetur.*

31 *Innodatur etiam, qui in re parvi momenti, scienter in judicio mentitur.*

32 *Testis, qui malitiosè falsum in judicio deposuit, sed postquam per alios testes, reus fuit convinctus, non incurrit reservatum. Secus dicendum, si legislator non requirat præjudicium tertii.*

33 *Qui per metum gravem cadentem in virum constantem cogitur falsum in judicio jurare, probabiliter non incidit in reservatum. Et quid de reo?*

34 *Non ligatur reservatione testis celans, seu subticens veritatem, quando reservatio est lata contra deponentes falsũ.*

35 *Nec innodatur testis sciens, Titium in extrema indigentia, vel in justam compensationem rem alienam surripuisse; si neget, furtum ab ipso commissum fuisse.*

36 *Non ligatur reservatione, qui requisitus à Judice, juramento asserit, alterum innocentem esse, si sciat illum non peccasse.*

37 *Neque incurrit, qui negat delictum coram Judice, quod solum audivit.*

38 *Sicuti casum declinat, qui juratus celat veritatem coram Judice incompetente; Uti neque, qui utitur amphibologica locutione.*

39 *Evitat etiam, qui occultè est reus, vel complex delicti, & citatus à Judice, ne se prodat, utitur equivocatione, vel mendacio.*

40 *Non vexatur casu deponens falsum coram superiore, interrogante tanquã patre, ad emendationem criminis.*

41 *Neque affligitur, qui coram quocumque superiore, vel in quocumque officio, falsum juramentum præstat; Sicuti,*

ti, qui juramento mentitur coram aliis officialibus publicis.

42 *Non irretitur, qui jurat falsum in judicio privato, & coram Judice à partibus contendentibus privatim cõstituto.*

43 *Sicuti neque obnoxius est, qui mentitur in judicio, & mendacium neque verbali, neque reali juramento confirmavit.*

44 *Existimans jurare coram Judice verũ, si ex errore juret falsum, non incidit in casum; sicuti neque ille, qui existimans jurare falsum, juret verum.*

45 *Non corripitur casu, qui ne cogeretur testificari, mendacium dixit, ob quod dimissus fuit à testimonio in judicio ferendo.*

46 *Testis coram Judice in judicium vocatus, si ex aliqua fraude actum declinet, vel eludat, docent permulti, non peccare contra justitiam, nec teneri ad restitutionem.*

47 *Testis pro falso testimonio ferendo, ante actum nihil accipere potest; secus opere patrato.*

48 *Ad incurrendum casum ob falsificationem scripturarum, requiritur mutatio veritatis, dolum malum, & præjudicium tertii.*

49 *Quid, sit falsificare, & quia veniat nomine falsificationis, quique incurrat hunc casum.*

50 *Casum prædictum evitant falsificans falsas, & injustas scripturas; falsificans, quid minimum; qui cœpit falsificare, & iterum accomodavit; & demum mandans, vel consulens.*

51 *Periuri, & falsificantes scripturas, tenentur ad restitutionem damnorum parti causatorum, & se retractandi etiam cum æquali suo damno.*

52 *Testes pretio inducti ad deponendam in judicio veritatem, tenentur pretiũ restituere, nisi sit datum ex mea liberalitate, aut ut liberius deponant, aut post testificationem, pacto autem non præcedente.*

53 *Non possunt pejerantes absolvi, nisi sit resarcitum damnum tertii.*

54 *Potest absolvi, qui in præsenti est impotens ad restituendum, si habeat verum propositum restituendi quamprimum potest.*

1. PEriurii detestandũ scelus, suam desumit gravitatem, non solum quia illud committentes pervertunt Sacrosancta judicia, & quandoque ob illud homines, facultatibus, fama, vita, & animæ salute privantur, ut infra dicetur, sed etiam quia gravem injuriam irrogant Deo, qui est summa Veritas; quia falsò jurans, aut credit, Deum nescire verum, quod est contra ejus sapientiam, cum illi omnia sint patentia; aut diligere mẽdacium, quod maximè odit (ideoque ipsamet summa veritas, psal. 5. ait. *Perdes omnes, qui loquuntur mendaciũ*) aut derogat potentiæ, quasi non possit illud punire; & denique derogat omnibus hominibus, quia nulla societas, potest inter homines esse, nisi sibi invicem certum teneant, quod per juramentum fit; Ergo detestabilis pejerans, pejerando facit injuriam Deo, crudelis est sibi ipsi, & noxius aliis.

Præterea tale delictum, est grave; quia illud patrantes ob mendacium inseparabilem periurii comitẽ, quod cõmittunt, filii diaboli efficiuntur. Nam ex loquela dignoscitur persona, ex qua regione sit, & ideò Matth. 26. 37., & Marc. 14. ministri Caiphæ dixerunt Petro: *Galileus es tu; nam loquela tua manifestum te facit.* Impurus enim sermo, non puri pectoris index, & juxta vetus adagium: *Ex cantu dignoscitur avis*, sed diabolus mendax est, & pater mendacii; ergo mendax, filius diaboli est. Etiam est hyppocrita, quia simulat quod nõ est. Item homicida sui ipsius; *Quia os quod mentitur occidit animam.* Ideoque meritò deberet mendax subitanea morte, ut *Anania, & Sapphira*, puniri. Falsi enim testes maximum Reipublicæ malum, fallentes Judicem mentiendo, offendendo falso testimonio innocentes, & parvifaciendo Dei præsentiã. Cum ingrati malè abutantur illo linguæ membro, illum offendendo, quod fuit datum ad eum laudandum, orandum &c. ideò etiam Lev. 19. dicitur: *Non pejerabis in nomine meo.* Demum tantæ religionis, & majestatis est juramentum, ut teste Basilio, *in sermone ad adolescentes*; Ethnicus Clymias Pithagoræ domesticus, ne juraret, & si veridice, maluit solvere pœnam trium millium talentorum. Quod si jusjurandum apud Ethnicos, qui in tenebris erant, tantæ existimationis erat, qua nũc debet esse apud nos, qui sumus in Evangelica

gelica luce; & tamen in diem detestando periurii flagitio, non semel summam veritatem offendunt Christiferi.

2 Cum providissimi nostri Episcopi vigilantia adverterit, quod innumera promanarēt mala ex detestabili flagitio illorum, qui prece, vel pretio corrupti veracissimum nomen in testem falsitatis adducunt; sicque hujus adminiculo recta detorquent judicia, tegunt delicta facinorosum hominum, & impunita manent, nec non, & graviter damnificant tertium; & delinquentes, ipsi ad ulteriora, gravioraque, impunitatis spe, properant scelera; pervertunt sacrosancta judicia, quia Judices ob ementiti testis jusjurandum cōtra jus statuere, ac decernere coguntur. Et quod deterius est, non rarò facultates, fama, vita, & salus animæ innocentium in discrimen conjiciuntur. Quapropter, ut tam virulētam à concredito sibi grege arceret pestem, vigilantissimus Pastor, hoc detestabile scelus peculiari, severiorique suo reservavit judicio; & jure optimo, cum etiam jura, tam Ecclesiastica, quàm civilia, præter infamiæ notam, qua periuros homines inurunt, adeò atroces ab ipsis expetunt pænas, ut sæpè numero exilii, verberum, triremis, necnon, & mortis decernunt supplicia.

3. Licet periurium latè significet omne illicitum juramentum, idest cestitutum aliquo trium comitum juramenti, qui sunt *veritas*, *judicium*, & *justitia*: Cæterum strictè, nempè pro ut significat mendacium juramento confirmatum, in proposito casu, sumi debet. Ideoque antequam ad peculiares casuum decisiones deveniamus, aliqua generaliter de periurio & mendacio præmittemus.

4 Igitur periurium est invocatio divini testimonii in confirmationem falsitatis, & mendacii, seù est falsa juratio scienter facta.

Periurium, sicut & juramentum duplex est: Assertorium, & Promissorium; Assertorium, est cum interposito Divini nominis testimonio mentitur circa præterita, & præsentia: Promissorium est mendaciū juramento confirmatum circa rem futuram.

5 Periurium assertorium tripliciter dividi potest, nempè in *Verbale*, *Reale*, & *mixtum*. Verbale, est invocatio Divini nominis, vel invocatione explicata; *ut per Deū ita est*, vel implicita; ut per Crucē, Sacramenta, aut per Sancta Evangelia confirmatum. Reale fit, cum Evangeliorum liber, aut alia scriptura, loco Evangelii, tangitur. Mixtum fit, cum jurans utrumque præstat, Joseph Cabrinus *in Elucid. cas. reser. par. 2. cas. 3.*

6 Dispositio juris reservantis censetur comprehēdere tantum periurium assertorium, tàm *verbale*, aut *reale*, tantum, quā *mixtum*, concurrentibus tamen conditionibus infra n. 21. dicendis; Cum tantum juramentū assertorium deserviat ad eruendam alicujus rei veritatem in judicio, cujus intuitu, Episcopali reservationi fuit judicialis ejusdem violatio subjecta.

7 Insuper advertendum, quod periurium assertorium, aliud est tale materialiter tantum; Aliud formaliter solum. Aliud materialiter, & formaliter simul. Materialiter tantum, est cum quis existimans jurare verum, ex errore, & præter intentionem jurat falsum. Formaliter solum, est cum quis intendens iniqua mente jurare falsum, & reipsa falsum jurat.

8 Certum est, quod periurium, quod est tale solum materialiter, sicuti eximit à culpa, sic etiam eximit à reservationis pæna.

9 De periururio autem formaliter tantum, dubitant DD. Aliqui defensarunt, quod sic jurantes incurrant reservatum, impulsi ab hac ratione, nempè quia sic jurans verè mentitur cum juramento coram Judice; ideoque periurii crimen committit, & consequenter incidit in reservatum.

Alii verò magis examinata rei veritate, ut probabilius tenuere non incurrere; Quia etsi ob pravum affectum, tunc quis mortaliter delinquat contra præceptum naturale Divinum, etsi delictum fit occultum VG. in causa accusationis, ut nullo modo probari possit in judicio, teneatur etiam ad damnorum refectionē; Quia tunc tale delictum quoad forum externum perindè est, ac si non esset commissum; quo casu dicitur *calumniator*, & testes dicūtur *falsi*, & iniqui, ideoque damna inde provenientia resarcienda; tamen non incurrit ullā reservationem ob defectum mendacii, tam materialis, quàm formalis; Quia in dicto casu, etsi talis, periurium committat *affectivè*, & ex intentione pejerantis, non tamen *effectivè*, & ex natura periurii.

-iurii. Sicuti e converso, si putans deponere, & jurare verum in judicio, juret falsum, communiter nec incurrit. Quia ad incurrēdā reservationem requiritur actus internus, & externus; sed in hoc casu de est malitia interna; ergo non incurrit reservationem.

10 Mendacium à *mendæ*, idest vitii, actione dictum; est significatio falsi, vel putati falsi pro vero. Et ex Augustino *lib. 1. contra Mendacium, cap. 42. est enunciatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata.*

Dividitur primò in Materiale, Formale, & Mixtum. Tunc dicitur materiale quando dicitur falsum, quod putatur verum. Formale, quo verum, putatur falsum. Mixtum, quo falsum, putatur falsū.

11 Dividitur etiam in *Jocosum*, quo tantum delectatio quæritur, *Officiosum*, quod nemini nocet, & alteri prodest, & *Perniciosum*, seu damnosum, quod alicui in rebus spiritualibus, corporalibus, aut temporalibus nocet. Primæ duæ species, regulariter sunt venialia peccata. *Perniciosum*, est mortale; si grave damnum ob illud proximo causetur.

12 Mendacium non solum consistit in dictis, sed etiam in factis. *Dicto*, si simulamus esse id, quod non est. *Facto* ut si quis simulet, se esse mendicum, & talis non sit.

13 Tria sunt personarum genera, quæ in judicio falsum dicendo, peccare possunt. Persona falsò accusans; Testis falsus; & Judex malè judicans.

14 Sex etiam sunt species offensionis veritatis nempè Falsitas, Varietas, Contradictio, Vacillatio, Duplicitas, & Mendacium. *Falsitas*, est dolosa mutatio veritatis: quæ mutatio tripliciter fit addendo, minuendo, & in totum novam formā dando. *Varietas*, est quando primò dicitur unum, & postea aliud. *Contradicens*, est, qui primò dicit duo incompatibilia, E.G. tali die, & locò interfuisse venditioni, & postea ait: se illo die alibi fuisse. *Vacillans* dicitur, qui dubitando, & cum timore loquitur. *Duplicitas*, est quando quis sophisticè, & cum malitia respondet, & loquitur, ut fallat. De *mendacio* dictum est supra.

15 Falsum quatuor modis committitur scripto, dicto, facto, & usu. Scripto, committunt Notarii scribendo falsum instrumentum, testamentum &c. *Dicto*, committunt testes falsum dicendo. *Facto*, committunt ii, qui falsam monetam cudunt, aut, qui falsò metiuntur in modio deficiēte, contra quos habetur, illud Deut. 25. ver. 13. *Non habebis in sacculo diversa pondera majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor.* Usu committitur falsitas, falsificando, vel procurando falsificari, vel malitiose abscondendo.

16 Committitur etiam falsum in nominis, vel cognominis mutatione; & quando fit per fraudem, ut qui mentitur nomē suum in contrahendo, in instrumento &c. punitur de falso; sic, qui à seipso legat unū pro alio in nominibus appellativis, ut si quis vellet legare bovem, & scripsit equum, tunc bos non debetur. Quia nomina appellativa sunt immutabilia. Quādo verò fit sine fraude, & cum causa, tunc licitum est, ut si quis haberet malum, aut turpe nomen, tunc licitè potest mutare, ideoque pulchra nomina filiis debent imponi. Quia ex bono nomine, quis præsumitur bonus.

17 Si verò nominis, aut cognominis mutatio fit per superiorem inferiori, tunc etiam à fortiori licita est; Sic Christus mutavit nomen Petro, qui priùs vocabatur Simon. Etiam Pontifici in creatione mutatur nomen, ut ostendatur ad mutationem nominis fieri mutationem hominis; nempè ex puro homine, Dei Vicarius; Talis mos etiam apud Religiosos viget, ut cum nominis mutatione etiam mores mutent.

18 Insuper ad clariorem difficultatum elucidationem, notandum est, quod nomine judicii in casu intelligitur judicium publicum ordinaria, vel delegata potestate inceptum, & constitutum, sive sit civile, sivè sit criminale, sive coram Judice Ecclesiastico, sivè laico, quod cum authoritate per sententiam profertur, causa discussa; Tribusque constat personis Actore, Reo, & Judice, quarum una dempta, resolvitur judicium. Non autem intelligitur judicium privatum, & extrajudiciale, quod fit pro eruenda veritate, adhibito testium juramento, nec pro judicio privato, quod fit à Judice privatim electo, & à partibus contendentibus ad dirimendā inter eos aliquam controversiam constituto. Quia hæc duo non sunt vera judicia, & consequenter, etsi in his cum juramento mentiatur, non incurrunt reservationem.

19 De-

19 Denique dictum judicium publicum aliquando est juridicum, aliquando non; tunc est juridicum, cum Judex juridico ordine procedit, ut esset primò, si actor laboret criminis infamia. Secundò, si damnum immineat communitati, nec possit, nisi per Judicem averti. Tertio, si damnū alicui privato impendeat, nec possit aliter impediri. Quartò, si crimen jam esset semiplenè probatum. Quintò, si procedatur via accusationis, & delictum verè probari possit per duos testes, qui sint contestes, D. *Th. 2. 2. q. 71. art. 1. Less.*, & *Lesm. lib. 3. tract. 6. c. p. 4. n. 8.*

Tunc verò non est juridicum, cum Judex juris ordinem non servat. Casus in quibus Judex non procedit juridicè, ex Less., & Delug. *de justit. disp. 39. nu. 10.* sunt primò: si res innotescat ex Sacramētali confessione. Secundò, si sub secreti naturalis sigillo, alter crimen accepit, dummodò tamen testificatio adavertēdum malum publicum, vel privatum, non sit necessaria. Tertiò, si actor laboret infamia, nec timeatur damnum in futurum. Quartò quando proceditur via accusationis, & delictum plenè probari non possit, vel quia desunt duo testes, qui sint contestes, hoc est, qui conveniant in loco, & tempore commissi delicti, vel contracti debiti in causa civili. Quintò, si ex testificatione notabile damnum ipsi testi, vel ejus consanguineis immineat, præter quam, si alterius damnum publicum, vel privatum praponderet. Sextò, si alter probabiliter in facto non peccavit. Septimò, si accepit à personis nō admodum fide dignis. Octavo si Judex sit impotens. In his enim casibus testis veritatem fateri non tenetur neque juramento, modo verbis ambiguis, mendacium effugiat; quod si illud confirmet, adhuc à pœna reservationis immunis est, ob defectum legitimi judicii, furamento coactus responderet, mentiri non posset. His notatis:

20 Dico primò, quod casus comprehendit non solum quemlibet testem falsum deponentem juridicè, sed etiam omnes alias personas habentes inter se interesse, ut accusator, & reus in criminalibus, actor, & reus in civilibus causis, ac etiam Actuarius, & Subactuarius, Scriba &c. diminutam informationem accipientes, nec scribentes integra testium dicta.

21 Dico secundò, quod ad incurrendam in hac Diæcesi reservationem, cum periurio, requiritur pariter præjudicium tertii, idest damnum grave, sivè circa famam, & honorem, sivè circa vitam; sicuti in falsificatione scripturarum; ideoque confessarius, & si habeat facultatem absolvendi à reservatis, non potest pejerantem absolvere, nisi prius restituat damnum passo, ut ex terminis casus liquet. Ubi verò non habetur prædicta particula, *nempè restitutio, seu præjudicium tertii*, probabiliter docent cum communi, non incurrere casum, etiam non secuto damno tertii, ut quotidiana Ecclesiarum praxis, & doctissimorum virorum auctoritas probant.

Et circa damnum tertii, docent nōnulli Doctores, quod causans alteri damnum negando veritatem, non teneatur ad restitutionem; Quia, ajunt, peccare tantum contra justitiam legalem non obediendo Judici; non autem contra commutativam. Ex eo quia damnum, quod ex illius mendacio alteri sequitur, sequitur tantum negativè, nempè, quia non deponit; non autem positivè; & juxtà hanc sententiam neque incurrit reservatum. Contrarium verò puto omninò esse tenendum. Quia mens reservantis fuit, tum ut consuleret Sanctissimi Dei nominis honori, cui Insignis irrogatur iniuria judiciali periurio; tum ut obviam iret malignis pejerantibus, judicia cum maximo Reip. damno, & præjudicio pervertentibus.

Et quamvis etiam Graf. Bell. & Lupus teneant contrarium; Ex eo quia falsum testimonium, seu falsa dispositio tria necessariò debeat includere, nempè immutationem veritatis, dolum deponentis; & damnum tertii, ita ut si alterum ex his deficiat, non incurratur reservatio. Tamen responsio patet, tum ex dictis; tum quia nomine tertii intelligitur quoque justitia legalis, ut ipsi volunt, cui præjudicium, periurio infertur. Quia tale præjudicium requiritur in omni judiciali periurio etiā si nullum afferatur parti nocumentum.

22 Hinc restat, quod ut incurratur hic casus, requiritur ut grave damnum inferatur tertio; ideò si gravitèr contra aliquem probatum fuerit, tunc etiam si alius testis deponat falsum in tali judicio, non incurrit casum in hac Diæcesi reservatū. Quia posita plena probatione, hic testis nihil operatur; cum possit Reus condemnari ex primis probationibus plenis.

S 23 Etiam

23 Etiam, ut reservationi quis subjaceat, requiritur; ut mendacium juramento confirmet; quia aliter non committit perjurium; si nempè ex incuria, vel inadvertentia Judicis, vel tabellionis nullum deferat juramentum.

24 Ex dictis resolves, subjacere reservationi, qui periurium præstat in judicio, cum Judex ad notitiam, & vindictam delicti procedit tam via inquisitionis, quàm accusationis; si delinquens publica laboret infamia, vel delictum sit semiplenè probatum, vel plenè videatur probari posse. Nam tunc Judex justè, & legitime veritatem inquirit, & propterea testis inique, & contumaciter veritatem periuriò celat.

25 Et si innocens peccet graviter, si ad infirmandam calumniatoris accusationem vel iniqui testis depositionem (tamen non peccat contra justitiam) ipsis crimen, aliis falsis testibus, obiiciat; quia talis actio censetur compensatio, seu potius justa defensio. Testes tamen, quia periuri, casu afficiuntur.

26 Incurrit & ille, qui non legitimè interrogatus à Judice, mendacium tamen positivū jurat in judicio. Quia licet ejusmodi, licitè non possit fieri, si tamen fiat, validè instituitur; nam unus testis omni exceptione major, semiplenam facit probationem, ideoque est verum periurium malitiosi testis in valido judicio.

27 Nec excusantur dicti testes, qui jurati, scienter mentiuntur, fallendi gratia, in judicio, quamvis jure relciantur à testimonio faciendo, uti sunt servi, mulieres, minores viginti annis in criminalibus; In civili, impuberes, inimici, sanguine juncti, socii criminis, inopes, & viles (in causis autem fidei omnes admittuntur, præterquam inimicus capitalis) Nam jus reservans non distinguit, nec nos distinguere debemus, juxta regulam: *Lex generaliter loquens, generaliter intelligenda est*. At si damnum sit causatum ob Judicis imperitiam, V. G. quia malè functus est munere suo; peccat graviter, & tenetur ad restitutionem. Nam Judex tenetur repellere testes inhabiles ad faciendam fidem in judicio.

28 Incidit etiam, qui scienter, & malitiosè præstat *assertorium* periurium, tam reale, quam verbale coram judice competente, vel Notario mandatum Judicis habente; si periurium in alterius damnum præstetur in judicio, imò & si in gratiam, quando Legislator non requirit damnum tertii, licet non teneatur ad damni refectionem.

29 Innodatur etiam ille, qui cum sit testis de auditu, juramento testatur aliquod in judicio, tanquam testis de visu, & certus de facto, & si forte verum sit, quod juravit. Quia mendacium perniciosum, Divini Numinis contestatione confirmat circa specialem circumstantiam, & conditionem, quam jura in testibus requirunt.

30 Incidit testis ille, qui dubiam, & incertam veritatem, juramento confirmat coram Judice tanquam certam, & exploratam. Quia adsunt omnia ad incidendū necessaria, nempe periurium assertorium, malitia testis, & circūstantia judicii; Nā, ut docent Cajet. Silv. Nav. Val. Suar. &c. citati à Sanch. *lib. 3. mor. cap. 4. nu. 13. & 14.* qui jurat rem dubiam, propriè contrahit periurii malitiam. Contrarium tamen sustinent Vasq. cum nonnullis aliis. Ob eandem dictam rationem afficitur, qui delato sibi juramento, subricet veritatem, quam Judici justè, & juridicè requirenti, revelare tenetur.

31 Item incurrit, qui in re parvi momenti, scienter in judicio mentitur; Quia in periurio, & præsertim judiciali, non datur parvitas materiæ, & adest integra periurii malitia, & hoc ubi reservatur periurium etiam sine præjudicio tertii; quia, ut pluries dictum est, non incurritur hic casus in hac Diœcesi, deficiente gravi damno proximi, juxta dicta, n. 22.

32 Et ideò, ut ibidem diximus, testis, qui falsum malitiose in judicio deposuit, postquam innocens per duos, vel tres testes, reus, sive debitor fuit convictus, nō incurrit reservatum, nec secundum Vasq. & Dian. tenetur ad restitutionem. Quia tota causa damni erat data per priores testes. Innodatur tamen, si Legislator in periurio non requirat præjudicium tertii ob commissum periurium.

33 An verò incidat, qui per metum gravem cadentem in virum constantem cogitur, falsum in judicio jurare cū præjudicio tertii?

Affirmant Floronus, & Mazzueh. Quia sicuti metus non excusat à culpa, ità neque à reservationis pœna; & præsertim, quia reservatio est potius ablatio jurisdictionis, quàm pœna. Op-

Oppositum tamen, ut verius, docet Graff. cum Jan. *de casu reser. resol.* 47. n. 15. quod probat ex c. *Sacris de his, quæ vi, metusve causa fiunt*. Quia metus gravis, & si non excuset à culpa mortali ob transgressionē juris naturalis, non cooperandi damno, seu malo proximi; non tamen ligatur lege humana reservationis, quæ non tam rigorosè obligat, & Lex positiva cedit naturali, ait Ant. à Spir. S. & Dia. Suar. Lay. Bon. *de legibus &c.*

Nec probabiliter Reus tenetur testari contra se, si timeat grave malum sibi imminere, dummodò speret malum illud evadere. Quia leges humanæ non obligant ad difficilia, nisi fortè ob communem Reip. bonum, sicuti nec contra consanguineum, ideoque nec reservatum incurrit, ut constat ex dictis. Et demum quia ipse nomine testium non venit, ut dicetur, n. 39.

34 Non est reservationi obnoxius (si reservatio esset lata contra deponentes falsum) testis, qui celat veritatem. Quia valdè differunt falsum deponere, & celare, seu subticere veritatem. Illud dicit positivam assertionem, hoc verò meram non manifestationem veritatis. Periurium autem utrumque comprehendit. At graviter peccat; sicuti inducens ad deponendum objectivè falsum, & si à deponente putetur verum. Nec probabiliter potest sine peccato testem inducere ad testandum ubi quis habet jus in aliqua re, ad quam obtinendam oportet, ut probetur aliqua circunstantia falsa, quam deponens putat esse veram, etsi non incurrat reservatum, quia asserit verum, Viva *in propos.* 24. ab Inn. XI. *proscriptis*, n. 15. & 16.

35 Nec innodatur, qui cum probè sciat, Titium in extrema indigentia, vel in justam compensationem, rem alienam surripuisse de hoc facto citatus à Judice ad testandum, juratus neget, seu non manifestat furtum commissum esse a Titio. Cum non ignoret Judicem procedere ex præsumptione, quod furtum fuerit injustè, injuriosèque commissum.

36 Idem statuendum de illo, qui scit aliquem non peccasse in incendio, homicidio &c. vel ob inculpabilem ignorantiã, ebrietatem, vel necessariam sui defensionem, & requisitus à Judice asserat cum juramento, alterum innocentem esse. Quia, ut vitetur periurium, satis est, si responsio testis intentioni judicis conformetur.

37 Nec innodatur, qui negat coram Judice delictum, quod solum audivit. Quia, Judex rogat testem de scientia facti, non de auditu, & maximè si à personis non fit de dignis acceperit.

38 Nec incurrit, qui juratus celat veritatem coram Judice incompetente; Quia quando quis non tenetur fateri veritatē sine juramento, neque tenetur cum juramento, modò verbis ambiguis declinet mendacium. Sicuti qui coram Judice legitimo utitur sine justa causa amphibologica locutione, & si graviter delinquat, tamen propriè non mentitur, nec pejerat.

39 Nec ligatur reservatione, qui cum occultè sit reus, vel complex delicti, citatus ut testis à judice, ne se prodat, jurando utitur equivocatione, vel mendacio in judicio: Quia licet interrogetur ut testis, ipse tamen censetur respondere, ac mentiri, non ut testis, sed tamquam reus, & complex delicti; neque tenetur se prodere in judicio.

40 Nec incidit deponens falsum coram superiore interrogante non tamquam judice ad puniendum, sed tamquam patre ad criminis emendationem. Quia deficit vera ratio, & conditio judicii.

41 Nec incurrit, qui coram quocumque superiore, vel in quocumque officio, falsum præstat juramentum. Quia reservatio intelligitur de pejerantibus coram legitimo Magistratu, & in judicio constante Actore, Reo, & Judice. Nec qui juramento mentitur coram aliis Officialibus publicis.

42 Excusantur etiam, qui jurant falsum in judicio privato, & coram Judice à partibus contendentibus privatim constituto. Quia tantum periurium in publico judicio censetur reservatum.

43 Non incidit, qui mentitur quidem in judicio, sed mendacium nullo modo, aut reali juramento confirmavit. Quia mendacium sine juramento non est periurium, & juramentum est de essentia judicialis testimonii.

44 Idem resolvitur de illo, qui existimans coram Judice jurare verum, ex errore juravit falsum. Quia cum nihil affirmaverit contra suam mentē, non committit mendacium, & consequenter neque periurium, nisi materialiter.

Nec ille, qui intendens judicialiter jurare falsum, reperit deindè, se præter in-

tentionem jurasse verum. Nam ad incurrendam reservationem, requiritur perjurium, quod sit formaliter, & materialiter simul; & licet jurans diceretur affectivè jurasse falsum, non tamen effectivè: vide dicta n. 9.

45 Idem dicendum de illo, qui ne cogeretur testificari coram Judice, mendacium dixit, ob quod dimissus fuit à testimonio ferendo in judicio; ut si dixit, reum sibi esse inimicum; Quia non reservatur simplex mendacium coram Judice, juramento confirmatum cum præjudicio tertii, quod dicitur judiciale perjurium.

46 Obiter nota, quod testis, qui in judicium vocatus coram Judice, tergiversatione, vel fraude aliqua testificando, actum declinat, vel eludit, probabiliter, ut docent Molina, Less. Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 2. c. 4. n. 7. vers. sed neque*, non peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, quia testis ad veritatem, quam novit aperiendam, non tenetur ex justitia, sed solum ex charitate erga innocentem: Ex obedientia verò erga Judicem præcipientem; vel denique ex fidelitatis, vel Religionis virtute etiam si juravit fateri veritatem; ideoque cum non peccet contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem.

Contrarium tamen tenet Sot. Nav. Reg. &c. ajentes, quod hoc ipso, quod testis citatus comparuit in judicio, ipsique impositum est præceptum à Judice, tenetur ex justitia testimonium dicere.

47 Pro falso verò testimonio ferendo ante actum, nihil testis accipere potest; patratò autem opere, quod tamquam pretium sibi datum est, potest retinere, ut docet Less. *lib. 2. cap. 18.* Quia periculum ab eo in alterius gratiam susceptum, pretio æstimabile est.

48 Circa falsificationem scripturarum, ob quam incurritur reservatum, has tres conditiones requirit, nempè *mutationem veritatis, dolum malum, & præjudicium tertii*: quorum si unum deficiat, non incurritur reservatum peccatum.

49 Falsificare ex Azone est immutare veritatem ex certa scientia, hoc est dolosè; Et nomine falsificationis intelligitur additio, mutatio, vel detractio aliqua à scripturis, cum tunc reddatur falsa; quod fieri potest addendo, seu scribendo, vel subscribendo. Item radendo, secando, aut lavando, ita ut mutetur sensus; ideoque ad cognoscendam veritatem pro incursione hujus casus, non est attendenda quantitas verborum, sed significatio immutata. Ideoque incurrit hunc casum, quicumque modis prædictis graviter falsificat scripturas cum gravi præjudicio tertii. Et hoc extenditur etiam ad comburentes, & lacerantes.

50 Tamen casum hunc effugit falsificans Judicis scripturas ab ipso falso, & injuste factas. Quia in utilitatem, non autem cum præjudicio tertii agit. Neque si falsificat quid minimum, & non præjudicans tertio; aut qui cæpit falsificare, sed postea pœnitentia ductus iterum accomodat. Excluduntur etiam mandantes, & consulentes. Non enim est facienda extensio ultra propriam verborum significationem. Sicuti neque, qui falsificavit, de novo fabricando scripturam, quæ non facit fidem. Quia cum scriptura hujusmodi non præbet, sequitur quod non sit præjudicialis, & scriptura quæ non affert præjudicium tertio, propriè falsa non dicitur.

51 Perjuri, & falsificatores scripturarū tenentur ad integram refectionem damnorum, & retractandum suum dictum, etiam cum æquali suo damno, & periculo, si ex eo provenerit parti periculum vitæ, famæ, vel fortunarum, quoties tamen retractationem suam sperent pro futuram; Quia in pari damno, & periculo potior, & melior est innocentis conditio, ut docent Less. Bon. &c.

52 Si verò testes pretio inducantur ad deponendam in judicio veritatem, debet testis pretium acceptum pro veritate dicenda restituere. Quia etsi testis non teneatur ex justitia deponere in judicio, tamen, si testificari velit ex justitia verum, gratis deponere tenetur, lib. 3. §. *lex Julia, ff. tert.* si quidem opera justitiæ non possunt fieri venalia, *lib. 4. si tibi, ff. de condit.*

Secus dicendum, si pecunia detur ad alliciendum ipsius animum, ut liberius deponat, aut det ex mera liberalitate, sicuti si det post testificationem, dummodò tamen non præcesserit pactum, aut promissio. Quia veritas, seclusis his titulis, non est pretio æstimabilis.

53 Circa verò absolutionem, non possunt, nisi resarcito damno tertii, ut in terminis casus patet, ideo confessarii haben-

bentes facultatem, inquirere prius debent de damno tertii causato, quo restituto absolvantur.

54 Sed petes, an qui in præsenti est impotens ad restituendum, possit absolvi, si promittat, se quamprimum potest, restituere velle?

℟. posse absolvi, si revera per ipsum non restat, ut damnum tertio causatum restituatur, & habeat veram intentionem restituendi statim ac potest. Quia etsi legislator nolit concedere facultatem confessario absolvendi pœnitentem, nisi peracta restitutione damnum passo; Tamen supponit, quod possit, saltem brevi tempore, & nolit; nec est cogendum ut expectet longum tempus impotens, ut interim potens restituat. Quia tenetur quis quamprimum potest converti ad Dominum; aliter, qui semper est impotens, nunquam posset absolvi.

CAPUT XII.

Casus duodecimus cum censura.

Detentio legatorum, vel aliorum bonorum Ecclesiasticorum, laudemiorum, reddituum, censuum quorumcumque.

APOPHASIS.

1 *Grave crimen est, detinere legata, & alia bona Ecclesiastica.*

2 *Quid prohibeatur in hoc casu, & quid veniat nomine bonorum Ecclesiasticorum?*

3 *Quid sit laudemium? quantum ejus pretium? & laudemium solvitur pro alienatione voluntaria.*

4 *Quid sint redditus, & unde dicti?*

5 *Innodantur supradicto casu omnes detinentes legata, bona Ecclesiastica, laudemia &c., & non denunciantes illos intra 15. dies, ipso facto ligantur excommunicatione.*

6 *Nec eximuntur à dicto casu detinentes glandes, castaneas, sylvas &c.*

7 *Afficitur pariter retinens redditus ab aliis ereptos statim ac illos ut proprios retinere incipit.*

8 *Quid, & quotuplex sit census, & unde derivet? & de quo intelligatur præsens casus?*

9 *Non incidit, qui detinet legata, & alia bona à prædecessoribus relicta ad pios usus, si absque sua culpa existant apud alium.*

1 QUam gravi, & inhumano se obstringant flagitio, qui indebitè legata, vel alia bona Ecclesiastica detinent, indicant pœnę contra illos latæ. Nam prohibetur in Bulla Cœnę §.17.& in Trid. *sess.22.cap.11.de refor.*, *& in constitutionibus Pauli II.*, *& Urban. VIII.* Enim materia hujus casus, sacrilegium est. Igitur meritò noster legislator etiam ipse addidit huic flagitio reservationem cum censura, ut flagitiosi homines à tantis pœnis territi ab hoc pestifero animæ delicto abstineant.

2 Vetatur in hoc casu omnis detentio legatorum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum, laudemiorum, reddituum, & censuum cujusvis generis. Ideo videndum, quid veniat nomine prædictorum. Verum quia de legatis abundè dicetur infra *in casu* 14. videndum modo quid veniat nomine aliorum bonorum in casu expressorum. Ideò sciendum, quod nomine bonorum Ecclesiasticorum veniunt omnia bona Ecclesiarum, aut alterius loci pii; sed non venit patrimonium Clericorum; quia non est immediatè Deo, & Ecclesiis dicatum, sed solum in alimentum temporale ordinati, ut constat ex Trid.

3 Laudemium, est certum pretium à novo emphyteuta solvendum in recognitionem dominii proprietatis, quod habet Dominus directus fundi. Laudemii pretium ex lege, est quinquagesima pars pretii rei venditæ, vel alienatæ in signum dominii directi, & in recognitionem dati consensus, l. 3. C. *de jure emphyteutico*. Tamen alicubi aliter solvitur juxta consuetudinem loci, sed non potest excedere dictam partem quinquagesimam pretii rei venditæ, prius in emphyteusim concessæ, l.fin.C.*de jur.emphyt.* Nec solvitur pro alienatione necessaria, sed tantum pro voluntaria, Felix Potestas *in exam. confess. tom.1. par. 2. de septimo Decalogi præcepto, cap.*2435.

4. Redditus sunt annui fructus ex bonis, aut aliis rebus, dicti à redeo, eo quod singulis annis redeant, & juxta hanc derivationem scribi debet cum una, d, vel à reddo, eo quod fundus redditus ferat; Sicuti proventus à provenio dicitur. Nomine reddituum veniunt fructus naturales, industriales, mixti, & civiles. Quia omnes hi sub census definitione veniunt.

5 Ac

5 Ac propterà incurrunt hunc casum omnes detinentes legata, bona Ecclesiastica, laudemia &c. Liquet ex Synodo *cap. 21. de rebus Ecclesiae excolendis, & non alienandis*, §.12.pag.196.ubi habetur, quod usurpantes,aut sub quovis pretextu sive per se, sive per alios indebitè detinentes Ecclesiae, vel cujusvis loci pii bona, jura, census, fructus, obventiones, instrumenta, libros, & cujuscumque generis scripturas, non solum incurrunt poenas, n.1. dictas illi, qui praedicta detinent, sed etiam ex cit. Syn:§.13. incurrunt ipso facto excommunicationem non denunciantes intra quindecim dies detentores praedictorum bonorum &c.

6 Eodem casu afficiuntur detinentes glandes, castaneas, sylvas, caeduas, triticum, uvas, pensiones domorum, vel praediorum &c. Quia dicta sub redditum nomine continentur.

7 Nec eximitur retinens redditus ab alio ereptos, ut si filius retineat fructus iniquè à patre sublatos, statim ac illos ut proprios retinere incipit. Cum tunc dicatur detinere,& idem peccatum furti committitur detinendo, ac usurpando.

8 Postremo loco posuit in casu Legislator: *censuum quorumcumque*, ideo videndum quid, & quotuplex sit census, & unde dictus?

Census apud Canonistas, & Theologos est jus exigendi annuam pensionem ex re vel persona alterius utili, seu frugifera. Census antiquo Romanorum jure à censendo, seu aestimando derivat. Nam olim singulorum facultates aestimabantur, & onera quoque distribuebantur. Et juxtà Livium lib.1.ortū habuit à Servio Trullo Romanorum Rege, qui fuit primus ad patrimonii aestimationem inducendam. Et quamvis multas significationes habeat; Nam sumitur pro tributo per capita imposito, ut Matth.22.17. *Licet censum dare Caesari, an non?* At in nostro casu accipitur, ut in ejus definitione; Cum omne comprehendatur sub nomine redditus, qui plus latè patet.

Census, alius est resignativus,ut si quis legando, donando, vendendo &c.bonorū suorum dominium directum, & utile trāsferat in alterum, reservata sibi ex iis annua pensione. Alius, est consignativus,ut si quis alteri consignet jus annuae pensionis ex industria suae personae, vel ex suis bonis, retento dominio eorum utili, & directo.

Ex parte fundamenti, census consignativus dividitur in realem, personalem, & mixtum. Realis, est, qui fundatur super persona, quatenus suo labore,& industria est utilis. Mixtus, est, qui fundatur super utrumque.

Ex parte materiae dividitur in fructuarium, seu ex quo debentur fructus, V.G. frumentum, & pecuniarium ex quo debetur pecunia, cujus quantitas si est determinata dicitur certus; incertus si non determinata.

Ex parte temporis dividitur in perpetuum, & temporalem. Perpetuus est, cujus nullum redimendi tempus,aut pactum opponitur. Temporalis, cui adiicitur, V.G. ad vitam unius,vel duorum; & hic *vitalitius* dicitur.

Dividitur ex eadem ratione in redimibilem refuso pretio, & potest esse vel ex parte solius venditoris, vel utriusque; & in irredimibilem, qui nunquam redimi potest. Praesens casus intelligitur de quocumque censu, ut patet ex supradicta particula apposita in casu.

9 Non incidit, qui detinet legata, & alia bona supra relata à praedecessoribus relicta ad pios usus, si existant apud aliū absque sua culpa. Quia non dicitur detinere, neque est in causa.

CAPUT XIII.

Casus decimus tertius cum censura.

Impedientes malitiosè, vel occultantes voluntates defunctorum.

APOPHASIS.

1 *Quàm grave delictum committant malitiosè impedientes, sive occultantes defunctorum voluntates, & quibus poenis subiiciantur?*

2 *Dispositio reservantis, comprehendit non sol in illos,qui ex naturali,vel positivo Jure, sive ex officio, seu pacto tenentur,ut innotescant defunctorum voluntates,sed etiam omnes malitiosè,& culpabiliter praestare intermittentes.*

3 *Quid sit malitia, seu culpa, aut negligentia? & quid sit impedire, & dolus?*

4 *Duplex datur culpa, una civilis, seu juridica, Theologica altera. Et quotuplex sit culpa civilis?* 5

5 *Reservatio est intelligenda de culpa Theologica, at etiam de culpa juridica latissima, & latiori, & juxta aliquos etiam de culpa lata, seu crassa. Et comprehenditur in casu quicunque impedit per vim, vel fraudem defuncti voluntatem.*

6 *Innodantur casu liberi legitimi si scienter dolosè impediant vel occultent defunctorum voluntates.*

7 *Quoque incidunt hæredes ab intestato, & ex testamento non necessarii, si subdolè agant, ut occultentur voluntates defunctorum, sive relictæ sint in testamento, sive quocumque alio modo.*

8 *Non ab hoc casu exempta uxor est, si captiosè impediat, aut occultet voluntatem sui viri defuncti.*

9 *Ligantur pariter casu parentes, malitiosè impedientes, sive occultantes voluntates præmortuorum liberorum puberum. Idemque dic de uxore, & præcipui circa bona parapbernalia, & de aliis.*

10 *Non tamen afficiuntur, qui ex gravi metu, seu ex alia gravi causa impediunt, seu occultant dictas voluntates.*

11 *Neque ligatur testes adstantes in ultima testatoris voluntate.*

12 *Nec innodantur consanguinei illi, qui à proximioribus fuerunt exclusi ab ade unda hæreditate ab intestato.*

13 *Similiter laqueum reservationis vitat, qui ex culpa levi, & à fortiori levissima, non manifestat, aut malitiosè impedit defunctorum voluntates.*

14 *Etiam à casu eximantur, qui ex gravi metu, seu ex alia gravi causa impediunt, seu occultant dictas voluntates.*

15 *Non ligatur hoc casu, qui impedit solutionem legati pii, ex eo quia debet consequi pecuniam à loco pio, vel à testatore, aut suis hæredibus.*

16 *Neque incidit ille, qui occultat bona relicta, si retineret animo compensandi. Sicuti neque, qui non implet promissa inter vivos.*

17 *Confessarius de quo debeat interrogare pœnitentem, qui defuncti voluntatem impedivit?*

1 QUibus non patet quam grave committant facinus malitiosè impedientes, vel occultantes defunctorum voluntates subdole supprimendo, & occultando testamenta, ut maneat interclusa omnis via urgendi hæredes ad ultimas voluntates exequendas. Hinc jure optimo testamenta occultantes, crimine falsi teneri, docent Bart. in l. *et stam. ff. de falsis*, & in l. *sub prætextu, C. de transf.* Quas juris constitutiones licet DD. intelligant de solo Notario ut persona pu[illegible]a: Nihilominus de omnibus testamenta occultantibus esse intelligendas, constat ex l. *qui testamentum*, quæ universaliter de omnibus loquitur.

2 Modò cum in casu generaliter dicatur impedientes malitiose, sive occultantes voluntates defunctorum, satis indicat sub reservantis dispositione comprehendi non solum eos, quibus ex naturali, vel positivo jure, ut sunt consanguinei, seu hæredes; sive ex officio, ut sunt Notarii, de quibus abunde *in secunda parte casus* 14. Vel quibus pacto solum tacito incumbit obligatio curandi, ut disposita in testatorum tabulis intra præscriptum temporis spatium innotescant; Sed etiam omnes alios, qui malitiosè, seu culpabiliter id præstare intermittunt. Ideo

3 Pro faciliori casuum intelligentia, & decisione notandum 1. quod malitia, seu culpa, aut negligentia definiri potest, quod sit discessus ab eo, quod bonum, ac debitum est. Et duo connotat, nempe obligationem ex justitia ex parte ejus, qui rem debitam non præstat: & omissionem, seu discessum ab ipsa re. Differt tamen culpa à negligentia, quia culpa est cum scientia effectus pravi secuturi; Negligentia est sine scientia damni. Impedire est obstare, & impedimento esse, ne quid fiat. Dolus est machinatio ad alterum decipiendum adhibita, & cum scientia, & intentione fallendi, seu nocendi.

4 Notandum 2. quod duplex datur culpa una civilis, seu juridica, Theologica altera. Civilis est omissio solertiæ, ac diligentiæ requisitæ ad impediendum proximi damnum, & dicitur latissima, si sit apertus dolus, qui si fiet solo animo, dicitur calliditas, quæ propriè fit tacendo: Si verbis mendacibus, fallacia, quæ fit mentiendo: Si factis, fraus, seu dolus falsus; Si arte verborum sine mendacio, dicitur machinatio. Latior verò dicitur, si sit dolus præsumptus, vel apparens, cui annumeratur ignorantia juris communis, &

hæc

hæc quandoque confunditur cum latissima, & appellatur dolus.

Culpa civilis lata, quæ etiam dicitur crassa, est omissio diligentiæ communis, quam scilicet omnes ejusdem ætatis, & conditionis adhibent, vel adhibere deberent; ideoque reipsa adjunctam habet positivam negligentiam.

Levis est omissio exactæ diligentiæ, quam solertes ejusdem ætatis, & conditionis, ac muneris adhibere solent. Levissima, est omissio exactissimæ diligentiæ, quam solertissimi ejusdem ætatis &c. in in præstanda re aliqua, adhibere consuescunt.

Culpa verò Theologica, quæ est peccatum contra mores, & legem Dei, est omissio studiosa, dolosa, & injuriosa rei ex justitia debitæ, atque ideo propriè dictum *injustitiæ* peccatum.

5 Reservatio igitur est intelligenda de culpa Theologica, nimirum de dolosa, & injuriosa omissione curandi, ut piæ voluntates defunctorum non adimpleantur; ac etiam de culpa juridica, seù civili latissima, & latiori quando confunditur cū latissima; & nonnulli Doctores intelligunt etiam de culpa lata, seù crassa, quæ in delictis æquiparatur dolo, & injuriam mortalem continet, & potissimum in illis Diæcesibus, in quibus reservatur sub his terminis; nempè *negligentia eorum*, *qui non curant*, *ut testatorum tabulæ innotescant*. Non autem de culpa levi, & multo minus levissima, quæ cum à mortali noxa in foro conscientiæ excuset, consequenter ab hac reservatione censeri debet exclusa. Et meritò quia ex illa particula malitiose apposita in casu, satis liquet, quod ad incurrendum hunc casum requiratur dolus, fraus, fallacia, captio, perfidia.

Igitur comprehenditur sub casu impediens per vim, vel fraudem defuncti voluntatem, ne condat testamentum, ut non relinquat rem alicui, non vocando Notarium, vel testes, aut illos minis impediendo, ne introirent &c., & quandocumque ex proposito, atque dolosè, & data opera impedit, & obstaculo est, ne testator condat testamentum, vel disponat ad pias causas, aut mandando Notario, ut aliter scribat, quàm testator disposuit, occultando &c.

6 Quoque in hunc casum incidunt liberi legitimi, si cum ipsos non lateat dolosè impediant, vel occultent defunctorū voluntates: Et si ex negligentia, vel avaritia, legata patris ultra modicum tempus adimplere intermittant, confessarius non debet illos absolvere, nisi adimpleant, *cap. qui oblationes 13. quest. 2.*

7 Similiter incidunt hæredes ab intestato, & ex testamento non necessarii, si subdolè agant, ut defunctorum voluntates occultentur, sive sint factæ in testamento, sive in codicillo, sive tantum verbis, aut tantum nutu sint manifestatæ. Quia, ut dicetur in casu sequenti, legata quocumque modo fiant, sunt valida.

8 Neque ab hoc casu est immunis uxor, quæ captiosè impedit, aut occultat voluntatem sui defuncti viri. Item quando deficientibus viri consanguineis, usque ad decimum gradum, juxtà dispositionem juris communis, successit ab intestato in mariti hæreditatem, si ex lata culpa illius impediat voluntatem.

9 Ligantur pariter parentes malitiosè impedientes, sive occultantes voluntates præmortuorum liberorum, qui disposuerunt de bonis castrensibus, vel quasi, si tamen sint puberes. Quia de dictis cum habeant dominium directum, & utile, seù non solum proprietatem, sed etiam usumfructum, possunt de illis liberè disponere. Idem dic de uxore, & potissimum circa bona paraphernalia. Et de omnibus aliis n. 2. dictis.

10 Tamen non incidunt, qui ex relatu ipsius testatoris, vel testium, aut ex notitia aliunde habita norunt pias defunctorum voluntates. Quia hi cum non sint hæredes, non tenentur ex obligatione justitiæ ad id incumbere.

11 Neque testes, qui ad fuerunt in ultima testatoris voluntate. Quia illi ad aliud non tenentur ex justitia, quàm ad fidem coram Judice faciendam, quoties ad id vocati fuerint, non autem ad curandū ut innotescant piæ dispositiones in testamento contentæ.

12 Nec incidunt consanguinei illi, qui ab adeunda hæreditate ab intestato à proximioribus fuerunt exclusi. Quia ipsi non incumbit talis obligatio, sed iis qui reipsa hæreditatem adierunt.

13 Reservationis telum effugit, qui ex culpa levi, & à fortiori levissima, non manifestat, aut malitiosè impedit voluntates

tes defunctorum. Quia cum in dicto casu excusetur à culpa gravi, consequenter etiam à reservatione, quæ non nisi ob lethalem culpam incurritur.

14 Similiter à casu eximuntur, qui ex gravi metu, seù alia gravi causa impediunt, seù occultant dictas voluntates. Quia, ut sexcenties dictum est, humanæ leges non obligant cum gravi incomodo.

15 Nō incidit in hunc casū, qui deberet consequi quantitatem pecuniæ à loco pio vel ab hæredibus testatoris, seù ab ipso testatore, & ex hoc impedit solutionem legati pii, instans pro sua satisfactione. Quia legata non debentur, nisi deducto æræ alieno.

16 Neque irretitur occultans bona, quæ fuerunt relicta, si retineret illa animo sibi compensandi. Nec innodatur non implens promissa inter vivos per patrem defunctum. Cum illę promissiones inter vivos factæ propriè ultimæ voluntates non dicantur.

17 Confessarius demum, debet subtiliter interrogare pœnitentem, defuncti voluntatem impedientem, an illius voluntas erat omninò firmata? an pœnitenti de jure debeatur hæreditas, & ille turpem personam instituere volebat? an minis, vel dolosè; aut blandis verbis sine dolo, ne fraudaret illum, cui debebatur hæreditas &c. Quia aliquando tenetur restituere damnūm, & si aliquando non ex æquo, sed judicio boni viri. Quia minus est habere rem virtute, quàm actu, & poterat animus infirmi mutari.

CAPUT XIV.

Casus decimus quartus, & novissimus cum censura.

Non solventes legata pia, & Notarii, ac Parochi, sive alii non transmittentes ad Cancellariam Episcopalem notulam eorundem legatoru infra quatuor menses à morte testatoris.

PARS PRIMA.

Non solventes legata pia.

APOPHASIS.

1 *Quàm inhumaniter se gerant non solventes legata ad pias causas?*

2 *Quare csster præsint Antistes rigorosè decrevit, Sacerdotes statim debere adimplere numerum missarum deficientium?*

3 *Quam graviter peccent Sacerdotes, qui vel non satisfaciunt oneribus missarū, vel si satisfaciunt, satis minutim, & sero?*

4 *Non possunt Sacerdotes accipere eleemosynas manuales, nisi oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova onera suscipere valeant.*

5 *Sacerdotes obligati ad plurimas missas, quas per seipsos legere non possunt, peccant lethaliter; sicuti etiam diu illas differendo.*

6 *Ut judicetur quis dicatur diu differre missas, attendi debent circumstantiæ, & causæ, pro quibus missa petitur.*

7 *Quid, & quotuplex sit legatum?*

8 *Præsens casus intelligitur de legatis piis tantum, non profanis. Et quid requiratur ad constituendum legatum pium?*

9 *Legatum pium ad sui valorem, nullam requirit solemnitatem, imo in foro conscientiæ sola voce, & nutu valent legata pia; Sicuti etiam captatoria.*

10 *Legata pia non corruunt ob incertudinem personæ, & executioni mandāda sunt, ubi testator domicilium habet, nisi sit extraneus.*

11 *Legatum relictum Ecclesiæ sine expressione loci, debetur Parochiæ habitationis.*

12 *Legata relicta ad unum usum, non possunt ad alium, & si piū, converti, nisi ex justissima causa, & cum hæredum consensu. Et quando inveniuntur inducta, & si non constet de testatoris intentione, tenentur hæres ea solvere.*

13 *Si legata pia nequeunt applicari ad eum usum, quem testator voluit, non sunt caduca, sed debent ad aliam piā causam applicari, & quantum fieri potest, debent voluntatem defuncti adimpleri. Et voluntate testatoris ambigua, interpretanda est pro causa pia.*

14 *Commutationes legatorum spectant ad Pontificem, concurrente justa, & necessaria causa.*

15 *Etiam ab Episcopo probabiliter fieri possunt commutationes piarum voluntatum, concurrente justa causa, & hæredis consensu.*

16 Non licet Episcopo commutare voluntates testatorum, nisi in casibus, qui non possunt adimpleri impedimento juris, vel facti.

17 Commutatio ultimarum voluntatum debet fieri in usus non longè à testatorum voluntate distantes; Tamen quando à principio adimpleta fuit, si tractu temporis supervenerit impedimentum, tunc recurrendum est ad Papam.

18 Debitores legata pia solvere negligentes, duplicis generis esse possunt, nempè vel hæredes, vel aliæ personæ.

19 Probabiliter docent, quod dispositio juris reservantis comprehendat tantum hæredes, quos testator ratione aditæ hæreditatis adstrinxit ad persolvenda legata pia.

20 Quando in casu assignatur terminus, intra quem sunt solvenda legata pia, incipit vigere, juxta Laym. à die habitæ illorum notitiæ, vel secundum alios à die aditæ hæreditatis, & quando heres non potest hæreditatem adire, tempus, quod elabitur, non est intra terminum computandum.

21 In locis, in quibus à jure reservante non præfigitur terminus, tunc obligatio adimplendi legata ad pias causas censetur incipere à die habitæ notitiæ, vel perceptæ hæreditatis, nisi terminus beneficio juris communis prorogetur.

22 Ubi nullus est præfixus terminus, tenetur hæres quamprimum solvere legatum.

23 Quantum temporis importet particula illa quamprimum? est gravis inter Doctores altercatio.

24 Quæ sint pœnæ statutæ jure communi contra hæredes negligentes solvere legata ad pias causas?

25 Hæres, qui solutionem legati pii ultra modicum tempus distulit, si postea illud solvat, potest absolvi à quocumque confessario, si reservatio sit lata sub terminis: tandiu quandiu in mora fuerit. Secus si sub aliis terminis, ut in hac Diœcesi, quamvis non desint, qui aliter sentiant.

26 Defunctus, qui bona sua ad pios usus reliquit, si hæredes, vel executores diu differant, percipit quoad meritum, fructum relictæ eleemosynæ; secus quoad beneficium satisfactionis.

27 Morientis culpæ est imputandum, qui mandavit restitui per hæredem, qui non restituit; dummodò commodè, & sine scandalo, poterat ipse antequam decederet, restituere.

28 Juxta sententiam Lupi ligantur reservatione, qui ultra sex menses, cessante omni impedimento solutionem legatorum piorum negligunt.

29 Incurrit casum, qui legatorum solutionem negligit, eo quod majus incommodum sibi proventurum sit, quàm legatario.

30 Incidit etiam, qui ultra medium annum absque causa protrahit, & si id agat, ut majori pauperum utilitati consulat; vel defunctorum fructui.

31 Non effugit casum, qui relinquit insolutam partem legati, si sufficiat ad constituendam culpam gravem. Sicuti neque administrator alterius loci pii, si non solvat.

32 Nec excusatur, qui cum post mortem testatoris possit adire hæreditatem, & legatis sibi notis satisfacere, ultra tempus notabile percipere culpabiliter illam neglexit. Sicuti, qui ex ignorantia affectata, vel incuria mortaliter culpabili, ultra sex menses non satisfecit.

33 Ligatur, qui solutionem legati pii negligit, prætextu gravis indigentiæ, vel quoad statum, vel quoad victum.

34 Bona, alia sunt superflua respectu vitæ, alia respectu status.

35 Triplex datur proximi necessitas, Extrema, Gravis, & Communis.

36 Necessitas status, non eximit non solventem à reservatione, nisi esset tam gravis, ut confessarii judicio, debitor pro tunc, non possit dici culpabiliter negligere.

37 Si Creditor æquali, vel quasi æquali necessitate prematur, debitor non est absolvendus, nisi in extrema indigentia versetur.

38 Necessitas victus eximit non solventem à reservatione, nisi creditor in pari necessitate existat, & nisi possit ad partem dividuam quando legatum est divisibile.

39 Non ligatur reservatione, qui intra debitum tempus non solvit legatum profanum. Nec juxta Graff. qui ultra medium annum differt legatum pium personæ diviti solvere.

40

40 *Nec incidit, qui ultra terminum neglexit solvere reale debitum, licet loco pio sit solvendum. Quid nomine loci pii veniat?*

41 *Non incurrit hæres, qui intra debitum tempus non solvit legatum pauperi consanguineo factum.*

42 *Nec qui statuto tempore neglexit solvere loco pio, quod illi debetur ex cōductione, vel emptione bonorum ejusdem loco pii.*

43 *Est immunis à casu, qui ratione donationis inter vivos, vel mortis causa, est in culpabili mora solvendi aliquid Ecclesiæ, vel alio loco pio.*

44 *Tutor, Curator, aliique ultimarum voluntatum executores non solventes intra debitum tempus legata pia, probabiliter non incurrunt casum.*

45 *Non incurrit, qui protrahit executionem legati pii per novitium facta.*

46 *Nec telum reservationis incurrit, qui ante sex menses solutionem legati pii neglexit, & si absque justa causa*

47 *Extra telum reservationis existit, qui non solvit debita à defuncto, vel ejus intuitu contracta.*

48 *Reservationi non est obstrictus, qui legata pia nō solvit ob extremam inopiam. Nec redeunt reservatio, & obligatio, si ad meliorem fortunam redierit, nisi propria culpa ad illam sit redactus.*

49 *Excusatur etiam, qui premitur necessitate valde gravi, nisi legatarius sit in pari necessitate: sicuti etiam, qui ex ignorantia, & oblivione inculpabili ultra tempus protrahit legati pii solutionem.*

50 *Nec incurrit ille, cui testator longiorem sex mensibus ad satisfaciendum concessit terminum, aut quando legatarius prorogavit.*

51 *Nec ligatur, qui intra debitum terminum convenit cum legatario, præstando illi cautionem. Idem dic de illo, qui compensatione utitur.*

52 *Eximitur, qui intra debitum tempus deponit apud alium, quod legatario tunc absenti, est persolvendum, & etiā si per seipsum non fiat, quominus solutio pii legati congruo tempore sit facta.*

1 QUàm inhumani, & feri sint hæredes, & omnes alii, & potissimum Sacerdotes, non solventes legata ad pias causas relicta, non solum liquet ex iis, quæ de atrocitate pœnarum purgatorii ex scriptura, & Sanctis Patribus congerit Bellar. *lib. 1. de Purgatorio*; sed etiam patet ex illis Sanctarum Animarum ad hæreces, & alios retardantes, aut non implentes dicta legata plenis dolore, & querimonia verbis, *Job. 19.22. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Dum enim ipsi differunt suffragia, causa existunt, ut productior sit eorundem cruciatus, & detineantur in carcere flammarum inclusæ, donec respōdentes culpis luerint pœnas. Ideoque meritò tales à sacris canonibus. *Egentium necatores* appellantur. Nam, si de viro, uxorem infirmam derelinquente, statuit Lex *si ab hostibus, §. si vir, ff. soluto matrimonio* ibi: *Si maritus ægrotantem uxorem deseruit, idem est, ac si occiderit*; quāto magis sæviores erunt homicidæ hæredes, & alii, qui deseruerunt illas infortunatas animas, non ægrotas super lectum plumarum, sed cruciatas in igneo equore, & catachysmo pœnarum; Certe isti se ostendunt crudeliores Nerone, qui ad mortem suam matrem Agrippinam conduxit; cum hic occidit corpus non animam, ut illi. Ideo nō mirum si Ordinarii ferè omnes, ut exequantur pias defunctorum voluntates, edicto statuere solent, ut qui solutionem ex legato pio debitam longius prefixo ab ipso termino detulerint, Episcopali reservationi sint obnoxii.

2 Et hac de causa cum hæc scriberem, providissimus meus pastor D. Dominicus Antonius Cyrillus in præsentiarum Episcopus Theanensis occasione Visitationis factæ anno 1731. mense Majas, quia reperit maximum numerum missarum celebrandarum a decem annis ante deficientes, & præcipuè in quadam Terra, in qua numerus missarum deficientium ab anno 1721. usque ad annum 1731. ascendebat ad missarum sex millia, & centum, ideò decrevit, ut in gemino termino (nempe ut qui debebat satisfacere triginta missas, spatio duorum mensium illas adimpleret) possent satisfacere tam missis præteritis, quàm præsentibus; & hoc sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.

Alto judicio hoc egit, & præcipue quia recte cognovit, quàm grave sit, & inhumanum non adimplere legata pia,

imò, & adimplere, sed non tempore suo; Et etiam quia vidit non paucos Ecclesiasticos obstrictos maximo missarum numero, nec ideò cessantes à susceptione aliorum onerum, ob maledictum interesse, ob quod aliqui, ut habet Ugo *in Luc.* c. 2. venderent Christum peius Juda, qui vendidit Christum adhuc mortalem triginta argenteis, sed multi Sacerdotes vendunt eum jam immortalem pro uno denario. Et demum quia vidit quosdam alios Sacerdotes inferiores absque ullo onere missarum existentes, & in dies missas quærere, nec à gravatis tantorum onerum distribuebantur celebrandæ, ac etiam, quod absque ullo cõscientiæ, scrupulo, & remorsu relinquebãtur nõ satisfactæ, sic decrevit.

3 Miseri, qui hoc agunt! quomodò inhumanè se habent! quanti enim infelices testatores in igneo purgatorii Oceano mersi ob dictorum incuriam diu torquentur? Amicus fidit amico, parentes filiis, & misercull decepti fuere. O utinam non essẽt Sacerdotes, de quibus verificatur illud *psal.* 105. 18. *Initiati Beelphegor*, & *comederunt sacrificia mortuorum*; gaudẽt enim de bonis Ecclesiarum, beneficiorum, Canonicatuum &c. & nullimodè de satisfactionibus missarum, aliarumque piarum voluntatum cogitant; etsi forte satisfaciunt, satis minutim, & ægrè satisfaciunt. Quam grave peccatum sit hoc, expressit Deus per os moysis, *num.* 9. 13. *dicens*: *Exterminabitur anima illa de populis, quia sacrificium Deo non obtulit tempore suo, peccatum suum ipsa portabit.*

4 Videant etiam tales confirmationem decretorum de celebratione missarum factam à S.R.E.Card.Conc.Trid.interpretibus, authoritate Urbani VIII. qui, ut integra, & prompta animabus Purgatorii præstentur suffragia, *in decr.* 5. si habet: *Eleem. synas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis, ita demum iidẽ accipere possint; si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quæque onera suscipere valeant, alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam spõtè oblatis, in futurum recipiendis*, Croix *lib.* 6. *par.* 2. *de sacrif. miss. n.* 68., & 106.

5 Unde docent cum communi, quod obligati ad plurimas missas, quas omnes per seipsos legere non possunt, in primis peccant mortaliter, tot onera accipiendo, Postea que diu differendo, denuo graviter peccant.

6 Dubitatur tamen, quis dicatur diu differre missas?

Ledesm. Villaloh. Dia., & Lugo *de Euch. diss.* 21. *n.* 34. *lib.* 6. *par.* 2. apud citatum Croix *de sacrif. missæ* docent, quod qui ultra quinquaginta, aut sexaginta dies differunt, peccant mortaliter.

Sed melius Gobat nu. 597. Steph. nu. 69. Sporel. n. 354. docent attendendas esse circumstantias præsertim causæ, pro qua missa petitur. Nam, si petatur pro defuncto, potest minus differri, quàm pro vivo; Cum gravissimum peccatum sit, non succurrere animabus in tantis pœnis; & eo fortius non potest differri pro necessitate, quæ non patitur moram, V. G. pro præsenti periculo, vel infirmitate.

7 Legatum, est donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede post aditam hæreditatem præstanda. Legatum sicuti testamentum duplex est, Profanum unum; alterum pium, seu ad pias causas, Profanum, est, qui ad usus profanos ordinatur. Pium, illud censetur, quod ob Dei, aut Sanctorum honorem, vel animæ salutem Ecclesiæ, Capellis, aut aliis locis piis relictum fuit.

8 Casus expressè loquitur de non solventibus legata pia, non verò alterius generis, hoc est ad profanas causas. Et ad constituendum legatum pium non sufficit vel solius personæ, vel solius causæ pietas, sed opus est, ut tam in legante, quàm in Legatario, ratio concurrat pietatis, ut docet Grass., & Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 4. *n.* 9. Sed vide dicenda n. 40.

9 Est autem proprium legati pii sicut & testamenti, ut nullam ad sui valorem requirat juris civilis solemnitatem; sed solo naturali Divino, ac Gentium jure subsistat, ut docent communiter Doctores; Quia jura civilia, causis Ecclesiasticis, sive ad spiritualem salutem spectantibus, nullum præjudicium afferre possunt, nisi à summo Pontifice approbata, & recepta sint, juxtà cap. *Ecclesia de constit.* Constat autem ex c. *relatum*, solemnitatem legis civilis circa pias, & Ecclesiasticas causas, ab Ecclesia non esse receptam, ut communiter fatentur Doctores. Imo sola voce, & nutu legata pia valere in foro conscietiæ, docent Less. *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 2. Laym. *lib.* 3., & 9. *c.* 2. *nu.* 3. Ideoque testamenta per nutus facta sicuti, & captatoria, idest cum commissione ad arbitrium alterius, et si

si valeant ad causas pias; tamen si fiat ad causas profanas, communiter censentur nulla.

10 Nec corruunt ob incertudinem personæ, ut patet in Auth. *de Ecclesiasticis titulis*, cap.6. Mol. Laym. *tract.4. cap.11. n.8.* Quamvis spectato jure civili, legata incerta fiant caduca, ut constat ex l. *si fuerit*, & l. *si quis ff. de reb. dub.* Unde legatum relictum pauperibus in communi, executioni mandandum est in loco, ubi testator domicilium habet, nisi ut extraneus; nam tunc impleri debet in loco ubi mortuus est, arbitrio Episcopi; præterquam si hæredi nulla sit relicta facultas eligendi; & in casu tenetur distribuere pauperibus, qui verè pauperes sunt, nimirum, qui victum incertum habent ex eleemosynis fidelium, Molin. Laym. &c.

11 Idem dicendum de legato relicto Ecclesię sine expressione loci: illud enim debetur Ecclesiæ Parochiali illius loci, in quo testator habitabat; quemadmodum legatum relictum Oratorio alicujus loci, si in eo loco non existat Oratorium, seu altare talis Sancti, non propterea corruit legatum, sed solvendum erit Parochiæ domicilii testatoris.

12 Legata relicta ad unum usum, non possunt ad alium, etiam pium, converti: Non enim discooperiri debet unum altare, ut aliud cooperiatur; Quia agitur de eo, quod est disponere cõtra legẽ, quod soli Principi licet, Grass. *de testam. consil.* 2. *lib.3.* dummodò non fiat ex justissima causa, & cum consensu hæredum. Et quando legata pia inveniuntur inducta, etsi non constet de testatoris intentione, tenetur hæres ea solvere. Quia præsumitur id fortuitò, & casualiter, non autem ex testatoris voluntate accidisse, Bard. §.17.

13 Ideo si legata pia ad eum usum, quẽ testator voluit, nequeunt applicari, non ideo fiunt caduca. Quia intentio Legantis præsumitur voluisse in animæ salutẽ, & in Dei honorem ea relinquere, ideo debent ad aliam piam causam applicari, ita tamẽ ut quantum fieri potest, defuncti voluntas impleatur, ut habetur *in cap. tua nos de testam.*, & docent Covar., & Abbas, *n.4.*, & 6. ubi docet, quod si alicui pauperi, vel religioso aliquid relictum fuerit, non in favorem ejus personæ, sed salutem animæ (quod in dubio præsumitur), si illi dari non possit, in alium pium usum convertendum esset. Et quando testatoris voluntas est ambigua, interpretanda est pro causa pia. Quia præsumendum est, quod plus dilexit animam suam, quàm hæredem, Tiraquellus *de privilegiis causæ piæ, privil. 165.*

14 Cujus autẽ authoritate fieri debeat, constat ex cap. *contingit*, *de religiosis domibus*, & ex Trid. *sess.22. cap.6. de reform.* ubi hujusmodi piarum voluntatum commutationes Summo Pontifici videntur reservari, concurrente justa, & necessaria causa, Mol. Laym. *lib.3. tr.6. cap.11. n.11.*

15 Nihilominus ab Episcopo etiam legata pia in alium usum commutari posse, docent gravissimi Doctores, consentiente tamen hæarede, & ex justa causa, vel de novo incidente, vel à testatore ignorata, quam si prævidisset, aliter probabiliter disposuisset, & nunc quoque si viveret contentus esset, hujusmodi dispositiones in alium usum converti, quod secundum *Epichejam* ad Episcopum, &. hæredem spectat interpretari, Mol. *in* 2. *disp.149.* Silv. Covar. Sà, Nald. Bon. *disp.3. de contract. q. ult. pun. ult. num.33.* Laym. *lib.3. tract.5. cap.11. vers. excipiendum*, qui rectè notat Episcopum tali casu propriè non dispensare, sed bene interpretari, scilicet non esse contra voluntatem defuncti, rem legatam ad alium usum commutare.

16 Atque ideò non licet Episcopo commutare, seu potiùs interpretari voluntates testatorum, nisi in casibus, qui non possunt impedimento juris, vel facti adimpleri. Juris nempè quando non licet facere illud, quod præscriptum erat. *Facti* quando non potest adimpleri propter aliquod impedimentum; in quibus casibus juxta Canonistarum opinionem fundatam in cap. *nos quidem de testam.*, & uti cong. Conc. decrevit, licet.

17 Et commutatio debet fieri in usus, qui non longè distent à voluntate testatoris, & sint utiliores, ut dictum est. Et doctrina hæc procedit quando voluntas testatoris usque ab initio executioni demandari potuit. Secus verò quando ab initio adimpleri potuit, & de facto adimpleta fuit, & tractu temporis supervenit impedimentum propter quod adimpleri non potest; Tunc enim recurrendum ad Sedem Apostolicam, cui circa de-

defunctorum voluntates, suprema competit potestas. Et hoc votum egit Carolus de Vecchis Archiepiscopus Athenienfis, & Secretarius Cong.Conc., cui inservit annis decem pro studii adiutore D.Josephus Crispinus Presbiter Secularis *Arcis Gulielmæ* (postmodum Secretarius Eminentissimi Cardinalis D. Innici Caracciolo Archiepiscopi Neapolitani) qui etiam edidit librum, cui titulus: *Il buon Vescovo*, valdè utilem, & præcipuè Episcopis ad rectè & sine peccato peragendum eorum officium. Extra hos casus non potest Episcopus commutare defunctorum voluntates, ne quidem in opera meliora.

18 Preterea debitores legata pia solvere negligentes, duplicis generis esse possunt, videlicet vel defuncti hæredes, qui jam hæreditatem adiverint, vel aliæ personæ, quæ ratione suscepti muneris ad legatorum piorum solutionem teneatur, uti sunt curatores pupillorum, & minorum; administratores locorum piorum, deputati hospitalium, Rectores Collegiorum &c. vel etiam alter, qui ex aliquo contractu obligationem solvendi aliquod legatum, loco hæredis susceperit.

19 Docent, quod dispositio juris reservantis probabiliter comprehendat tantum hæredes, quos testator ratione aditæ hæreditatis, onere persolvendi legata adstrinxit; Quia, ut ajunt, hi soli sunt veri, & proprii debitores. Omnes tamen alii supradicti, quamvis ratione suscepti officii, vel obligationis, mortaliter delinquere possint, si diu persolvere legata pia culpabiliter negligant, quia tamen non sunt veri, & proprii debitores, cum non sint hæredes, consequenter neque reservationi obnoxii; Legatum enim dicitur à legante, habito respectu ad hæredem, Instit. *de legatis*, *§. legatum*, ff. *de donat*. l.1.& ff. *de legatis*, 2. & constat ex definitione legati pii, quam supra n.7.dedimus.

Et licet in casu nulla fiat expressa mentio hæredum, sed illorum, qui non solvunt legata pia; eo ipso tamen, quod casus dicit: *Non solventes legata pia*, juxta dictam sententiam, satis indicat reservantis juris dispositionem restringi, & limitari ad hæredes, ad quos, ex ante dictis referuntur legata, & ab iisdem tamquam veris debitoribus præstanda.

20 Quando in casu assignatur terminus, seu tempus, intra quod solvenda sunt legata, secundum Laym. *lib.3. tr.5. cap.2. num.9.* incipit vigere à die habitæ legatorum piorum notitiæ, vel secundum alios à die aditæ hæreditatis. Si verò mortuo testatore hæres, vel non possit hæreditatem adire, vel laboret inculpabili ignorantia legati, tempus, quod interim elabitur., non est intra terminum computandum.

21 Si verò in jure reservante nullus præfigatur terminus, ut in hac Theanensi Diœcesi, in qua nullus pro non solventibus legata pia statuitur terminus, sed tantum assignatur quadrimestre Notariis, Parochis, seu aliis, ut transmittant ad Cancellariam Episcopalem notulam legatorum piorum (ut in *secunda parte* hujus casus dicemus) Tunc obligatio solvendi legata ad pias causas, censetur incipere à die habitæ legati notitiæ, vel perceptæ hæreditatis, nisi juris communis beneficio terminus prorogetur.

22 Et quia finis reservationis hujus casus fuit, ne legatorum solutio differatur contra voluntatem, & præjudicium defunctorum, & nulla quoad solvenda legata pia, concedatur mora, idcircò tenetur hæres piam testatoris voluntatem adimplere quamprimum, puta juxta juris communis dispositionem, aliter erit reus mortalis culpæ, reservationi obnoxiæ.

23 Ideò quæritur quantum temporis spatium terminus ille *Quamprimum*, importare possit, intra quod hæres si legatis piis satisfaciat, nec culpæ, nec reservationis pœnæ subjaceat?

Dico quod ex communi, & probabilissima Doctorum sententia terminus *Quamprimum*, spectato jure communi, medii anni spatium importat, Mazzucchellus *disp.2.cap.20.in fine*; *titulo de Gravitate hujus peccati*, Lupus *de cas.reser.par.2.cas.3.§.5.n.25.* Unde sentire videntur hi Doctores, hæredem, secluso omni impedimento, & præfixo ab Episcopo termino, à mortali, & à reservatione immunem esse; modò intra sex menses ab habita legati scientia, vel percepta hæreditate, legatis piis satisfaciat.

Non desunt tamen alii docentes, quod modicum tempus intelligatur intra decem dies. Quia non videtur longa mora; & tanto magis, quia in jure, debitoribus conceduntur decem dies, l. *quod dicitur*, ff. *de solutionibus*, intra quos, si quis non solvat le-

legata pia, censetur ad longum tempus differre, & consequenter incurrere casum reservatum. Tamen cum agatur de animæ gravamine, semper est consulendum, ut hæres, sive alius quamprimum potest, solvat legata pia, ne causa existat, ut anima testatoris longius patiatur in purgatorio; & minus solvit, qui tardius, quàm conveniens est, solvit, ideoque, *l. si cui*, ff. *de verb. & rer. sign.* habet: *Minus solvit, qui tardius solvit; Nam tempore minus solvitur.*

24 Pœnas autem in negligentes hæredes jure communi statutas, vide apud Abbatem, & Cov. in cap. *nos quidem*, & *C. si hæredes* Silv. ver. *testam. 2. q. 6.*, & Mol. *disp. 251.* qui sunt, ut si infra medium annum à die publicationis testamenti numerandum, cessante legitimo impedimento legatis piis satisfacere neglexerint, cogantur etiam per excommunicationem, *C. si hæredes*, & *C. tua nobis*, ea solvere cum omnibus fructibus, & emolumentis, quæ à die mortis testatoris percipi poterant, juxta cit. cap. *si hæredes*.

Etsi bina monitione præmissa, hæres adhuc pervicax fuerit, privetur omnibus comodis in testamento sibi relictis, ut habetur in Auth. *de Eccl. tit. 5. si autem.* Sin autem hæres perperam neget legatum esse ad pias causas, & in ea negatione perseveret usque ad sententiam, condemnandum in duplum.

Et denique si hæredes intra annum post monitionem à Judice Ecclesiastico, sive sæculari factam legata seù ad pias, seù ad profanas causas, solvere neglexerint, omni commodo (excepta portione legitima, si hæredes sint necessarii) ex testamento ipsis proveniente, privetur, juxta Auth. *hoc amplius*, C. de *legibus*. Hæc autem pœna non obligat in conscientia ante condemnatoriam Judicis sententiam, teste Covar. in cit. cap. *si hæredes*.

25 Utrum verò hæres, qui solutionem legati pii ultra modicum tempus differt nempe ultra sex menses in sententia Lupi, & Mazzucchelli n. 23. relata, vel ultra decem dies juxta sententiam aliorum magis rigidiorem, cessante impedimento, distulit; si postea illud solvat, per illam solutionem illicò tollatur reservatio, ita ut possit à quocumque confessario absolvi?

Dico quod quando reservatio, est lata per hæc verba, *tamdiù quamdiù in mora fuerit solutionis*; tunc solutione facta, cum amplius non sit in mora, potest à quocumque Confessario absolvi. At in hac Diœcesi, in qua hic casus reservatur sub terminis: *Non solventes legata pia*, per subsequentem satisfactionem, non liberatur à reservatione. Quia reservatio dicti casus, non tantummodò legati pii solutionem, sed insuper neglectæ solutionis culpam spectat.

Non nego tamen, esse probabilem sententiam Lupi, & Mazzu. (Doctores egregiæ notæ), quod tali solutione facta, possint absolvi à quocumque Confessario Quia reservatio hujus casus censetur inducta ad urgendum hæredem ad legati pii solutionem, ita ut tali solutione facta, cesset omnis reservatio; quod intellige, nisi contrarium constet, vel ex indiciis colligatur ex mente Ordinarii reservantis, aut obstet consuetudo (optima legum interpres), & confessariorum praxis.

26 An verò defunctus, qui dum viveret bona sua pauperibus, vel pro celebrandis missis reliquit elargienda, si hæredes, vel executores diu differant, vel defraudent, fructum legatæ eleemosynæ percipiat?

Dico quod quantum ad meritum relictæ eleemosynæ nullum præjudicium patitur ex dilatione defunctus, si quantum ex ipso fuit diligentiam adhibuit, ut citò eleemosynæ distribuerentur. Quia meritum ex voluntate dependet. Quantum verò ad fructum, sive beneficium satisfactionis pro pœna in purgatorio luenda, utique sentit detrimentum; Quia interim non juvatur suffragiis, cum ea differuntur, & sic prorogantur ipsius cruciatus, S. Th. *in 4. dist. 45.*

27. Si quæras: si moriturus mandet aliquid restitui, quod postea non restituatur per hæredem, an morientis culpæ sit imputandum?

Dico quod si moriturus commodè, & sine scandalo antequam decedat, potest ipsemet restituere, malè sibi consulit id hæredi mandando, neque securus sua salute decedet. Quia quantum in ipso est, diligentiam non adhibet, ut restitutio fiat, ideoque nec censetur habere sincerum animū restituendi, si supervixisset.

28 Ex prænotatis statuitur, ligari reservatione omnes, qui ultra sex menses juxtà sententiam Lup. n. 23. relatam, cessante omni impedimento, legatorum piorum solutionem negligunt, licet legatum sit factum

ctum in testamento minus solemni, imo sola voce, & nutu, ac etiam si sit incertum ex parte personae, vel loci; si intra medii anni spatium non curant executioni mandandum. Quia, ut dictum est, n.9.&.10. legata pia non fiunt caduca.

29 Idem dicendum de illo, qui legati pii solutionem negligit, eò quod ex solutione majus incommodum sibi proventurum sit quàm legatario. Quia non quodlibet incommodum, sed extrema, vel saltem valde gravis necessitas, V.G. morbi, famis, nuditatis &c.à legatorum piorum solutione pro tunc haeredem excusat.

30 Etiam incidit, qui ultra medium annum in solvendo legata pia protrahit moram absque justa causa, etiam si id agat, ut majori pauperum utilitati consulat, vel defunctorum fructui. Quia talis dilatio, videtur nimis longa, & damnosa, & proindè à mortali culpa, & restitutioni non excusat.

Neque obstat S. Thom. qui *Quodl. 6. art.1.* dicit justam causam differendi legati pii solutionem censeri, ut res defuncti majori pretio vendi, & ampliores eleemosynae in pauperes erogari possint. Quia loquitur de modica dilatione. Nam dilatio ultra medium annum, videtur nimis longa.

31 Reservationis telum non effugit, qui soluta ferè tota legati summa, partem hujusmodi, V.G. eleemosynae, vel missarum relinquit insolutam, modò pars insoluta ad culpam mortalem sufficiat. Neque administrator loci pii, si non solvat legatum pium alteri loco pio factum. Quia casus ligat quoscumque debitores, nullo excepto.

32 Nec effugit, qui post testatoris mortem cum possit adire haereditatem, & legatis sibi notis satisfacere, ultra sex menses, illam culpabiliter percipere neglexit; Quia neglecta haereditatis aditio, perinde est, ac neglecta legatorum piorum solutio.

Idem dicendum de illo, qui ex ignorantia affectata, vel incuria, mortaliter culpabili ultra sex menses non satisfecerit; Quia ignorantia affectata, vel incuria, mortaliter culpabilis, censenda est legatorum piorum neglecta solutio.

33 Tandem ligatur, qui solutionem legati pii omittit praetextu gravis indigentiae, vel quoad statum, vel quoad victum; Quia indigentior, & longè miserior est animarum purgatorii, quàm haeredum, status. Sed quia indigentia aliquando potest esse talis, ut haeres interdum excusetur à totali legati solutione, non tamen à partiali, si legatum sit dividuum; Ideo videndum quod sit paupertas quo ad statum, & quoad victum.

34 Igitur bona necessaria, & superflua dicuntur, vel respectu vitae sive naturae; vel respectu status, seu decentis conditionis personae. Superflua vitae sunt, quando quis absque ipsis sufficienter potest vitam suam, & suorum sustentare. Si enim haeres habeat tantum necessaria ad suam, suorùque vitam sustentandam, dicitur laborare paupertate victus (nomine autem victus veniunt non solum cibaria, sed etiam vestitus, & habitatio). Superflua status, sunt quando absque ipsis, non solum aliquis potest servare vitam, sed etiam decentiam, & conditionem gradus, in quo Deus eum posuit; sicque qui habet superflua ad victum, sed necessaria ad statum justè acquisitum, dicitur detineri paupertate status, E.G. Eques absque tali numero famulorum potest vivere, sed non ex suo pari; tunc ejusmodi numerus famulorum, est superfluus quoad naturam, habito respectu ad illum equitem, sed necessarius ad statum. Unde si famuli tot essent, ut convenirent gradui titulati, tunc ille numerus esset illi equiti superfluus naturae, & statui: *Naturae*, quia absque illo potest vivere. *Statui* quia absque ipso etiã de suo pari, & aequali vivere potest.

35 Insuper notandum triplicem dari posse proximi necessitatem, Extremam, Gravem, & Comunem. Extrema dicitur ex qua egenti imminet periculum vitae, vel aliud aequivalens gravissimum damnum. Gravis dicitur quando quis ex defectu rerũ necessariarum, est in periculo incidendi in magnam miseriam reddentem vitam notabiliter molestam; ut qui è statu commodo dilapsus cogeretur victitare solo pane, & oleribus. Communis est quando aliquod incommodum in necessariis ad vitam, & statum sentit; ita tamen ut non reddat vitam nimis miseram, & molestam juxta statum patientis, ut sunt pauperes ostiatim mendicantes.

36 His notatis docent Covar. Less., & Laym. *lib.3.tr.2.cap.12. n.3.* necessitatem status, non eximere non solventem à re-

fer-

76 Hic dies Artificialis subdividitur in Uniformem, & Difformem. Uniformis est, qui incipit ab aurora, & durat usque ad crepusculum noctis. Difformis incipit in qualibet parte diei, & appellatur *dies emergens*, eo quod aliquando incipit mane, & aliquando vespere pro ut factum acci-dit, sicuti constat *Auth. hodie cap. de appell.*

77 Solet etiã dies dividi in Continuos, & Utiles. Continui dicuntur, qui cõtinuò currunt diebus feriatis, & nõ feriatis, in præsentia, & in absentia. Utiles sunt illi, qui non currunt diebus feriatis, & absentiæ, quibusque non est agendi facultas. *Gl. sing. in Clem. un. de restit. in integrum.*

78 Dispositionem igitur juris reservantis volunt intelligendam esse, tam de die naturali, qui comprehendit lucem, & tenebras, quàm de difformi; qui incipit in qualibet diei, vel noctis hora, ita ut ab hora mortis testatoris, & ipsius scientiæ, currant pro singulo die horæ 24. quæ diem naturalem constituunt. Verum circa difformem nimis durum esset; cum agatur de pœnis, & odiosis, quæ rigorosam, & strictam interpretationem requirunt; & in favorabilibus tantum, dies incœpta, habetur pro completa.

79 An verò à casu, sint excludendi dies utiles?

Dico, quod in casu absentiæ sunt excludendi. Unde si Notarius justa de causa absit, ideoque legata denunciare non possit, & si interim elabatur terminus quatuor mensium, ut in hac Diœcesi, vel alius terminus juxta dispositionem aliarum Diœcesium, nullam reservationem incurrit. Dies verò continui nunquam à casu sunt exclusi. Nam quatuor mensium dies currere debent diebus tam feriatis, quàm non.

80 Igitur Notarii &c. qui intra quatuor menses, à morte testatoris (à qua dispositio vires recipit) computandi, non dederint notulam Cancellariæ Episcopali non solum lethali culpæ, sed etiam reservationi erũt obnoxii, dummodò ultimus quarti mensis dies naturalis, & utilis in casu justæ absentiæ sit completus. Et sufficit si revelet particulam attinentem casum.

Neque obiicias; quod in favorabilibus, *dies incœpta habeatur pro completa*; Atqui dispositio juris reservantis est favorabilis; ergo dies ultima quarti mensis, licet tantum sit incœpta, habenda est pro completa.

R. quod hæc reservatio licet quoad legatarios sit favorabilis; Est tamen odiosa quoad Notarios, Parochos, & cæteros, qui tenentur dictam notulam transmittere, quibus negatur Sacramentalis absolutio, nisi intra quatuor menses legata pia denuncient. Vel dic, quod dicta regula habet locum, quando est designatum per annos, non per dies, vel menses, ut notavit Naldus verbo *tempus, n. 3.*

81 An verò in reservationem incidant Notarii, Parochi, & cæteri conficientes testamenta pias dispositiones continentia, si non transmittant notulam illarum ad Cancellariam, quando in quarto mense, qui esset Februarius, annus bisextus contingeret, & in illo intercalari die legata pia denunciarent?

Dico, quod in tali casu reservationem non incurrunt, quia tunc dies accrescens ratione bisexti, cum sit verè Februarii, ipsi in tali die denunciantes, verè intra quatuor menses denunciarent, ut liquebit ex dicendis numero sequenti.

82 Pro quo sciendum, quod annus significat spatium, quo sol suum cursum in Zodiaco peragit, & conficit spatio 365. dierum, & horarum sex; quæ sex horæ, annorum decursu, seorsim reservatæ, quarto in anno, in 24. horas coalescunt, unumque diem naturalem componunt; qui dies dicitur *intercalaris, seu bisextus: Intercalaris* quidem, quia inseritur, seu intercalatur mensi Februario tanquam breviori post diem 23. *Bisextilis* autem, eo quod moramur in una littera *Kalendarii*, si quidem in illo anno bis pronunciatur *Sexto Kalendas Martii*, ubi imponitur illa dies, scilicet in die 24. Februarii.

Dicendum ergo, quod si dies ille *intercalaris*, seu *bisextus*, fortè in quarto mense computandus esset, Notarii &c. reservatione non ligantur, si legata ad pias causas in illo bisextili die denuncient; Nam dies 29. bisextilis, quoties favorem importat, pro duobus Februarii est computanda, ut ex communi docet Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 24. n. 18.* Atqui dies illa bisextilis, in nostro casu, Notariis &c. favorē importat, ut reservationem non incurrant, ergo pro duobus diebus est computãda.

83 Sed emergit hinc dubiũ; Si Notarius &c. à culpa reservata ob inter missã denũciationem piorum legatorum ad Cancellariam

riam intra præfixum terminum per confessarium facultate præditum fuerit absolutus cum promissione denunciationis quantocius faciendæ, dato postea, quod promissionem non adimpleat, utrum denuo in reservationem incidat?

Dico quod incidit transactis quatuor mensibus, ut in hac Diœcesi, nisi justa causa excusetur; Quia præceptum Episcopi denunciationis faciendæ non cessat per elapsum præscripti temporis spatium, neque per obtentam absolutionem, sed adhuc durat, & urget, ideoque Notarii &c. omittentes denunciationem, inobedientiæ gravis, & mortalis damnari debent. Si quidem quatuor mensium terminus, non est præfixus ab Episcopo ad obligationem denunciandi finiendam, sed ad eam urgendam. Nam finis Episcopalis præcepti eò respicit, ut legata ad pias causas innotescant, damnaque Ecclesiarum reparentur, quod non fieret si obligatio denunciandi eo casu cessaret. Secus dicendum si laborarent probabili ignorantia legis de denunciandis legatis piis ab Episcopo latæ, ac promulgatæ, ut n. sequenti.

84 Ad cujus exceptionis intelligentiã, notandum, quod datur duplex genus reservationis. Unum, quod simpliciter fit ad bonam Ecclesiæ gubernationem, ut graviora quædam delicta corrigãtur. Alterum est, quæ in lege à superiore imponitur ad inducendam illius legis obligationem. Reservatio prioris generis delinquentem ligat, & si reservationem tali delicto annexã ignoret. Quia reservatio ad bonam Ecclesiæ gubernàtionem, propriè non est pœna, sed negatio jurisdictionis. Reservatio verò posterioris generis, transgressorem legis Episcopalis non ligat, quoties laborat probabili ignorantia ejusdem legis. Quia talis reservatio se habet per modum pœnæ in transgressores Episcopalis constitutionis impositæ; Unde eo casu, sicut probabilis ignorantia editæ legis excusat à transgressione, ita etiam ab annexa reservatione. Cum ergo in nostro casu Notarius ex suppositione, laboret probabili ignorantia legis ab Episcopo sub reservatione editæ de denunciandis legatis piis (quæ reservatio inducta est ad inducendam ejusdem legis observationem) idcirco eam ignorans ab illa incurrenda excusabitur.

Quod dicitur de ignorantia, idem dicendum est etiam de inconsideratione, seu oblivione non crassa, aut supina Episcopalis reservationis, quia æquiparantur ignorantiæ, & ab ea non differunt, nisi quod inadvertentia, & oblivio actum solum, ignorantia verò habitum importet, ut docent Suarez, & Laym. *lib. 1. tract. 5. cap. 5. nu. 7.*

85 Si autem Notarius (aut alii) testatoris morte audita, ne legata pia denunciare cogatur, ita suadentibus hæredibus, in longinquum se recipiat, ita ut postea etiã si velit, non possit intra terminum à Legislatore præfixum legata pia denunciare, an sit censendus reservatione ligatus, effluxo statuto termino dumtaxat, an verò à die, in cujus residuo, constat Notario, præceptam denunciationem executioni mandare non posse?

Dico quod si mala fide, ac fraude in longinquum se recipiat, contumax censendum esset, ac mortalis peccati reus, ideoque quamdiu in eo statu, & contumaci animo persistit à nullo confessario absolvĩ potest; Quia cum in mortali, voluntariè existat, non est absolutionis capax. At ligatur reservatione, sed post effluxos mẽses ab Episcopo præfixos. Quia pœna legis addicta certo tempori, non incurritur nisi post lapsum totius temporis à lege præscripti.

Et quamvis in *l. cum stipulatus sim mihi 215. ff. de verb. oblig.* expressè decidatur, quod in promissione aliquid faciendi ante Kalendas Julii, sub certa pœna, eam incurri ex eo tempore, in cujus residuo constat, opus promissum perfici non posse; Ergo Notarius videtur ligari ex eo tempore, in cujus residuo constat perfici non posse præceptum denunciationis legãtorũ piorum.

Nam respondetur, dictam legem intelligendam esse de pœna conventionali, non legali, quæ in hoc inter se differunt, nempe, quod pœna conventionalis ita dicta, quia ex partium conventione, & consensu statuitur, & hæc incurritur statim ac constat in reliquo tempore, opus promissum adimpleri non posse. Pœna verò legalis ita dicta, quia decernitur à lege, non incurritur, nisi post lapsum totius temporis.

Dices: in cap. *ut animarum de constit.* in 6. habetur quod: *extra territorium jus dicenti impunè non paretur*, sed Notarius in

in prædicto casu extra territorium existit; ergo Episcopo reservanti *impunè non paretur*, & consequenter reservatione non ligatur.

Dico illam regulam habere locum, quãdo superior aliquod decernit per statutũ, quod primario afficit territorium, secundariò existentes in territorio. Non ita verò quando superior aliquod decernit per præceptum, seu sententiam etiam generalem, quæ immediatè afficit personas sibi subditas. Nam eo casu subditi obligantur ipsi parere etiamsi extra territorium existant, dummodo eidem superiori subiectionem servent, vide dicenda *n.90*.

86 Itaque quia in hoc casu reservatio, est lata per præceptum, sive sententiam generalem; & est pœna à superiore imposita ad inducendam illius præcepti observationem, quæ afficit non solum confessarios, sed etiam Notarios ipsos contumaces, ideoque secluso præmentis necessitatis casu, non possunt absolvi, etiam si extra territorium existant, nisi prius legata pia denuncient. Secus verò dicendum, si reservatio sit lata ob bonam Ecclesiæ gubernationem, ut nempè quædam graviora delicta impediantur, ut dictum est n.84.

87 Sed dubium grave est, an si Notarius post mortem testatoris, intermissa culpabiliter legatorum piorum denunciatione, Diœcesim, & forum mutet, an elapso quatuor mensium termino, adhuc reservationem incurrat?

Affirmat aliqui cum Graffio nixi ratione, quod præventus à Judice sortitur ipsius forum, Notarius autem in hoc casu ante mutationem Diœcesis, & domicilii per generalem sententiam reservationis, censetur ab Episcopo præventus; ergo sortitur ipsius forum, non obstante, quod Diœcesim, & domicilium mutaverit; & consequenter elapso termino, incidit in reservationem.

Sed probabiliter alii negativæ sententiæ adhærent; quia ubi cessat subiectio, cessat, & jurisdictio; sed in Notario, mutatis Diœcesi, & foro, & cessat subiectio respectu Episcopi reservantis, ergo &c. Major est clara, quia jurisdictio, & subiectio sunt correlativa. Minor probatur, quia subiectio Episcopo, & Parocho quoad susceptionem, vel negationem Sacramenti Pœnitentiæ, jure ordinario, oritur ex constitutione domicilii, vel quasi in Diœcesi, vel Parochia; sicuti colligitur, *ex l. domicilium*, & docet gloss. *ad municipalem*, *& de incolis*, & in *Clem. de privilegiis*, Abbas, *cap. cum contingat*, *n.10. d. foro competenti*, Sanch; Laym. *lib.5. tract.6. cap.10. n.5.*, & 6. Atqui Notarius in casu proposito facta reali migratione, non habet amplius domicilium, vel quasi in Diœcesi Episcopo reservantis, ergo in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, non est Episcopo reservanti subjectus, sed Episcopo Diœcesis, & Parocho loci, quò migravit; & consequenter elapsis quatuor mensibus, non incurrit reservationem in derelicta Diœcesi impositam.

Confirmatur, quia reservatio hujus casus licet sit pœna, est tamen pœna, quæ respicit forum internum Pœnitentiæ vel cõscientiæ, non verò externum, & contentiosum justitiæ; Siquidem limitat confessariis Sacramentalem jurisdictionem; Cum ergo Notarius mutatis Diœcesi, & foro, non sit amplius subiectus quoad Sacramẽtum Pœnitentiæ Episcopo reservanti, sed Episcopo Diœcesis, & Parocho loci, quo demigravit; idcircò effluxo quatuor mensium termino, & si delinquat mortaliter contra proprium officium, hac tamen reservatione non ligetur, dato quod in ea Diœcesi Notarii legata ad pias causas non denunciantes, reservationi non sint obnoxii.

88 Nec Notarius in eo casu sit subditus ratione delicti, quia subiectio ratione delicti non habet locũ in delictis respicientibus dumtaxat forum Pœnitentiæ internũ, sed in delictis spectãtibus ad forum externũm, & punitivum, *cap. d. foro competenti*, *& argum. cap. præterea 2. de appella.*

89 Ex prænotatis, resolves, reservatione ligari tabellionem, qui quocunque legatum pium contumaciter intra præfixum terminum denunciare intermittit, licet illud factum sit in testamento minus solemni: Quia legata pia sunt valida, etiã in testamento minus solemni.

90 Nec eximitur Notarius, qui audita testatoris morte, ne legata pia denunciare cogatur, in aliam Diœcesim se transtulit; sed ibi domicilium non fixit. Nam post effluxos quatuor menses, reservatione ligatur. Quia hæc reservatio cum sit pœna per præceptum, vel sententiam generalem lata, afficit Notarios etiam absentes, dum-

modò Episcopo reservanti maneant subjecti.

91 Nec ab hac reservatione sunt immunes Notarii &c. si contumaciter legata pia intra præfixum terminum denunciare omittentes, etiamsi alia via Ecclesiæ, vel loco pio eadem legata innotescerent. Quia Ecclesiæ debent authenticè patere substantia, qualitates, cæteræque circunstantiæ instrumenti testamentarii, quod sine legitima, & authentica Notarii denunciatione fieri non potest.

92 In eandem reservationem incidunt omnes alii dicti *n. 54.* Quia casus, etiam illos comprehendit. Et circa Parochos, qui in multis partibus hujus Diœcesis, etsi non sint Notarii Apostolici, ob defectum Notariorum, solent pias dispositiones scribere; si ipsas scripserint, quod possunt, ut liquet ex ipsa *Synodo* 5. 5. *pag.* 204., & in ejus *Appendice* ubi ponitur *formula* testamentaria, videntur non comprehendi, si legata pia non transmittant. Tum quia juxta dicta n. 73. non veniunt nomine *Notariorum*, qui comprehenduntur casu; tum etiam ob rationes dictas *disp.* 1. *q.* 1. *c.* 3., & *quæst.* 2. *cap.* 3. Et potissimum quia in cit. *Synodo* ipsis tantum mandatur, ut habeant librum, in quo testamenta, & codicilla describantur; ergo videtur, quod tantum ad hoc teneantur; quod à fortiori debet valere, si illa non stipulentur, & si sciant, legata pia non dum esse revelata. Tamen tenendum est, comprehendi: tum quando scripserint legata pia, tum quando ipsis sola voce, vel nutu ipsis commissum est, licet non scripserint; quia Legislator ideò in tabella reservationis apposuit Parochos, & generaliter omnes alios, qui non trasmittunt ad Cancellariam Episcopalem infra quatuor menses. Cum enim afflicti, & dolentes moribundi soleant quasi semper confidere fidei Parochorum, & confessariorum, & legata pia etiam sunt valida sive nutu fiant, ideoque essent causa ut defuncti majorem, & longiorem pœnam sentiãt; igitur meritò credendum est, Legislatorem velle etiam tunc illos includere.

93 Econverso non incidit Notarius, qui ultra quatuor menses differt denunciare legatum, vel personæ diviti factum, vel consanguineo pauperi relictum; Quia hujusmodi legatum non habetur ut pium; siquidem in priori casu deficit *paupertas in* legatario; in posteriori, *pietas* in legante, affectu sanguinis prævalente pietati; quæ conditiones, & qualitates, simul requiruntur ad constituendum legatum pium, teste Sanch. *lib. 1. de matrim. disp.* 4. *n.* 6.

94 Idem dicendum quãdo laborat ignorantia, *concomitate*; nempè, qui animo, ita dispositus est, ut tamet si Episcopalem constitutionẽ non ignoraret, denunciationes tamen legatorum piorum adhuc intermitteret; Quia reservatio, (sicuti etiam censura, irregularitas, & restituendi obligatio) nuuquam incurritur ob pravum operantis affectum, sed per externam Ecclesiasticæ legis transgressionem. Idem, ut dictum est supra, dicendum de inconsideratione, seu oblivione non crassa, & supina.

95 Nec ligatur Notarius, qui justa de causa abest, ideoque legata pia intra præfixum terminum denunciare non potest. Tum quia tunc excusatur à culpa, & consequenter à pœna; Tum etiam quia legitimè impedito non currit tempus.

96 Excusatur etiam tabellio, quando ex legatorum ad pias causas denunciatione, grave damnum sibi timeat ab hæredibus inferendum. Quia lex humana non præsumitur cum tanto dispendio obligare, nisi damnum Ecclesiæ adeo preponderaret, ut prudentis confessarii judicio, Notarius etiam cum gravi sui ipsius damno, notificare legata tenetur. Idem resolves, si ex metu gravi denunciare omitteret; ut si hæredes gravia mala intendent, si legata patefaciat.

97 Neque innodantur Notarii, sive Apostolici, sive Regii, qui scripserant testamenta, tantum legata profana continentia. Cum casus loquatur de legatis piis. Sicuti neque Parochi, qui non stipulati fuerunt, neque commissum à defuncto fuit; & nec quando confusè sciunt ab aliis, & ob dictum de dicto.

98 Et demum confessarius, & si habeat facultatem absolvendi, non absolvat, nisi à contumacia decesserint, hoc est nisi præmissa legatorum piorum denunciatione, vel saltem nisi promittat, cum primum poterint legata se denunciaturos.

QUÆ

QUÆSTIO II.

De caſibus reſervatis ſine cenſura.

Agemus in hac quæſtione de aliis quindecim caſibus ſine cenſura in Diœceſi Theanenſi reſervatis, qui ut liquet ex Synodo *de Sacr. Pœnitentiæ*, *cap. 9. §. 20. pag. 116.* ſunt ſequentes.

I.

Parentum Percuſsio.

II.

Parentes, vel alii impedientes, ne filiæ, ſive nepotes audiant miſſam diebus feſtivis.

III.

Stuprum, & Raptus quoad agentes.

IV.

Comeſtio ciborum vetitorum ſine debita licentia.

V.

Quæcunque ſimplex Blaſphemia in Deum, & Beatam Virginem, & Sanctos, prolata ex conſuetudine, ſcilicet ultra quatuor vices.

VI.

Concubinatus poſt ſex menſes, etiā ſi extra domum retineatur concubina; & non intelligatur conceſſa facultas abſolvendi, niſi per duos menſes ante, fuerit converſatio ſublata.

VII.

Scribentes, affigentes, vel dictantes libellos famoſos.

VIII.

Impedientes ſine cauſa, ne filii, filiæque, ſive alii deſcendentes, doctrinam Chriſtianam addiſcant.

IX.

Habentes carnalem copulam cum confeſſario, vel committentes delictum cum ejuſdem confeſſarii aſſociatione, vel participatione, & ab eodem hi non poſſunt abſolvi.

X.

Actus ſodomiticus, quoad agentes tantum.

XI.

Beſtialitas.

XII.

Detentio parvulorum in lecto ante annum completum, eo modo, quo adſit periculum, & prævideatur, quod probabiliter ineſſe poſsit.

XIII.

Omnia peccata eorum, qui accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ cū armis ſcienter.

XIV.

Inceſtus in ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis.

XV.

Non ſolventes decimas ſervata fòrma præcepti.

CAPUT I.

Caſus primus ſine Cenſura:
Parentum percuſſio.

APOPHASIS.

1 *Gravitatem huius, delicti indicant pœnæ legis naturalis, Divinæ, & humanæ.*

2 *Cur noſter Legislator primo loco in caſibus ſine cenſura, reſervavit hūc caſū?*

3 *Quid veniat nomine percuſſionis in hoc caſu?*

4 *Quid intelligatur per manum iniectionem in parentes?*

5 *Nomine parentum qui veniant?*

6 *Tria debent filii ſuis genitoribus, amorem, reverentiam, & obedientiam.*

7 *Fili ſcienter, & injurioſè percutientes parentes, incurrunt reſervatum ſive percuſſio fiat mediantè, ſive immediatè, & ſemper ac quoad actum externum, fuit deliberato, vel malo animo facta.*

8 *Ligatur caſu, qui verberatus à parente correctionis, aut diſciplinæ cauſa ut ſe defendat, parentem percutit.*

9 *Pater immoderatè filios percutiendo, graviter peccat, & debet ei auferri administratio filiorum.*

10 *Non incurrit, qui verberatur a patre tam immoderatè, ut nisi se defendat, eum percutiendo, timeat ab illo occidi, mutilari, aut vulnerari; tamen quando aliter iram patris declinare non potest.*

11 *Dictam incursionem reservationis, extendunt ad filios illegitimos &c. percutientes genitores.*

12 *Qui sunt filii legitimi, & naturales, quique illegitimi naturales, nothi, spurii, manseres &c.*

13 *Ubi reservatur iniectio manum in parentes, incidunt primo omnes, qui graviter scienter, & injuriosè iniiciunt manus in parentes.*

14 *Quoque innodantur iniicientes manus in parentes, & si iniectio sit levis in ratione nocumenti, dummodo sit gravis in ratione injuriæ.*

15 *Irretitur pariter violenter concludens, & detinens injuriosè parentem in aliquo loco, si fiat cum injuria, & injuriosè.*

16 *Ligatur etiam, qui indignatione motus, baculo, vel ense tangeret parentis personam, dicens: te cæderem, nisi parens esses.*

17 *Quoque reservato huic est obnoxius, qui parenti pallium aufert, seu lacerat, conspuit in faciem &c. Quamvis in omnibus dictis quinque casibus nō incurrat, quando reservatur sub termimis percussionis.*

18 *Non innodatur casu, qui in parentes maledicta coniicit, aut minatur verbera, & etiamsi habet animum verberandi.*

19 *Casum effugit, qui metu, vel minis parentem offendit, dummodo absit injuriosa actio.*

20 *Etiam est immunis à reservatione, qui violentas manus in parentes immittit ad vitādā mortē, mutilationē, vel vulnerationem; si tamen servet moderamen inculpatæ tutelæ.*

21 *Est etiam liber à casu, qui ut parentē liberet, aut ipse liberetur ab aliquo malo, exercet circa illum aliquam actionem, etsi mortalem.*

22 *Similiter non est obnoxius reservationi, qui dolo, vel malo animo venenum in occulto propinavit parenti in cibo, vel potu.*

23 *Non obruuntur casu, mandans, consulens, auxilium præbens, aut operam præstans ad parentum percussionem.*

24 *Eximuntur etiam, qui indeliberatè, jocosè, aut casualiter percutiunt parentes absque animo injuriandi; Item si ex ignorantia, si læsio exterior sit levis.*

25 *Qui percutit patrem, nesciens esse illum, casum evitat.*

26 *Nec telo reservantis juris feritur, qui parentem per vestem, vel brachia, ne se, vel alium cædat, detinet.*

1. QUÆ natio tam barbara reperitur, in qua patres non afficiantur honore à filiis! Quod scelus ingratitudinis, impietatisque tam exorbitās inveniri potest, quàm impiorum filiorum, qui parentibus, à quibus lucis, & vitæ usuram accepere, non solum contumeliosis verbis, minis, aliisque gravibus injuriis inferunt; Sed etiam (o manus præsecandæ!) verberibus afficere audent, & aliquando etiam nefas parricidium commisere! Quod crimen ultimum, nefas à Seneca 1. *de Clementia* nuncupatur. Monstruosum enim est, ut per quos lucem, quis aspexerit, eos luce illa privet. Quapropter honorandi sunt parentes à filiis, etsi in dignitate sublimioribus. Joseph enim in Ægypto, quamvis honori, & amplitudini Regis esset proximus, patrem ad Ægyptum venientē honorifice suscepit. Et Salomon 3. *Reg.* 2. 19. matri advenienti surrexit, eamque veneratus, regio in solio ad dexteram collocavit, & ideo *Eccl.*3. honorātibus parentes quinque desiderabilia promittentur. Et demum hac de causa ab omnibus doctis, & Sanctis, post præceptum honorandi Deum, parentes (quos Creatores secundarii appellant) ponuntur, & ideo etiam Deus præceptum honorandi parentes posuit primo loco in secunda tabula, ut cognoscant homines, tale præceptum esse maximum Charitatis erga proximum; Sicuti præceptum honorandi Deum in prima tabula positum, est maximum Charitatis erga Deum. Dictam obligationem erga parentes feræ quoque naturali instinctu, agnoscunt; Nam ex D. Amb. Ciconiæ Senes parentes nudatos, plumis tegunt, axis fovent, & alimenta præstant.

Unde meritò contra tales ingratos filios

leges

leges omnes exclamant,& gravissimas minantur pœnas ; Lege enim Divina , ut *Exod.*21. *Lev.*24. , & 19. *Prov.*30. mortis pœna afficiuntur. Absalon enim , qui 2. *Reg.* 18.14. patri iniuriam intulit, tribus lanceis transfixus fuit , pendens in quercu. Leges verò humanæ civiles , ob hoc scelus , permittunt parentibus , filiorum exhæredationem. Nam prima causa est : *Si filius impius, & violentas manus parentibus intulerit* , Auth. *cum de appell.* Et etiam permittunt,donationem illis factam posse revocare , secundum Gloss. in l. *fin. C. de revoc.donat.* Si tamen sit atrox.

Ad extremum , tale facinus tam est nefas, ut pro illo nullam Romulus,& Solon statuere pœnam; ex eo quia existimabant impossibile,tale facinus patrari posse. Unde lege *Pompeja* sancitum fuit , ut qui patrem, matrem , aviam , vel filium interemerit, virgis sanguineis verberatus, mox pallio insitus cum cane,gallo, gallinaceo, simia, & vipera in mare , vel flumen projiceretur, l.9.§.1., & l. penult. §.1. hoc tit. *l.un.C.de his, qui parentes, vel alios occiderunt.* Et , ut docent apud Graff. *in praxi pag.*563. talia animalia ponuntur;Quia canis fugat simiam: Simia gallum ; gallus viperam, & cum hæc non invenit refugiū intrat corpus illius per os , vel foramen posterius, & sic eum interficit.

2 Hujus delicti atrocitatem , & immanitatem sapientissimus noster Legislator D. Josephus Nicolaus Gibertus Episcopus Theanensis , in Catalogo casuum *sine censura* reservatorum, posita in nostra Synodo *cat.*9.*de Pænit.*§.20. hunc casum primo loco posuit , suo pæculiari judicio reservans, Ideo

3 Nota, quod nomine *percussionis* venit vera læsio circa personas parentum , facta manibus , sive immediatè , sive mediatè , nempè ligno,gladio, sclopo,lapidibus &c. Percutere enim idem est , ac cum dolore verberare, l. *lex Cornelia*, ff.*de iniur.*

Neque dicas, quod percussio dicatur fieri per manus ; & odia restringenda sunt . Nam *per manus* sunt alia instrumenta intelligenda. Quia, ut docet Abbas , *in cap. non dubium de sent.excomm.* quando in aliqua lege occurrit favor , & odium, si odium , est rationabile , attenditur odium, & est facienda extensio; quæ etiā fit Legislatoris mete attenta, quæ in hoc casu fuit reservare parentum percussionem, sive manibus fiat, sive alia re.Unde habito esse, nō curandum de modo.Recolo dicta *disp.* 1. *q.*1.*cap.*3.

4 In Diœcesibus verò,in quibus hic casus reservatur sub terminis his . *Violenta injectio manuum in parentes*; tunc injectio extenditur non solum ad casus , ad quos extenditur percussio , sed etiam ad omnem actionem exteriorem contumeliosam in parentes , nempè ad conspersionem aquæ , salivæ, pulveris, luti, projectiones aliarū rerum &c. *Chap.* , & *Arch. seu Riccardus Arsk de Kin* , intelligunt etiam trusiones pedum , ac etiam ad res adhærentes , eas arripiendo per vim, & iniuriam ex eorum manibus, aut violenter detinendo per vestes, eas lacerando , injuriosè sistendo equum, aut equo, cui insident, frænum frāgendo &c.

5 Nomine verò parentum in casu , quinam veniant ? lis est inter DD. Nam cit. Jo: Capeaville (Vicarius Generalis Leodii) *casu* 4.*quæst.*1. Belloch.*par.*2.*quæst.*2. *n.*53. , & Zecchus *de cas. reser.* , *casu* 14. *n.*2. ajunt, parentum nomine , non solum venire patrem, & matrem , sed etiam omnes consanguineos , ac alios superiores,& omnes eos , ad quos cura infantis spectat, puta socerum, patruum, amitam, vitricū , novercam &c.

Attamen in hoc dissentit *Arsd.* neque intelligit patrem , & matrem uxoris . Et docet , non requiri læsionem gravem , sed satis esse , si sit mortaliter peccaminosa . Unde asserit , in reservationem incidere omnes , qui percutiunt superiores suos , usque in infinitum. Imo aliqui neque senes ab hoc præcepto excludunt ; Cum de iis scriptura *Lev.*19.*v.*32. habeat: *Coram cano capite consurge , & honora personam senis.*Semper enim apud majores , senectus venerabilis fuit , & ideo lex *Spartanorum* , seu *Lacedæmoniorum* erat (Licurgo Legislatore) , ut juvenes honore afficerent senes , qui non solum poterant illos reprehendere , sed , & punire. Etsi revertentes domi, eos accusarent ad patrem, æstimabatur, quod ille deficeret paterno debito, si alia verbera non adiungeret.

Alii verò magis communiter cum Graff. in *praxi lib.*2.*cap.*40.*n.*22.Finellio, Gamrupta , Mazzucchello &c. docent , *sacrum* appellatione, venire tantum superiores ascendentes , à quibus naturaliter descendimus, ut est mater, avius, avia, alii-

que

16 *Non licet Episcopo commutare voluntates testatorum, nisi in casibus, qui non possunt adimpleri impedimento juris, vel facti.*

17 *Commutatio ultimarum voluntatum debet fieri in usus non longè à testatorum voluntate distantes; Tamen quando à principio adimpleta fuit, si tractu temporis superveniat impedimentum, tunc recurrendum est ad Papam.*

18 *Debitores legata pia solvere negligẽtes, duplicis generis esse possunt, nempè vel haeredes, vel aliae personae.*

19 *Probabiliter docent, quod dispositio juris reservantis comprehendat tantum haeredes, quos testator ratione aditae haereditatis adstrinxit ad persolvenda legata pia.*

20 *Quando in casu assignatur terminus, intra quem sunt solvenda legata pia, incipit vigere, juxta Laym. à die habitae illorum notitiae, vel secundum alios à die aditae haereditatis, & quãdo heres non potest haereditatem adire, tempus, quod labitur, non est intra terminum computandum.*

21 *In locis, in quibus à jure reservante non praefigitur terminus, tunc obligatio adimplendi legata ad pias causas censetur incipere à die habitae notitiae, vel perceptae haereditatis, nisi terminus beneficio juris communis prorogetur.*

22 *Ubi nullus est praefixus terminus, tenetur haeres quamprimum solvere legatum.*

23 *Quantum temporis importet particula illa quamprimum? est gravis inter Doctores altercatio.*

24 *Quae sint poenae statutae jure communi contra haeredes negligentes solvere legata ad pias causas?*

25 *Haeres, qui solutionem legati pii ultra modicum tempus distulit, si postea illud solvat, potest absolvi à quocumque confessario, si reservatio sit lata sub terminis:* tandiu quandiu in mora fuerit. *Secus si sub aliis terminis, ut in hac Diaecesi, quamvis non desint, qui aliter sentiant.*

26 *Defunctus, qui bona sua ad pios usus reliquit, si haeredes, vel executores diu differant, percipit quoad meritum, fructum relictae eleemosynae; secus quoad beneficium satisfactionis.*

27 *Morientis culpae est imputandum, qui mandavit restitui per haeredem, qui non restituit; dummodo commodè, & sine scandalo, poterat ipse antequam decederet, restituere.*

28 *Juxta sententiam Lupi ligantur reservatione, qui ultra sex menses, cessante omni impedimento solutionem legatorum piorum negligunt.*

29 *Incurrit casum, qui legatorum solutionem negligit, eo quod majus incõmodum sibi proventurum sit, quàm legatario.*

30 *Incidit etiam, qui ultra medium annum absque causa protrahit, & si id agat, ut majori pauperum utilitati consulat; vel defunctorum fructui.*

31 *Non effugit casum, qui relinquit insolutam partem legati, si sufficiat ad constituendam culpam gravem. Sicuti neque administrator alterius loci pii, si non solvat.*

32 *Nec excusatur, qui cum post mortem testatoris possit adire haereditatem, & legatis sibi notis satisfacere, ultra tẽpus notabile percipere culpabiliter illam neglexit. Sicuti, qui ex ignorantia affectata, vel incuria mortaliter culpabili, ultra sex menses non satisfecit.*

33 *Ligatur, qui solutionem legati pii negligit, praetextu gravis indigentiae, vel quoad statum, vel quoad victum.*

34 *Bona, alia sunt superflua respectu vitae, alia respectu status.*

35 *Triplex datur proximi necessitas, Extrema, Gravis, & Communis.*

36 *Necessitas status, non eximit non solventem à reservatione, nisi esset tam gravis, ut confessarii judicio, debitor pro tunc, non possit dici culpabiliter negligere.*

37 *Si Creditor aequali, vel quasi aequali necessitate prematur, debitor non est absolvendus, nisi in extrema indigentia versetur.*

38 *Necessitas victus eximit non solventem à reservatione, nisi creditor in pari necessitate existat, & nisi possit ad partem dividuam quando legatum est divisibile.*

39 *Non ligatur reservatione, qui intra debitum tempus non solvit legatum proẽ annum. Nec juxta Graff. qui ultra medium annum differt legatum pium personae diviti solvere.* 40

40 *Nec incidit, qui ultra terminum neglexit solvere reale debitum, licet loco pio sit solvendum. Quid nomine loci pii veniat?*

41 *Non incurrit hæres, qui intra debitum tempus non solvit legatum pauperi consanguineo factum.*

42 *Nec qui statuto tempore neglexit solvere loco pio, quod illi debetur ex conductione, vel emptione bonorum ejusdem loco pii.*

43 *Est immunis à casu, qui ratione donationis inter vivos, vel mortis causa, est in culpabili mora solvendi aliquid Ecclesiæ, vel alio loco pio.*

44 *Tutor, Curator, aliique ultimarum voluntatum executores non solventes intra debitum tempus legata pia, probabiliter non incurrunt casum.*

45 *Non incurrit, qui pretrahit executionem legati pii per novitium facta.*

46 *Nec telum reservationis incurrit, qui ante sex menses solutionem legati pii neglexit, & si absque justa causa*

47 *Extra telum reservationis existit, qui non solvit debita à defuncto, vel ejus intuitu contracta.*

48 *Reservationi non est obstrictus, qui legata pia nõ solvit ob extremam inopiam. Nec redeunt reservatio, & obligatio, si ad meliorem fortunam redierit, nisi propria culpa ad illam sit redactus.*

49 *Excusatur etiam, qui premitur necessitate valde gravi, nisi legatarius sit in pari necessitate: sicuti etiam, qui ex ignorantia, & oblivione inculpabili ultra tempus protrahit legati pii solutionem.*

50 *Nec incurrit ille, cui testator longiorem sex mensibus ad satisfaciendum concessit terminum, aut quando legatarius prorogavit.*

51 *Nec ligatur, qui intra debitum terminum convenit cum legatario, præstando illi cautionem. Idem dic de illo, cui compensatione utitur.*

52 *Eximitur, qui intra debitum tempus deposuit apud alium, quod legatario tunc absenti, est persolvendum, & etiã si per seipsum non fiet, quominus solutio pii legati congruo tempore sit facta.*

1 QUàm inhumani, & feri sint hæredes, & omnes alii, & potissimum Sacerdotes, non solventes legata ad pias causas relicta, non solum liquet ex iis, quæ de atrocitate pœnarum purgatorii ex scriptura, & Sanctis Patribus congerit Bellar. *lib. 1. de Purgatorio*; sed etiam patet ex illis Sanctarum Animarum ad hæreces, & alios retardantes, aut non implentes dicta legata plenis dolore, & querimonia verbis, *Job. 19.22. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini*? Dum enim ipsi differunt suffragia, causa existunt, ut productior sit earundem cruciatus, & detineantur in carcere flammarum inclusæ, donec respõdentes culpis luerint pœnas. Ideoque meritò tales à sacris canonibus. *Egentium necatores* appellantur. Nam, si de viro, uxorem infirmam derelinquente, statuit Lex *si ab hostibus*, §. *si vir*, ff. *soluto matrimonio* ibi: *Si maritus ægrotantem uxorem deseruit, idem est, ac si occiderit*; quãto magis sæviores erunt homicidæ hæredes, & alii, qui deseruerunt illas infortunatas animas, non ægrotas super lectum plumarum, sed cruciatas in igneo æquore, & catachysmo pœnarum; Certe illi se ostendunt crudeliores Nerone, qui ad mortem suam matrem Agrippinam conduxit; cum hic occidit corpus non animam, ut illi. Ideo nõ mirum si Ordinarii ferè omnes, ut exequantur pias defunctorum voluntates, edicto statuere solent, ut qui solutionem ex legato pio debitam lõgius prefixo ab ipso termino detulerint, Episcopali reservationi sint obnoxii.

2 Et hac de causa cum hæc scriberem, providissimus meus pastor D. Dominicus Antonius Cyrillus in præsentiarum Episcopus Theanensis occasione Visitationis factæ anno 1731. mense Majas, quia reperit maximum numerum missarum celebrandarum a decem annis ante deficientes, & præcipuè in quadam Terra, in qua numerus missarum deficientium ab anno 1721. usque ad annum 1731. ascendebat ad missarum sex millia, & centum, ideò decrevit, ut in gemino termino (nempe ut qui debebat satisfacere triginta missas, spatio duorum mensium illas adimpleret) possent satisfacere tam missis præteritis, quàm præsentibus; & hoc sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.

Alto judicio hæc egit, & præcipuè quia rectè cognovit, quàm grave sit, & inhumanum non adimplere legata pia,

imo, & adimplere, sed non tempore suo; Et etiam quia vidit non paucos Ecclesiasticos obstrictos maximo missarum numero, nec ideò cessantes à susceptione aliorum onerum, ob maledictum interesse, ob quod aliqui, ut habet Ugo *in Luc.* c. 2. venderent Christum peius Juda, qui vendidit Christum adhuc mortalem pro triginta argenteis, sed multi Sacerdotes vendunt eum jam immortalem pro uno denario. Et demum quia vidit, quosdam alios Sacerdotes inferiores absque ullo onere missarum existentes, & in dies missas quærere, nec à gravatis tantorum onerum distribuebantur celebrandæ, ac etiam, quod absque ullo cõsciẽtiæ, scrupulo, & remorsu relinquebãtur nõ satisfactæ, sic decrevit.

3 Miseri, qui hoc agunt! quomodò inhumanè se habent! quanti enim infelices testatores in igneo purgatorii Oceano mersi ob dictorum incuriam, diu torquentur? Amicus fidit amico; parentes filiis, & misercnli decepti fuere. O utinam non essẽt Sacerdotes, de quibus verificatur illud *psal.* 105. 18. *Initiati Beelphegor*, & *comederunt sacrificia mortuorum*; gaudẽt enim de bonis Ecclesiarum, beneficiorum, Canonicatuum &c. & nullimodè de satisfactionibus missarum, aliarumque piarum voluntatum cogitant; etsi forte satisfaciunt, satis minutim, & ægrè satisfaciunt. Quam grave peccatum sit hoc, expressit Deus per os moysis, *num.* 9. 13. dicens: *Exterminabitur anima illa de populis, quia sacrificium Deo non obtulit tempore suo, peccatum suum ipsa portabit.*

4 Videant etiam tales confirmationem decretorum de celebratione missarum factam à S.R.E. Card. Conc. Trid. interpretibus, auctoritate Urbani VIII. qui, ut integra, & prompta animabus Purgatorii præstentur suffragia, *in decr.* 5. si habet: *Eleem. synas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis, ita demum iidẽ accipere possint; si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quæque onera suscipere valeant, alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam spõtè oblatis, in futurum recipiendis*, Croix *lib.* 6. *par.* 2. *de sacrif. miss. n.* 68., & 106.

5 Unde docent cum communi, quod obligati ad plurimas missas, quas omnes per seipsos legere non possunt, in primis peccant mortaliter, tot onera accipiendo, Posteaque diu differendo, denuo graviter peccant.

6 Dubitatur tamen, quis dicatur diu differre missas?

Ledesm. Villalob. Dia., & Lugo *de Euch. dis.* 21. *n.* 34. *lib.* 6. *par.* 2. apud citatum Croix *de sacrif. missæ* docent, quod qui ultra quinquaginta, aut sexaginta dies differunt, peccant mortaliter.

Sed melius Gobat nu. 597. Steph. nu. 69. Sporel. n. 354. docent attendendas esse circumstantias præsertim causæ, pro qua missa petitur. Nam, si petatur pro defuncto, potest minus differri, quàm pro vivo; Cum gravissimum peccatum sit, non succurrere animabus in tantis pœnis; & eo fortius non potest differri pro necessitate, quæ non patitur moram, V. G. pro præsenti periculo, vel infirmitate.

7 Legatum, est donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede post aditam hæreditatem præstanda. Legatum sicuti testamentum duplex est, Profanum unum; alterum pium, seu ad pias causas, Profanum, est, qui ad usus profanos ordinatur. Pium, illud censetur, quod ob Dei, aut Sanctorum honorem, vel animæ salutem Ecclesiæ, Capellis, aut aliis locis piis relictum fuit.

8 Casus expressè loquitur de non solventibus legata pia, non verò alterius generis, hoc est ad profanas causas. Et ad constituendum legatum pium non sufficit vel solius personæ, vel solius causæ pietas, sed opus est, ut tam in legante, quàm in Legatario, ratio concurrat pietatis, ut docet Graff., & Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 4. *n.* 9. Sed vide dicenda n. 40.

9 Est autem proprium legati pii sicut & testamenti, ut nullam ad sui valorem requirat juris civilis solemnitatem; sed solo naturali Divino, ac Gentium jure subsistat, ut docent communiter Doctores; Quia jura civilia, causis Ecclesiasticis, sive ad spiritualem salutem spectantibus, nullum præjudicinm afferre possunt, nisi à summo Pontifice approbata, & recepta sint, juxtà cap. *Ecclesia de constit.* Constat autem ex c. *relatum*, solemnitatem legis civilis circa pias, & Ecclesiasticas causas, ab Ecclesia non esse receptam, ut communiter fatentur Doctores. Imo sola voce, & nutu legata pia valere in foro consciẽtiæ, docent Less. *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 2. Laym. *lib.* 3., & 9. *c.* 2. *nu.* 3. Ideoque testamenta per nutus facta sicuti, & captatoria, idest cum commissione ad arbitrium alterius, et si

si valeant ad causas pias; tamen si fiat ad causas profanas, communiter censentur nulla.

10 Nec corruunt ob incertudinem personæ, ut patet in Auth. *de Ecclesiasticis titulis*, cap.6.Mol.Laym. *tract.4. cap.11. n.8.* Quamvis spectato jure civili, legata incerta fiant caduca, ut constat ex l. *si fuerit*, & l. *si quis ff. de reb.dub.* Unde legatum relictum pauperibus in communi, executioni mandandum est in loco, ubi testator domicilium habet, nisi ut extraneus; nam tunc impleri debet in loco ubi mortuus est, arbitrio Episcopi; prætermquam si hæredi nulla sit relicta facultas eligendi; & in casu tenetur distribuere pauperibus, qui verè pauperes sunt, nimirum, qui victum incertum habent ex eleemosynis fidelium, Molin. Laym. &c.

11 Idem dicendum de legato relicto Ecclesiæ sine expressione loci: illud enim debetur Ecclesiæ Parochiali illius loci, in quo testator habitabat; quemadmodum legatum relictum Oratorio alicujus loci, si in eo loco non existat Oratorium, seu altare talis Sancti, non propterea corruit legatum, sed solvendum erit Parochiæ domicilii testatoris.

12 Legata relicta ad unum usum, non possunt ad alium, etiam pium, converti: Non enim discooperiri debet unum altare, ut aliud cooperiatur; Quia agitur de eo, quod est disponere cõtra legẽ, quod soli Principi licet, Graff. *de testam. consil. 2. lib.3.* dummodò non fiat ex justissima causa, & cum consensu hæredum. Et quando legata pia inveniuntur inducta, etsi non constet de testatoris intentione, tenetur hæres ea solvere. Quia præsumitur id fortuitò, & casualiter, non autem ex testatoris voluntate accidisse, Bard. §.17.

13 Ideo si legata pia ad eum usum, quẽ testator voluit, nequeunt applicari, non ideo fiunt caduca. Quia intentio Legantis præsumitur voluisse in animæ salutẽ, & in Dei honorem ea relinquere, ideo debent ad aliam piam causam applicari, ita tamẽ ut quantum fieri potest, defuncti voluntas impleatur, ut habetur *in cap. tua nos de testam.*, & docent Covar., & Abbas, *n.4.*, & 6. ubi docet, quod si alicui pauperi, vel religioso aliquid relictum fuerit, non in favorem ejus personæ, sed salutem animæ (quod in dubio præsumitur), si illi dari non possit, in alium pium usum convertendum esset. Et quando testatoris voluntas est ambigua, interpretanda est pro causa pia. Quia præsumendum est, quod plus dilexit animam suam, quàm hæredem, Tiraquellus *de privilegiis causæ piæ, privil.165.*

14 Cujus autẽ authoritate fieri debeat, constat ex cap. *contingit*, *de religiosis domibus*, & ex Trid. *sess.22. cap.6. de reform.* ubi hujusmodi piarum voluntatum commutationes Summo Pontifici videntur reservari, concurrente justa, & necessaria causa, Mol. Laym. *lib.3. tr.6. cap.11. n.11.*

15 Nihilominus ab Episcopo etiam legata pia in alium usum commutari posse, docent gravissimi Doctores, consentiente tamen hærede, & ex justa causa, vel de novo incidente, vel à testatore ignorata, quam si prævidisset, aliter probabiliter disposuisset, & nunc quoque si viveret contentus esset, hujusmodi dispositiones in alium usum converti, quod secundum *Epicheiam* ad Episcopum, & hæredem spectat interpretari, Mol. *in 2. disp.149.* Silv. Covar. Sà, Nald. Bon. *disp.3. de contract. q. ult. pun. ult. num.33.* Laym. *lib.3. tract.5. cap.11. vers. excipiendum*, qui rectè notat Episcopum tali casu propriè non dispensare, sed bene interpretari, scilicet non esse contra voluntatem defuncti, rem legatam ad alium usum commutare.

16 Atque ideò non licet Episcopo commutare, seu potiùs interpretari voluntates testatorum, nisi in casibus, qui non possunt impedimento juris, vel facti adimpleri. Juris nempè quando non licet facere illud, quod præscriptum erat. *Facti* quando non potest adimpleri propter aliquod impedimentum; in quibus casibus juxta Canonistarum opinionem fundatam in cap. *nos quidem de testam.*, & uti cong. Conc. decrevit, licet.

17 Et commutatio debet fieri in usus, qui non longè distent à voluntate testatoris, & sint utiliores, ut dictum est. Et doctrina hæc procedit quando voluntas testatoris usque ab initio executioni demandari potuit. Secus verò quando ab initio adimpleri potuit, & de facto adimpleta fuit, & tractu temporis supervenit impedimentum propter quod adimpleri non potest; Tunc enim recurrendum ad Sedem Apostolicam, cui circa de-

defunctorum voluntates, suprema competit potestas. Et hoc votum egit Carolus de Vecchis Archiepiscopus Atheniensis., & Secretarius Cong.Conc., cui inservit annis decem pro studii adjutore D.Josephus Crispinus Presbiter Secularis *Arcis Gulielmæ* (postmodum Secretarius Eminentissimi Cardinalis D. Innici Caracciolo Archiepiscopi Neapolitani) qui etiam edidit librum, cui titulus: *Il buon Vescovo*, valdè utilem, & præcipuè Episcopis ad rectè & sine peccato peragendum eorum officium. Extra hos casus non potest Episcopus commutare defunctorum voluntates, ne quidem in opera meliora.

18 Preterea debitores legata pia solvere negligentes, duplicis generis esse possunt, videlicet vel defuncti hæredes, qui jam hæreditatem adiverint, vel aliæ personæ, quæ ratione suscepti muneris ad legatorum piorum solutionem teneatur, uti sunt curatores pupillorum, & minorum; administratores locorum piorum, deputati hospitalium, Rectores Collegiorum &c. vel etiam alter, qui ex aliquo contractu obligationem solvendi aliquod legatum, loco hæredis susceperit.

19 Docent, quod dispositio juris reservantis probabiliter comprehendat tantum hæredes, quos testator ratione aditæ hæreditatis, onere persolvendi legata adstrinxit; Quia, ut ajunt, hi soli sunt veri, & proprii debitores. Omnes tamen alii supradicti, quamvis ratione suscepti officii, vel obligationis, mortaliter delinquere possint, si diu persolvere legata pia culpabiliter negligant, quia tamen non sunt veri, & proprii debitores, cum non sint hæredes, consequenter neque reservationi obnoxii; Legatum enim dicitur à legante, habito respectu ad hæredem, Instit. *de legatis*, §.*legatum*, ff. *de donat.* l. 1. & ff. *de legatis*, 2. & constat ex definitione legati pii, quam supra n.7. dedimus.

Et licet in casu nulla fiat expressa mentio hæredum, sed illorum, qui non solvunt legata pia; eo ipso tamen, quod casus dicit: *Non solventes legata pia*, juxta dictam sententiam, satis indicat reservantis juris dispositionem restringi, & limitari ad hæredes, ad quos, ex ante dictis referuntur legata, & ab iisdem tamquam veris debitoribus præstanda.

20 Quando in casu assignatur terminus, seu tempus, intra quod solvenda sunt legata, secundum Laym. *lib.3. tr. 5. cap. 2. num.9.* incipit vigere à die habitæ legatorum piorum notitiæ, vel secundum alios à die aditæ hæreditatis. Si verò mortuo testatore hæres, vel non possit hæreditatem adire, vel laboret inculpabili ignorantia legati, tempus, quod interim elabitur, non est intra terminum computandum.

21 Si verò in jure reservante nullus præfigatur terminus, ut in hac Theanensi Diœcesi, in qua nullus pro non solventibus legata pia statuitur terminus, sed tantum assignatur quadrimestre Notariis, Parochis, seu aliis, ut transmittant ad Cancellariam Episcopalem notulam legatorum piorum (ut in *secunda parte* hujus casus dicemus) Tunc obligatio solvendi legata ad pias causas, censetur incipere à die habitæ legati notitiæ, vel perceptæ hæreditatis, nisi juris communis beneficio terminus prorogetur.

22 Et quia finis reservationis hujus casus fuit, ne legatorum solutio differatur contra voluntatem, & præjudicium defunctorum, & nulla quoad solvenda legata pia, concedatur mora, idcircò tenetur hæres piam testatoris voluntatem adimplere quamprimum, puta juxta juris communis dispositionem, aliter erit reus mortalis culpæ, reservationi obnoxiæ.

23 Ideò quæritur quantum temporis spatium terminus ille *Quamprimum*, importare possit, intra quod hæres si legatis piis satisfaciat, nec culpæ, nec reservationis pœnæ subjaceat?

Dico quod ex communi, & probabilissima Doctorum sententia terminus *Quamprimum*, spectato jure communi, medii anni spatium importat, Mazzucchellus *disp. 2.cap.20.in fine*; *titulo de Gravitate hujus peccati*, Lupus *de cas.resr.par.2.cas.3.§.5. n.25.* Unde sentire videntur hi Doctores, hæredem, secluso omni impedimento, & præfixo ab Episcopo termino, à mortali, & à reservatione immunem esse; modò intra sex menses ab habita legati scientia, vel percepta hæreditate, legatis piis satisfaciat.

Non desunt tamen alii docentes, quod modicum tempus intelligatur intra decem dies. Quia non videtur longa mora; & tanto magis, quia in jure, debitoribus conceduntur decem dies, l. *quod dicitur*, ff. *de solutionibus*, intra quos, si quis non solvat le-

legata pia, censetur ad longum tempus differre, & consequenter incurrere casum reservatum. Tamen cum agatur de animæ gravamine, semper est consulendum, ut hæres, sive alius quamprimum potest, solvat legata pia, ne causa existat, ut anima testatoris longius patiatur in purgatorio; & minus solvit, qui tardius, quàm convenienslest, solvit, ideoque, l. *si cui*, ff. *de verb. & rer. sign.* habet: *Minus solvit, qui tardius solvit; Nam tempore minus solvitur.*

24 Pœnas autem in negligentes hæredes jure communi statutas, vide apud Abbatem, & Cov. in cap. *nos quidem*, & C. *si hæredes* Silv. ver. *testam. 2. q. 6.*, & Mol. *disp. 251.* quæ sunt, ut si infra medium annum à die publicationis testamenti numerandū, cessante legitimo impedimento legatis piis satisfacere neglexerint, cogantur etiam per excommunicationem, C. *si hæredes*, & C. *tua nobis*, ea solvere cum omnibus fructibus, & emolumentis, quæ à die mortis testatoris percipi poterant, juxta cit. cap. *si hæredes*.

Etsi bina monitione præmissa, hæres adhuc pervicax fuerit, privetur omnibus comodis in testamento sibi relictis, ut habetur in Auth. *de Eccl. tit. 5. si autem*. Sin autem hæres perperam neget legatum esse ad pias causas, & in ea negatione perseveret usque ad sententiam, condemnandum in duplum.

Et denique si hæredes intra annum post monitionem à Judice Ecclesiastico, sive sæculari factam legata seù ad pias, seù ad profanas causas, solvere neglexerint, omni commodo (excepta portione legitima, si hæredes sint necessarii) ex testamento ipsis proveniente, privētur, juxta Auth. *hoc amplius*, C. *de legibus*. Hæc autem pœna non obligat in conscientia ante condemnatoriam Judicis sententiam, teste Covar. in cit. cap. *si hæredes*.

25 Utrum verò hæres, qui solutionem legati pii ultra modicum tempus differt nempe ultra sex menses in sententia Lupi, & Mazzucchelli n. 23. relata, vel ultra decem dies juxta sententiam aliorum magis rigidiorem, cessante impedimento, distulit; si postea illud solvat, per illam solutionem illicò tollatur reservatio, ita ut possit à quocumque confessario absolvi?

Dico quod quando reservatio, est lata per hæc verba, *tamdiu quamdiu in mora fuerit solutionis*; tunc solutione facta, cum amplius non sit in mora, potest à quocumque Confessario absolvi. At in hac Diœcesi, in qua hic casus reservatur sub terminis: *Non solventes legata pia*, per sub sequentem satisfactionem, non liberatur à reservatione. Quia reservatio dicti casus non tantummodò legati pii solutionem sed insuper neglectæ solutionis culpam spectat.

Non nego tamen, esse probabilem sententiam Lupi, & Mazzu. (Doctores egregiæ notæ), quod tali solutione facta, possint absolvi à quocumque Confessario Quia reservatio hujus casus censetur inducta ad urgendum hæredem ad legati pii solutionem, ita ut tali solutione facta, cesset omnis reservatio; quod intellige, nisi contrarium constet, vel ex indiciis colligatur ex mente Ordinarii reservantis, aut obstet consuetudo (optima legum interpres), & confessariorum praxis.

26 An verò defunctus, qui dum viveret bona sua pauperibus, vel pro celebrandis missis reliquit elargienda, si hæredes, vel executores diu differant, vel defraudent, fructum legatæ eleemosynæ percipiat?

Dico quod quantum ad meritum relictæ eleemosynæ nullum præjudicium patitur ex dilatione defuncti, si quantum ex ipso fuit diligentiam adhibuit, ut citò eleemosynæ distribuerentur. Quia meritum ex voluntate dependet. Quantum verò ad fructum, sive beneficium satisfactionis pro pœna in purgatorio luenda, utique sentit detrimentum; Quia interim non juvatur suffragiis, cum ea differuntur, & sic prorogantur ipsius cruciatus, S. Th. *in 4. dist. 45.*

27. Si quæras: si moriturus mandet aliquid restitui, quod postea non restituatur per hæredem, an morientis culpæ sit imputandum?

Dico quod si moriturus commodè, & sine scandalo antequam decedat, potest ipse met restituere, malè sibi consulit id hæredi mandando, neque securus sua salute decedet. Quia quantum in ipso est, diligentiam non adhibet, ut restitutio fiat, ideoque nec censetur habere sincerum animū restituendi, si supervixisset.

28 Ex prænotatis statuitur, ligari reservatione omnes, qui ultra sex menses juxtà sententiam Lup. n. 23. relatam, cessante omni impedimento, legatorum piorum solutionem negligunt, licet legatum sit fa-

ctum

76 Hic dies Artificialis subdividitur in Uniformem, & Difformem. Uniformis est, qui incipit ab aurora, & durat usque ad crepusculum noctis. Difformis incipit in qualibet parte diei, & appellatur *dies emergens*, eo quod aliquando incipit mane, & aliquando vespere pro ut factum accidit, sicuti constat *Auth. hodie cap. de appell.*

77 Solet etiā dies dividi in Continuos, & Utiles. Continui dicuntur, qui cōtinuò currunt diebus feriatis, & nō feriatis, in præsentia, & in absentia. Utiles sunt illi, qui non currunt diebus feriatis, & absentiæ, quibusque non est agendi facultas. *Gl. §. sing. in Clem. un. de rest. in integrum.*

78 Dispositionem igitur juris reservantis volunt intelligendam esse, tam de die naturali, qui comprehendit lucem, & tenebras, quàm de difformi: qui incipit in qualibet diei, vel noctis hora, ita ut ab hora mortis testatoris, & ipsius scientiæ, currant pro singulo die horæ 24. quæ diem naturalem constituunt. Verum circa difformem nimis durum esset; cum agatur de pœnis, & odiosis, quæ rigorosam, & strictam interpretationem requirunt; & in favorabilibus tantum, dies incepta, habetur pro completa.

79 An verò à casu, sint excludendi dies utiles?

Dico, quod in casu absentiæ sunt excludendi. Unde si Notarius justa de causa absit, ideoque legata denunciare non possit, & si interim elabatur terminus quatuor mensium, ut in hac Diœcesi, vel alius terminus juxta dispositionem aliarum Diœcesium, nullam reservationem incurrit. Dies verò continui nunquam à casu sunt exclusi. Nam quatuor mensium dies currere debent diebus tam feriatis, quàm non.

80 Igitur Notarii &c. qui intra quatuor menses, à morte testatoris (à qua dispositio vires recipit) computandi, non decerint notulam Cancellariæ Episcopali non solum lethali culpæ, sed etiam reservationi erūt obnoxii, dummodò ultimus quarti mensis dies naturalis, & utilis in casu justæ absentiæ sit completus. Et sufficit si revelet particulam attinentem casum.

Neque obiicias; quod in favorabilibus, *dies incepta habeatur pro completa*; Atqui dispositio juris reservantis est favorabilis; ergo dies ultima quarti mensis, licet tantum sit incepta, habenda est pro completa.

R. quod hæc reservatio licet quoad legatarios sit favorabilis; Est tamen odiosa quoad Notarios, Parochos, & cæteros, qui tenentur dictam notulam transmittere, quibus negatur Sacramentalis absolutio, nisi intra quatuor menses legata pia denuncient. Vel dic, quod dicta regula habet locum, quando est designatum per annos, non per dies, vel menses, ut notavit Naldus verbo *tempus*, n. 3.

81 An verò in reservationem incidant Notarii, Parochi, & cæteri conficientes testamenta pias dispositiones continentia, si non transmittant notulam illarum ad Cancellariam, quando in quarto mense, qui esset Februarius, annus bisextus contingeret, & in illo intercalari die legata pia denunciarent?

Dico, quod in tali casu reservationem non incurrunt, quia tunc dies accrescens ratione bisexti, cum sit verè Februarii, ipsi in tali die denunciantes, verè intra quatuor menses denunciarent, ut liquebit ex dicendis numero sequenti.

82 Pro quo sciendum, quod annus significat spatium, quo sol suum cursum in Zodiaco peragit, & conficit spatio 365. dierum, & horarum sex; quæ sex horæ, annorum decursu, seorsim reservatæ, quarto in anno, in 24. horas coalescunt, unumque diem naturalem componunt; qui dies dicitur *intercalaris, seu bisextus*: *Intercalaris* quidem, quia inseritur, seu intercalatur mensi Februario tanquam breviori post diem 23. *Bisextilis* autem, eo quod moramur in una littera *Kalendarii*, si quidem in illo anno bis pronunciatur *Sexto Kalendas Martii*, ubi imponitur illa dies, scilicet in die 24. Februarii.

Dicendum ergo, quod si dies ille *intercalaris*, seu *bisextus*, fortè in quarto mense computandus esset, Notarii &c. reservatione non ligantur, si legata ad pias causas in illo bisextili die denuncient; Nam dies 29. bisextilis, quoties favorem importat, pro duobus Februarii est computanda, ut ex communi docet Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 24. n. 18.* Atqui dies illa bisextilis, in nostro casu, Notariis &c. favorē importat, ut reservationem non incurrant, ergo pro duobus diebus est computāda.

83 Sed emergit hinc dubiū; Si Notarius &c. à culpa reservata ob intermissā denūciationem piorum legatorum ad Cancellariam

X

riam intra præfixum terminum per confessarium facultate præcitum fuerit absolutus cum promissione denunciationis quantocius faciendæ, dato postea, quod promissionem non adimpleat, utrum denuo in reservationem incidat?

Dico quod incidit transactis quatuor mensibus, ut in hac Diœcesi, nisi justa causa excusetur; Quia præceptum Episcopi denunciationis faciendæ non cessat per elapsum præscripti temporis spatium, neque per obtentam absolutionem, sed adhuc durat, & urget, ideoque Notarii &c. omittentes denunciationem, inobedientiæ gravis, & mortalis damnari debent. Si quidem quatuor mensium terminus, non est præfixus ab Episcopo ad obligationem denunciandi finiendam, sed ad eam urgendam. Nam finis Episcopalis præcepti eò respicit, ut legata ad pias causas innotescant, damnaque Ecclesiarum reparentur, quod non fieret si obligatio denunciandi eo casu cessaret. Secus dicendum si laborarent probabili ignorantia legis de denunciandis legatis piis ab Episcopo latæ, ac promulgatæ, ut n. sequenti.

84 Ad cujus exceptionis intelligentiã, notandum, quod datur duplex genus reservationis. Unum, quod simpliciter fit ad bonam Ecclesiæ gubernationem, ut graviora quædam delicta corrigãtur. Alterum est, quæ in lege à superiore imponitur ad inducendam illius legis obligationem. Reservatio prioris generis delinquentem ligat, & si reservationem tali delicto annexã ignoret. Quia reservatio ad bonam Ecclesiæ gubernationem, propriè non est pœna, sed negatio jurisdictionis. Reservatio verò posterioris generis, transgressorem legis Episcopalis non ligat, quoties laborat probabili ignorantia ejusdem legis. Quia talis reservatio se habet per modum pœnæ in transgressores Episcopalis constitutionis impositæ; Unde eo casu, sicut probabilis ignorantia editæ legis excusat à transgressione, ita etiam ab annexa reservatione. Cum ergo in nostro casu Notarius ex suppositione, laboret probabili ignorantia legis ab Episcopo sub reservatione editæ de denunciandis legatis piis (quæ reservatio inducta est ad inducendam ejusdem legis observationem) idcirco eam ignorans ab illa incurrenda excusabitur.

Quod dicitur de ignorantia, idem dicendum est etiam de inconsideratione, seu oblivione non crassa, aut si pina Episcopalis reservationis, quia æquiparantur ignorantiæ, & ab ea non differunt, nisi quod inadvertentia, & oblivio actum solum, ignorantia verò habitum importet, ut docent Suarez, & Laym. *lib.1.tract.5. cap.5. nu.7.*

85 Si autem Notarius (aut alii) testatoris morte audita, ne legata pia denunciare cogatur, ita suadentibus hæredibus, in longiquum se recipiat, ita ut postea etiã si velit, non possit intra terminum à Legislatore præfixum legata pia denunciare, an sit censendus reservatione ligatus, effluxo statuto termino dumtaxat, an verò à die, in cujus residuo, constat Notario, præceptam denunciationem executioni mandare non posse?

Dico quod si mala fide, ac fraude in longinquum se recipiat, contumax censendum esset, ac mortalis peccati reus, ideoque quamdiu in eo pravo, & contumaci animo persistit à nullo confessario absolvi potest; Quia cum in mortali, voluntariè existat, non est absolutionis capax. At ligatur reservatione, sed post effluxos mẽses ab Episcopo præfixos. Quia pœna legis addicta certo tempori, non incurritur nisi post lapsum totius temporis à lege præscripti.

Et quamvis in *l. cum stipulatus sim mibi 215. ff. de verb. oblig.* ex professo decidatur, quod in promissione aliquid faciendi ante Kalendas Julii, sub certa pœna, eam incurri ex eo tempore, in cujus residuo constat, opus promissum perfici non posse; Ergo Notarius videtur ligari ex eo tempore, in cujus residuo constat perfici non posse præceptum denunciationis legatorũ piorum.

Nam respondetur, dictam legem intelligendam esse de pœna conventionali, non legali, quæ in hoc inter se differunt, nempe, quod pœna conventionalis ita dicta, quia ex partium conventione, & consensu statuitur, & hæc incurritur statim ac constat in reliquo tempore, opus promissum adimpleri non posse. Pœna verò legalis ita dicta, quia decernitur à lege, non incurritur, nisi post lapsum totius temporis.

Dices: in cap. *ut animarum de constit.* in 6. habetur quod: *extra territorium jus dicenti impunè non paretur*, sed Notarius in

in prædicto casu extra territorium existit; ergo Episcopo reservanti *impunè non paretur*, & consequenter reservatione non ligatur.

Dico illam regulam habere locum, quando superior aliquod decernit per statutū, quod primario afficit territorium, secundariò existentes in territorio. Non ita verò quando superior aliquod decernit per præceptum, seu sententiam etiam generalem, quæ immediatè afficit personas sibi subditas. Nam eo casu subditi obligantur ipsi parere etiamsi extra territorium existant, dummodo eidem superiori subjectionem servent, vide dicenda *n.90*.

86 Itaque quia in hoc casu reservatio est lata per præceptum, sive sententiam generalem; & est pœna à superiore imposita ad inducendam illius præcepti observationem, quæ afficit non solum confessarios, sed etiam Notarios ipsos contumaces, ideoque secluso præmentis necessitatis casu, non possunt absolvi, etiam si extra territorium existant, nisi prius legata pia denuncient. Secus verò dicendum, si reservatio sit lata ob bonam Ecclesiæ gubernationem, ut nempe quædam graviora delicta impediantur, ut dictum est n.84.

87 Sed dubium grave est, an si Notarius post mortem testatoris, intermissa culpabiliter legatorum piorum denunciatione, Diœcesim, & forum mutet, an elapso quatuor mensium termino, adhuc reservationem incurrat?

Affirmat aliqui cum Graffio nixi ratione, quod præventus à Judice sortitur ipsius forum, Notarius autem in hoc casu ante mutationem Diœcesis, & domicilii per generalem sententiam reservationis, censetur ab Episcopo præventus; ergo sortitur ipsius forum, non obstante, quod Diœcesim, & domicilium mutaverit; & consequenter elapso termino, incidit in reservationem.

Sed probabiliter alii negativæ sententiæ adhærent; quia ubi cessat subjectio, cessat & jurisdictio; sed in Notario, mutatis Diœcesi, & foro, & cessat subjectio respectu Episcopi reservantis, ergo &c. Major est clara, quia jurisdictio, & subjectio sunt correlativa. Minor probatur, quia subjectio Episcopo, & Parocho quoad susceptionem, vel negationem Sacramenti Pœnitentiæ, jure ordinario, oritur ex constitutione domicilii, vel quasi in Diœcesi, vel Parochia; sicuti colligitur, ex *l. domicilium*, & docet gloss. *ad municipalem*, & *de incolis*, & in *Clem. de privilegiis*, Abbas, *cap. cum contingat*, *n.10. de foro competenti*, Sanch; Layman. *lib.5. tract.6. cap.10. n.5.*, & 6. Atqui Notarius, in casu proposito facta reali migratione, non habet amplius domicilium, vel quasi in Diœcesi Episcopi reservantis, ergo in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, non est Episcopo reservanti subjectus, sed Episcopo Diœcesis, & Parocho loci, quò migravit; & consequenter elapsis quatuor mensibus, non incurrit reservationem in derelicta Diœcesi impositam.

Confirmatur, quia reservatiò hujus casus licet sit pœna, est tamen pœna, quæ respicit forum internum Pœnitentiæ vel cōscientiæ, non verò externum, & contentiosum justitiæ; Siquidem limitat confessariis Sacramentalem jurisdictionem; Cum ergo Notarius mutatis Diœcesi, & foro, non sit amplius subjectus quoad Sacramentum Pœnitentiæ Episcopo reservanti, sed Episcopo Diœcesis, & Parocho loci, quo demigravit; idcircò effluxo quatuor mensium termino, & si delinquat mortaliter contra proprium officium, hac tamen reservatione non ligetur, dato quod in ea Diœcesi Notarii legata ad pias causas non denunciantes, reservationi non sint obnoxii.

88. Nec Notarius in eo casu fit subditus ratione delicti, quia subjectio ratione delicti non habet locū in delictis conscientiæ dumtaxat forum Pœnitentiæ internū, sed in delictis spectantibus ad forum externum, & punitivum, *cap. d. foro competenti*, & *argum. cap. præterea 2. de appella.*

89 Ex prænotatis, resolves, reservatione ligari tabellionem, qui quocunque legatum pium contumaciter intra præfixum terminum denunciare intermittit, licet illud factum sit in testamento minus solemni: Quia legata pia sunt valida, etiā in testamento minus solemni.

90 Nec eximitur Notarius, qui audita testatoris morte, ne legata pia denunciare cogatur, in aliam Diœcesim se transtulit; sed ibi domicilium non fixit. Nam post effluxos quatuor menses, reservatione ligatur. Quia hæc reservatio cum sit pœna per præceptum, vel sententiam generalem lata, afficit Notarios etiam absentes, dum-

modò Episcopo reservanti maneant subjecti.

91 Nec ab hac reservatione sunt immunes Notarii &c. si contumaciter legata pia intra præfixum terminum denunciare omittentes, etiamsi alia via Ecclesiæ, vel loco pio eadem legata innotescerent. Quia Ecclesiæ debent authenticè patere substantia, qualitates, cæteræque circumstantiæ instrumenti testamentarii, quod sine legitima, & authentica Notarii denunciatione fieri non potest.

92 In eandem reservationem incidunt omnes alii dicti n. 54. Quia casus, etiam illos comprehendit. Et circa Parochos, qui in multis partibus hujus Diœcesis, etsi non sint Notarii Apostolici, ob defectum Notariorum, solent pias dispositiones scribere; si ipsas scripserint, quod possunt, ut liquet ex ipsa *Synodo* 3. 5. *pag.* 204., & in ejus *Appendice* ubi ponitur *formula* testamentaria, videntur non comprehendi, si legata pia non transmittant. Tum quia juxta dicta n. 73. non veniunt nomine *Notariorum*, qui comprehenduntur casu; tum etiam ob rationes dictas *disp.* 1. *q.* 1. *c.* 3., & *quæst.* 2. *cap.* 3. Et potissimum quia in cit. *Synodo* ipsis tantum mandatur, ut habeant librum, in quo testamenta, & codicilla describantur; ergo videtur, quod tantum ad hoc teneantur; quod à fortiori debet valere, si illa non stipulentur, & si sciant, legata pia non dum esse revelata. Tamen tenendum est, comprehendi: tum quando scripserint legata pia, tum quando ipsis sola voce, vel nutu ipsis commissum est, licet non scripserint; quia Legislator ideò in tabella reservationis apposuit Parochos, & generaliter omnes alios, qui non trasmittunt ad Cancellariam Episcopalem infra quatuor menses. Cum enim afflicti, & dolentes moribundi soleant quasi semper confidere fidei Parochorum, & confessariorum, & legata pia etiam sunt valida sive nutu fiant, ideoque essent causa ut defuncti majorem, & longiorem pœnam sentiāt; igitur meritò credendum est, Legislatorem velle etiam tunc illos includere.

93 Econverso non incidit Notarius, qui ultra quatuor menses differt denunciare legatum, vel personæ diviti factum, vel consanguineo pauperi relictum; Quia hujusmodi legatum non habetur ut pium; siquidem in priori casu deficit *paupertas* in legatario; in posteriori, *pietas* in legante, affectu sanguinis prævalente pietati; quæ conditiones, & qualitates, simul requiruntur ad constituendum legatum pium, teste Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 4. *n.* 6.

94 Idem dicendum quādo laborat ignorantia, *concomitate*; nempè, qui animo ita dispositus est, ut tamet si Episcopalem constitutionē non ignoraret, denunciationes tamen legatorum piorum adhuc intermitteret; Quia reservatio, (sicuti etiam censura, irregularitas, & restituendi obligatio) nunquam incurritur ob pravum operantis affectum, sed per externam Ecclesiasticæ legis transgressionem. Idem, ut dictum est supra, dicendum de inconsideratione, seu oblivione non crassa, & supina.

95 Nec ligatur Notarius, qui justa de causa abest, ideoque legata pia intra præfixum terminum denunciare non potest. Tum quia tunc excusatur à culpa, & consequenter à pœna; Tum etiam quia legitimè impedito non currit tempus.

96 Excusatur etiam tabellio, quando ex legatorum ad pias causas denunciatione, grave damnum sibi timeat ab hæredibus inferendum. Quia lex humana non præsumitur cum tanto dispendio obligare, nisi damnum Ecclesiæ adeo preponderaret, ut prudentis confessarii judicio, Notarius etiam cum gravi sui ipsius damno, notificare legata tenetur. Idem resolves, si ex metu gravi denunciare omitteret; ut si hæredes gravia mala intendent, si legata patefaciat.

97 Neque innodantur Notarii, sive Apostolici, sive Regii, qui scripserant testamenta, tantum legata profana continentia. Cum casus loquatur de legatis piis. Sicuti neque Parochi, qui non stipulati fuerunt, neque commissum à defuncto fuit; & nec quando confusè sciunt ab aliis, & ob dictum de dicto.

98 Et demum confessarius, & si habeat facultatem absolvendi, non absolvat, nisi à contumacia decesserint, hoc est nisi premissa legatorum piorum denunciatione, vel saltem nisi promittat, cum primum poterint legata se denunciaturos.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De caſibus reſervatis ſine cenſura.

Agemus in hac quæſtione de aliis quindecim caſibus ſine cenſura in Diœceſi Theanenſi reſervatis, qui ut liquet ex Synodo *de Sacr. Pœnitentiæ, cap. 9. §. 20. pag. 116.* ſunt ſequentes.

I.

Parentum Percuſsio.

II.

Parentes, vel alii impedientes, ne filiæ, ſive nepotes audiant miſſam diebus feſtivis.

III.

Stuprum, & Raptus quoad agentes.

IV.

Comeſtio ciborum vetitorum ſine debita licentia.

V.

Quæcumque ſimplex Blaſphemia in Deum, & Beatam Virginem, & Sanctos, prolata ex conſuetudine, ſcilicet ultra quatuor vices.

VI.

Concubinatus poſt ſex menſes, etiã ſi extra domum retineatur concubina; & non intelligatur conceſſa facultas abſolvendi, niſi per duos menſes ante, fuerit converſatio ſublata.

VII.

Scribentes, affigentes, vel dictantes libellos famoſos.

VIII.

Impedientes ſine cauſa, ne filii, filiæque, ſive alii deſcendentes, doctrinam Chriſtianam addiſcant.

IX.

Habentes carnalem copulam cum confeſſario, vel committentes delictum cum ejuſdem confeſſarii aſſociatione, vel participatione, & ab eodem hi non poſſunt abſolvi.

X.

Actus ſodomiticus, quoad agentes tantum.

XI.

Beſtialitas.

XII.

Detentio parvulorum in lecto ante annum completum, eo modo, quo adſit periculum, & prævideatur, quod probabiliter ineſſe poſsit.

XIII.

Omnia peccata eorum, qui accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ cũ armis ſcienter.

XIV.

Inceſtus in ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis.

XV.

Non ſolventes decimas ſervata forma præcepti.

CAPUT I.

Caſus primus ſine Cenſura: *Parentum percuſſio.*

APOPHASIS.

1 *Gravitatem huius delicti indicant pœnæ legis naturalis, Divinæ, & humanæ.*

2 *Cur noſter Legiſlator primo loco in caſibus ſine cenſ. ro, reſervavit hũc caſũ?*

3 *Quid veniat nomine percuſſionis in hoc caſu?*

4 *Quid intelligatur per manum iniectionem in parentes?*

5 *Nomine parentum qui veniant?*

6 *Tria debent filii ſuis genitoribus, amorem, reverentiam, & obedientiam.*

7 *Filii ſcienter, & injurioſè percutientes parentes, incurrunt reſervatum ſive percuſſio fiat mediantè, ſive immediatè, & ſemper ac quoad actum externum, fuit deliberato, vel malo animo facta.*

8 *Ligatur caſu, qui verberatus à parente correctionis, aut diſciplinæ cauſa ut ſe defendat, parentem percutit.*

9

9 *Pater immoderatè filios percutiendo, graviter peccat, & debet ei auferri administratio filiorum.*

10 *Non incurrit, qui verberatur a patre tam immoderatè, ut nisi se defendat, eum percutiendo, timeat ab illo occidi, mutilari, aut vulnerari; tamen quando aliter iram patris declinare non potest.*

11 *Dictam incursionem reservationis, extendunt ad filios illegitimos &c. percutientes genitores.*

12 *Qui sunt filii legitimi, & naturales, quique illegitimi naturales, nothi, spurii, mansères &c.*

13 *Ubi reservatur injectio manuum in parentes, incidunt primo omnes, qui graviter scienter, & injuriosè injiciunt manus in parentes.*

14 *Quique innodantur injicientes manus in parentes, & si injectio sit levis in ratione nocumenti, dummodo sit gravis in ratione injuriæ.*

15 *Irretitur pariter violenter concludens, & detinens injuriosè parentem in aliquo loco, si fiat cum injuria, & injuriosè.*

16 *Ligatur etiam, qui indignatione motus, baculo, vel ense tangeret parentis personam, dicens: te cæderem, nisi parens esses.*

17 *Quoque reservato huic est obnoxius, qui parenti pallium aufert, seu lacerat, consputit in faciem &c. Quamvis in omnibus dictis quinque casibus nō incurrat, quando reservatur sub terminis percussionis.*

18 *Non innodatur casu, qui in parentes maledicta conjicit, aut minatur verbera, & etiamsi habet animum verberandi.*

19 *Casum effugit, qui metu, vel minis parentem offendit, dummodo absit injuriosa actio.*

20 *Etiam est immunis à reservatione, qui violentas manus in parentes immittit ad vitādā mortē, mutilationē, vel vulnerationem; si tamen servet moderamen inculpatæ tutelæ.*

21 *Est etiam liber à casu, qui ut parentē liberet, aut ipse liberetur ab aliquo malo, exercet circa illum aliquam actionem, etsi mortalem.*

22 *Similiter non est obnoxius reservationi, qui dolo, vel malo animo venenum in occulto propinavit parenti in cibo, vel potu.*

23 *Non obruuntur casu, mandans, consulens, auxilium præbens, aut operam præstans ad parentum percussionem.*

24 *Eximuntur etiam, qui indeliberatè, jocosè, aut casualiter percutiunt parentes absque animo injuriandi; Item si ex ignorantia, si læsio exterior sit levis.*

25 *Qui percutit patrem, nesciens esse illum, casum evitat.*

26 *Nec telo reservantis juris feritur, qui parentem per vestem, vel brachia, ne se, vel alium cædat, detinet.*

1. QUÆ natio tam barbara reperitur, in qua patres non afficiantur honore à filiis! Quod scelus ingratitudinis, impietatisque tam exorbitās inveniri potest, quàm impiorum filiorum, qui parentibus, à quibus lucis, & vitæ usuram accepere, non solum contumeliosis verbis, minis, aliisque gravibus injuriis inferunt; sed etiam (o manus præsecandæ!) verberibus afficere audent, & aliquando etiam nefas parricidium commisere! Quod crimen ultimum, nefas à Seneca 1. *de Clementia* nuncupatur. Monstruosum enim est, ut per quos lucem, quis aspexerit, eos luce illa privet. Quapropter honorandi sunt parentes à filiis, etsi in dignitate sublimioribus. Joseph enim in Ægypto, quamvis honori, & amplitudini Regis esset proximus, patrem ad Ægyptum venientē honorificè suscepit. Et Salomon 3. *Reg.* 2. 19. matri advenienti surrexit, eamque veneratus, regio in solio ad dexteram collocavit, & ideo *Eccl.* 3. honorātibus parentes quinque desiderabilia promittentur. Et demum hac de causa ab omnibus doctis, & Sanctis, post præceptum honorandi Deum, parentes (quos Creatores secundarii appellant) ponuntur, & ideo etiam Deus præceptum honorandi parentes posuit primo loco in secunda tabula, ut cognoscant homines, tale præceptum esse maximum Charitatis erga proximum; Sicuti præceptum honorandi Deum in prima tabula positum, est maximum Charitatis erga Deum. Dictam obligationem erga parentes feræ quoque naturali instinctu, agnoscunt; Nam ex D. Amb. Ciconiæ Senes parentes nudatos, plumis tegunt, axis fovent, & alimenta præstant.

Unde meritò contra tales ingratos filios leges

leges omnes exclamant, & gravissimas minantur pœnas; Lege enim Divina, ut *Exod.*21. *Lev.*24., & 19. *Prov.*30. mortis pœna afficiuntur. Abfalon enim, qui 2. *Reg.* 18.14. patri injuriam intulit, tribus lanceis transfixus fuit, pendens in quercu. Leges verò humanæ civiles, ob hoc scelus, permittunt parentibus, filiorum exhæredationem. Nam prima causa est: *Si filius impius, & violentas manus parentibus intulerit*, Auth. *cum de appell.* Et etiam permittunt, donationem illis factam posse revocare, secundum Gloss. in l. *fin.* C. *de revoc. donat.* Si tamen sit atrox.

Ad extremum, tale facinus tam est nefas, ut pro illo nullam Romulus, & Solon statuere pœnam; ex eo quia existimabant impossibile, tale facinus patrari posse. Unde lege *Pompeja* sancitum fuit, ut qui patrem, matrem, aviam, vel filium interemerit, virgis sanguineis verberatus, mox pallio insitus cum cane, gallo, gallinaceo, simia, & vipera in mare, vel flumen projiceretur, l.9.§.1., & l. penult. §.1. hoc tit. *l.un.C. de his, qui parentes, vel alios occiderunt.* Et, ut docent apud Graff. *in praxi pag.*563. talia animalia ponuntur; Quia canis fugat simiam: Simia gallum; gallus viperam, & cum hæc non invenit refugiū intrat corpus illius per os, vel foramen posterius, & sic eum interficit.

2 Hujus delicti atrocitatem, & immanitatem sapientissimus noster Legislator D. Josephus Nicolaus Gibertus Episcopus Theanensis, in Catalogo casuum *sine censura* reservatorum, posita in nostra Synodo *cap.9. de Pænit.*§.20. hunc casum primo loco posuit, suo pæculiari judicio reservans, Ideo

3 Nota, quod nomine *percussionis* venit vera læsio circa personas parentum, facta manibus, sive immediatè, sive mediatè, nempè ligno, gladio, sclopo, lapidibus &c. Percutere enim idem est, ac cum dolore verberare, l. *lex Cornelia*, ff. *de injur.*

Neque dicas, quod percussio dicatur fieri per manus; & odia restringenda sunt. Nam *per manus* sunt alia instrumenta intelligenda. Quia, ut docet Abbas, *in cap. non dubium de sent. excomm.* quando in aliqua lege occurrit favor, & odium, si odium, est rationabile, attenditur odium, & est facienda extensio; quæ etiā fit Legislatoris mēte attenta, quæ in hoc casu fuit reservare parentum percussionem, sive manibus fiat, sive alia re. Unde habito effectu non curandum de modo. Recolo dicta *disp.* 1. *q.*1. *cap.*3.

4 In Diœcesibus verò, in quibus hic casus reservatur sub terminis his. *Violenta injectio manuum in parentes*; tunc injectio extenditur non solum ad casus, ad quos extenditur percussio, sed etiam ad omnem actionem exteriorem contumeliosam in parentes, nempè ad conspersionem aquæ, salivæ, pulveris, luti, projectiones aliarū rerum &c. *Chap.*, & *Arch. seu Riccardus Arsk de Kin*, intelligunt etiam trusiones pedum, ac etiam ad res adhærentes, eas arripiendo per vim, & injuriam ex eorum manibus, aut violenter detinendo per vestes, eas lacerando, injuriosè sistendo equum, aut equo, cui insident, frænum frāgendo &c.

5 Nomine verò parentum in casu, quinam veniant? lis est inter DD. Nam cit. Jo: Capeaville (Vicarius Generalis Leodii) *casu* 4.*quæst.*1. Belloch. *par.*2.*quæst.*2. *n.*53., & Zecchus *de cas. reser.*, *casu* 14. *n.*2. ajunt, parentum nomine, non solum venire patrem, & matrem, sed etiam omnes consanguineos, ac alios superiores, & omnes eos, ad quos cura infantis spectat, puta socerum, patruum, amitam, vitricū, novercam &c.

Attamen in hoc dissentit *Arsd.* neque intelligit patrem, & matrem uxoris. Et docet, non requiri læsionem gravem, sed satis esse, si sit mortaliter peccaminosa. Unde asserit, in reservationem incidere omnes, qui percutiunt superiores suos, usque in infinitum. Imo aliqui neque senes ab hoc præcepto excludunt; Cum de iis scriptura *Lev.*19.*v.*32. habeat: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Semper enim apud majores, senectus venerabilis fuit, & ideo lex *Spartanorum*, seu *Lacedæmoniorum* erat (Licurgo Legislatore), ut juvenes honore assecerent senes, qui non solum poterant illos reprehendere, sed, & punire. Etsi revertentes domi, eos accusarent ad patrem, æstimabatur, quod ille deficeret paterno debito, si alia verbera non adjungeret.

Alii verò magis communiter cum Graff. in *praxi lib.*2.*cap.*40.*n.*22. Finellio, Gamrupia, Mazzucchello &c. docent, *tantum* appellatione, venire tantum superiores ascendentes, à quibus naturaliter descendimus, ut est mater, avius, avia, aliique

que usque ad tritavum, seu atavi patrem, text. in *l. appell. ff. de verb. sign. l. quoque ff. de in jus vocando.* Quia reservatio cum sit odiosa, verba sumenda sunt secundum eorum propriam, & naturalem significationem, & non per extensionem ad impropriã. Cum ergo patruus, socer, vitricus, noverca, & pater adoptans, proprie non sint parentes, neque naturaliter ab illis descendamus; non debent sub proprio parentis vocabulo venire; & consequenter, qui violentas manus in ipsis iniiciunt, non incurrunt casum reservatum; licet illis obsequium, & reverentia debeatur, cum tantum impropriè, & per fictionem juris, parentes nuncupentur.

Nec officit Jasonis doctrina in l. *Praetor, ff. de in jus vocando*, quod non liceat, honestatis causa, à filiis in jus vocari patrem, aut aliquem ex ascendentibus in infinitum; & ita nec liceat sub lethali culpa, & reservationis poena, suos superiores, vel qui tenent eorum locum, percutere. Nam ibi agitur de honore parentibus exibendo, qui cum sit favor, latam interpretationem admittit. Secus verè dicendum de reservatione, quae cum sit poenalis, restringi convenit.

At juxta dicta *disp. 1. q. 1. c. 3.* probabilius mihi videtur (& de facto sic servatur in hac Dioecesi) ut nomine *parentum* in hoc casu veniant solum pater, & mater. Quia illi soli juxta proprietatem naturalem verborum, rigorosè veniunt *parentum* nomine. Et meritò, cum agatur de poenis, & odiosis, quae semper sunt restringenda.

6. Antequam ad casuum resolutionem deveniamus, non inutile erit notare, quae debeat filius parentibus. Tria debet quilibet filius suis genitoribus: *Amorem, reverentiam*, & *obedientiam.* Primò enim debet amare genitores dilectione interna, & externa, non ostendendo eis odii signa, non intuendo torvis oculis, nec asperè tractando, subveniendo in gravi necessitate spirituali, & temporali, implendo eorum testamenta, & legata, si sit haeres, non optando malum grave, V. G. mortem, & externè ostendendo signa benevolentiae. *Quid enim est pietas, nisi voluntas grata in parentes?* habent Cicero.

Secundò debent *reverentiam*, nempè non percutiendo, nec leviter; nec manus ad verberandum attollant, non graviter contristent, nec provocent ad iram verbis contumeliosis, non maledicta, & convicia in eos coniiciant, si pauperes sint, non despiciant, sed agnoscant (Quia honor, qui in scripturis est quaedam protestatio de excellentia bonitatis alicujus, non solum intelligitur de salutationibus, & officiis deferendis; verum etiam de illo, quod consistit in eleemosynis, & munerum oblationibus; ut *honorare*, sit idem, quod liberalitate prosequi; sic in *Prov.* legimus: *Honora Dominum de tua substantia*) non accusent alicujus criminis, extra delictũ haereseos, & proditionis, vel conjurationis in Principem.

Tertio debent *obedientiam*, & primò in iis, quae pertinent ad bonos mores, & salutem animae. Secundò debent obedire circa ea, que pertinent ad gubernationem domus, nec possunt sine gravi culpa ducere contra voluntatem parentum indignam uxorem; ideoque, si in his deficiant, graviter contra pietatem peccant. Nam pietas est species charitatis, respiciens parentes, patriam, & consanguineos.

7. Hinc incurrunt primò omnes filii tã masculi, quàm foeminae, qui scienter, & injuriosè percutiunt parentes, sive percussio fiat manibus, sive pedibus, sive mediatè, sive immediatè, & semper ac, quod percussio, quoad actum externum, fuit delibera. to, & malo animo facta. Quia talis percussio sua natura, gravem injuriam continet.

8. Nec eximitur, qui verberatus à parente correctionis, aut disciplinae causa, & si immoderatè, & ad vindictam in sui defensione, vel potius ad vindictam, audet parentem repercutere. Cum parentes ferendi sint, etsi contra rationem nos verberent quia tunc sicuti per talem actum non desinunt esse tales, ita neque desinunt esse digni, ut honorentur, & eos revereãtur filii: & tanto magis, si senes sint, quibus (ut habet Cicero *de senectute*) odiosa omnis offensio est, ob corporis fragilitatẽ.

9. Verum tamen est, quod pater, cui conceditur filiorum castigatio, *l. un. C. de emend. propin.* non debet contra debitam pietatem abuti facultate sibi commissa, filios immoderatè, & tyrannicè percutiendo vel flagellando. Cum & peccet graviter, & auferri debeat ab eo administratio filiorum, *l. filio* cum Glos. *ff. si quis à parente fuerit manum.*

10. Tamen non incurrit, qui verberatur à patre tam acriter, & immoderatè,

ut nisi se defendat, probabiliter timeat se ab illo occidi, vulnerari, aut mutilari. Quia unusquisque tenetur defendere propriã vitam; nec illa est percussio, sed defensio. Tamen intellige nisi filius possit fugiendo, aut aliter iram patris declinare; Nec potest verberare ultra propriam defensionem, & servato moderamine inculpatæ tutelæ, juxta dicenda n. 20.

Eandem reservationem extendunt non solum ad filios legitimos, & naturales, sed etiam ad illegitimos, adoptivos, naturales, nothos, spurios, & manseres percutientes suos parentes, sed vide dicta *disp. quæst 1. cap. 3. n. 8. & 9.*

12 Ad quorũ intelligentiã nota, quod filii legitimi, & naturales, dicuntur, qui nascũtur ex vero matrimonio. Legitimi vocantur, qui nascuntur ex matrimonio non baptizatorum; Et jure civili dicuntur, qui nati sunt post sponsalia inter patrem, & matrem, etiam si sponsus matrem deserat, & aliam ducat. *Illegitimi* dicuntur, qui procreantur, & nascuntur extra legitimũ matrimonium; quod si inter parentes potuerit esse validum matrimonium, saltem intra tempus, quo concepta, vel nata est proles, ut sunt nati ex liberis, nempe ex soluto, & soluta, qui sint ab omni impedimento matrimonium dirimente liberi, tales illegitimi appellantur *naturales*. Si autem matrimonium esse non potuerit, nominantur *spurii*, nempe neque *legitimi*, neque *naturales*; ut sunt nati ex adulterio, incestu, vel sacrilegio.

Nothi sunt nati ex viro conjugato, & fæmina soluta à *nota*, seu *infamia* dicti. Quia esse natum ex adulterio, hominem valdè infamat. Qui verò sunt nati ex coitu, aliqua lege damnato, V.G. Raptu, sacrilegio, Incestu, vel ex fæmina conjugata, appellantur *spurii* quasi à spurcitie incontinentiæ. Et demum, qui ex viro soluto, & scorto, seu meretrice, aliave fæmina fornicaria, vocitantur *manseres*; Theologi communiter, cum quibus loquimur, cum Juristis discrepent. Nam Samuel Stichius jurisconsultus *de succes. ab intest. disser. 7. cap. 2. n. 5. 26.* docet, illos esse naturales, qui ex concubina domi retenta, aut ex virgine soluta nascuntur. Qui verò ex muliere publicè quæstum meritricium faciente, illos esse spurios, seu nothos. Quia cum ignoretur patrem, non censentur habere patrem, vide Illustrissimum Cardinale Paleotum in tractatu; *de spuriis, & nothis*, doctissimè de prædictis tractãtem.

13 Ubi verò reservatur violenta *injectio* manuum in parentes, incidunt primò omnes, qui scienter, & injuriosè manus iniciunt in parentes, & juxta dicta *n. 5.* etiã inicientes manus in ascendentes, ibi, relatos, sive fiat manibus, pedibus, sive mediate, sive immediate. Quamvis, ut dictum est ibidem, contrarium contra hos postremos servetur.

14. Incurrunt secundo, qui violentas iniciunt manus in parentes, etiamsi hujusmodi injectio videatur levis in ratione nocumenti, dummodo sit gravis, & mortalis in ratione injuriæ, externo actu in parentes irrogatæ.

15. Tertio idem docent de violenter detinente, aut concludente parentem in aliquo loco, modò id injuriosè, & iniuste præstet. Quia talis actio cõprenẽditur sub nomine iniectionis mannum violentæ, ut patet in simili de concludẽte, vel detinẽte Clericum: Lege enim, vel doctore, ca sum aliquem non decidente, à simili, decisio sumenda est.

16 Quartò, tali telo censetur obnoxius, qui indignatione motus baculo, vel ense personas parentum tangeret, adiiciens: *cæderem nisi parens esses*.

17 Quinto demum, dicto telo percutitur, qui parenti pallium aufert, seu laccrat, conspuit in faciem &c. si reservatio sit lata sub terminis *iniectionis*, quod intellige semper in omnibus supra dictis quinque casibus; & dummodo culpa sit gravis, quæ cognoscitur non solum ex corporali læsione, sed etiam ex injuria, uni ex parentibus irrogata. Secus dicendum quando reservatio, est lata sub termino *percussionis*, ut in hac Diœcesi; quia tunc non dicitur percutere.

18 Non innodatur reservatione, licet peccet graviter contra reverentiam parentibus debitam, qui in parentibus maledictã coniicit, verbisque verbera minatur. Quia verba contumeliosa differunt à percussione, a diversis autem, & separatis non fit illatio. Quod verum est, etiam si habuit animum verberandi; Non enim sufficit affectus, sed requiritur effectus.

19 Idem dicas de illo, qui metu, vel minis parentem offendit, ut aliquid sibi concedat, dummodo absit injuriosa actio circa personam, vel rem circa personam pe-

rentis adiacentem, licet delinquat lethaliter contra reverentiam parentibus exibendam.

20 Nec juxta dicta n. 10. subiacet, qui violentas in parentem manus immittit ob evitandam mortem, mutilationem, vel vulnerationem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, non autem ob justam correctionem.

21 Eadem immunitas extenditur ad eũ, qui ut parentem liberet, vel ipse liberetur ab aliquo impendenti malo exercet aliquam actionem circa parentem, quæ alias esset mortalis, ut deiciendo ad terram, sistendo, vel rapiendo per vim intra domum, parentis personam.

22 Item videtur resolvendum de eo, qui dolo, vel malo animo, venenum in occulto propinavit parenti in cibo, vel potu. Quia propinatio veneni, est odiosa tantũ naturæ, non statui, hoc est conditioni personæ.

23 Eadem excusatio extenditur ad mandantem, consulentem, auxilium præbentem, operam navantem ad violentam parentum percussionem. Quia casus non loquitur de mandante &c. Et casus non expressus habetur pro omisso, & relinquitur dispositioni juris communis, teste Coriolano *de cas.reser.par.1.sect.1.art.5.*

24 Sicque juxta supradicta, etiam eximuntur, qui percutiunt parentes indeliberatè, iocosè, vel casualiter, si non fiat animo iniuriandi parentes, sed seipsos defendenci. Item si ex ignorantia, inadvertentia, aut inconsideratione mortaliter non damnabili, et si animus lædendi parentem sit mortaliter malus, dummodo exterior læsio sit levis. Quia requiritur culpa gravis quoad iniuriam, & læsionem externam, ut supra dictum est.

25 Sed petes, an incurrat casum, qui ex ignorantia, vel errore percutit parentem, credens, illum non esse talem?

℞. non incurrere, cum ad incursionem alicuius casus requiratur scientia illius actionis, propter quam incurritur casus, & ut contrahatur illa malitia, propter quam Episcopalis reservatio imposita fuit. Nam etsi graviter peccavit lædendo aliquem in corpore, culpam percussionis parentum non contraxit, juxta dicta *disp.1. q.3.cap.4.n.7.*

26 Demum casum effugit, qui parentes per vestes, aut per brachia sistit & apprehensos, violenter detinet, vel sistit ad bonum finem, ut V.G. ne se, vel alios erum lædat, aut cædat: Quia hujusmodi detentio, non est iniuriosa mortaliter, nec violenta.

CAPUT II.

Casus secundus sine Censura: *Parentes, & alii impedientes, ne filiæ, sive nepotes audiant missam diebus festivis.*

APOPHASIS.

1 *Probabilis finis ob quem Legislator reservavit hunc casum.*
2 *Præceptum sabbatha sanctificandi, leges naturalis, & Divina nobis denunciant*
3 *Quid sit dies festivus, & unde dicatur festum, & feria?*
4 *Dies festivi, seu feriæ solemnes, qui sunt dies Dominici, vel festivitates Sanctorum de præcepto, quid sint?*
5 *Quando incipiat dies festus? & quando abstinendum ab operibus servilibus?*
6 *Qui nomine parentum, vel aliorum impedientium veniant in hoc casu?*
7 *Qui nomine filiarũ, & nepotum veniant*
8 *Casum incurrunt parentes, & omnes alii impedientes filias, sive nepotes sine aliqua legitima causa.*
9 *Excusantur verò si impediant ex aliqua causa, ut si ægrot, ut, si timeant de pudicitia, ob inopiam vestium, ob amentiam &c.*
10 *Vitant etiam casum, si impediant in morte alicuius è domo, intra tempus, quod servatur ex more patriæ, sicuti si impediant alios præter filias, & nepotes.*

1 Legislatoris finem in hoc casu reservando, certò percipere non potui, Quia in his partibus rarissimus, imo inutilis est, quia nunqam hic casus accidit; Ex eo quia superiores domestici potius præcipiunt, quàm impediunt talem auditionem: Et mulieres ipsæ, ut exeant à domibus, expectant dies festivos, ut diem Paschæ. Sed tamen quia video hunc casum esse reservatum, quoad impedientes missæ auditionem filiarum, & nepotum, tantum fœminei sexus probabiliter suspicatus sum, legislatorẽ reprimere velle, & corrigere zelatipiã quorumdam parentum, & aliorum domesticorum impedientium, qui semper domi, velut

sut in criminali carcere, volunt inclusas tenere suas filias, & nepotes nubiles, ità ut absque alia legitima causa excusante; non permittant exire ad sacrum, diebus festivis audiendum. Vel forte reservavit quia existimabat, in his partibus vigere consuetudinem illam, quæ viget in multis partibus huius Regni, & præsertim (ut docet Graffius) in Civitate *Aquilæ*, in qua, ut ipse ait virgines nubiles nunquã exeunt de domo, nisi nubant: ad quam extirpandam, potuit hunc casum adiicere.

2 Duæ eminentiores leges eodem tempore præceptum nobis sabbatha sanctificandi denunciant; *Naturalis Divina*, & *Ecclesiastica*. Lex *naturalis* exigit, ut sicuti attribuuntur feriis actionibus tempora: eo fortius conveniens est applicare illud negotiis religionis, & animæ. Lex postea *Ecclesiastica* præfinit hoc tempus, & vult primò ut *Dominica*; secundò determinavit, & adiecit alios dies festos, ut frequentius, & ferventius dignoscatur à suis fidelibus charis obsequiis. Ideoque meritò inter Divina præcepta, traditum est præceptum de observatione alicuius diei, in quo specialiter Deo vacandum est; atque adeo festum sanctificare, est ut sanctum tractare, quod dupliciter adimpletur: primò insumendo operã diei pro Divino cultu, qui est finis huius præcepti (*Sabbathum est requies sancta Domino*). Secundò removendo impedimentum operum servilium, quod est medium præscriptum ab ipsomet præcepto: *Non facies omne opus in eo*.

3 Dies festivus est dies ob reverentiam Dei, vel alicuius sancti, hominibus instituta ad vacandum Deo. Dicitur autem *festum* à feria; quia diebus festis tantum res Divinæ agendæ sint. Feriæ verò à latinis, dictæ sunt à *ferio*, idest *cesso*; vel quia singulis diebus cessandum est à malo; Vel secundum Isidorum, à fando, aut fabricando; Quia quolibet die in mundi creatione loquebatur, & aliquid fecit Deus. Vel demum dicuntur *feriæ* quasi *festivi* dies.

4 Dies festivi, sive feriæ solemnes, sive festivæ: sunt quædam præcipuæ solemnitates indictæ ad Dei honorem, Sanctorũque ejus. Et alii sunt dies *dominici*, qui olim vocabantur *dies solis*. Aliæ sunt festivitates Sanctorum de præcepto, quibus cum honorem illis impendimus, Deum honoramus.

5 Quando verò incipiat dies festus, docent incipere immediatè post vigesimam quartam diei præcedentis horam usque ad ultimam partem diei sequentis, quod idẽ est ac dicere: in . . . vespere præcedenti, & finire in sequenti, & dicitur *vespere*, hoc est *sero*.

Ex dictis datur intellectũ ad illud Gen. 1. *Factum est vespere, & mane dies unus*. Genesis enim loquitur de die *naturali*, qui incipit à media nocte diei præcedentis usque ad mediam sequentis, ut dictum est in secunda parte *casus decimi quarti* cum censura *n. 75*. Non verò de *artificiali*, qui durat dum manet sol super terram; sicque *mane* ponit pro toto die, & *vespere* pro tota nocte.

Ex quibus infertur, quod festum incipiat post occasum solis diei præcedentis, usque ad occasum diei festi; & talem asserunt esse consuetudinem quorumdam locorum, nec posse introduci, ut festum tardius incipiat; ideoque non possunt per illam se excusare, si dent operam operibus servilibus Sabbatho post occasum, & in præcipuis solemnitatibus. Quia, ut docet Pisan. verbo *feriæ*, faciunt contra Jus Divinum; atque ideò festum potest augeri ante occasum diei præcedentis, non autem minui, præterquam in Dominica, in qua, si incipiatur festum ante occasum, videmur judaizare, cap. 1. *de cons. dist. 3.* Et de facto ajunt, quod Anti-Christus ideò diem Dominicum, & sabbathi servare faciet, ut per hoc non solum Judæos, sed & Christianos faciliter decipiat; & jam modo extant nonnullæ vanæ vetulæ, quæ in Sabbatho abstinent ab operibus servilibus, aut saltem à quibusdam, puta à nendo, suendo &c.

Tamen circa opera servilia contrarium servatur in his partibus absque ullo conscientiæ stimulo. Nam in Dominicis, & aliis festis de præcepto abstinent à media nocte diei antecedentis usque ad mediam sequentis. Verum tamen est, quod in aliquibus summis solemnitatibus, ut Nativitatis, Paschatis &c. ob reverentiam illarum, soleant in nocte antecedenti ad festum abstinere ab operibus servilibus.

6 Nomine *parentum* impedientium filias in hoc casu de rigore veniunt solum genitores, qui ex naturali congressu illas genuerunt. Non verò genitores adoptantes, & impedientes filias adoptivas; Quamvis

vis juxta dicta in *casu* antecedenti, n. 5. extendant ad diversas alias personas, ut ibidem dictum est.

At nomine aliorum *impedientium*, non solum veniunt parentes, cum etiam ipsi non solum filias, sed & neptes habere possint, sed primo loco veniunt avus, & avia, tam ex parte patris, quàm matris. Quia proprie *nepos*, seu *neptis*, dicitur *filius*, seu *filia* de meo filio, vel filia; & sumus in odiosis, & pœnalibus, quæ sunt restringenda. Quamvis non desint, qui doceant, etiam comprehendi in *casu* patrui, avunculi, soceri, socrus, amitæ, materteræ, proavus, abavus, tam ex parte patris, quàm matris &c. Imo aliqui intelligunt, venire etiàm tutores, curatores, & omnes alios curam illorum habentes.

7 Nomine verò *filiarum*, propriè veniunt filiæ naturaliter genitæ, ut mox dictum est, n. antec. Nomine verò *nepotum* quamvis strictè, & juxta proprium vocabulum, significentur masculi; cum fœminæ *neptes*, latine appellentur. Tamen quia antea Legislator in *casu* dixit; *filiæ* in fœminino genere, non autem *filii*, probabiliter præsumendum est, pro nepotibus venire etiam fœminas, & credo, quod in tãtum dixit *nepotes*, & non *neptes*; Vel quia non advertit ad hanc vocabulorum differentiã: Vel quià dictum nomen posuit pro posteris; Cum juxta *Calepinum* nepotes in numero plurali, significent *descendentes*.

8 Igitur incurrunt casum parentes, & omnes alii, qui impediunt filias, vel nepotes ex causa aliqua non necessaria, puta ob zelotipiam, vel alium particularem finem, ne audiant missam diebus festivis. Supradicti enim præter alias obligationes, quas habent, tenentur curare, ut filii, nepotes &c. mandata Dei, & Ecclesiæ servent, nisi adsit aliqua causa excusans.

9 Excusantur verò, si impediant dum non benè valent, aut quando adest aliquod periculum circa pudicitiam, V. G. ob aliquem adolescentem pœnitus amore sui captum; Vel quia ob inopiam habent vestes ita laceras, ut afferant dedecus decentiæ sui status, aut quia sunt perpetuo amentes.

10 Quoque casum vitant, si impediant in festis occurrentibus in octava mortis alicujus è domo sua, aut suorum strictæ cognatione junctorum, juxta consuetudinem, & morem patriæ. Nam tunc ob recentem, & vehementem dolorem, excusantur. Imo in aliquibus locis non exeũt, nisi completis diebus quindecim, aut mense, & usquedum luctuosis vestibus se induant; aliter si ante consuetum tempus, juxta morem patriæ, exeunt, putant parum dolere de suorum morte; & parum honorificum esse putat stultum, & detractor vulgus. Sicque discurre de aliis legitimis causis; Et demum excusantur impedientes alios, præter filias, & nepotes; vel si non impediant dictas filias, sed tantum negligant. Quia ut dicetur in *casu octavo*, impedire supponit violentiam inferre.

CAPUT III.

Casus tertius sine censura.

Stuprum, & Raptus quoad agentes.

PARS PRIMA.

Stuprum quoad agentes.

APOPHASIS.

1. *Quàm sit atrox stupri crimen?*
2. *Pœna mortis jure civili stupro apposita, non comprehendit mulierem?*
3. *Cur noster Legifer, crimen stupri, & raptus reservavit quoad agentes tantum?*
4. *Quid sit stuprum, & quia per illud intelligatur?*
5. *Probabilius est, quod copula puellæ consentiente habita, etiam invitis parentibus, non distinguatur à simplici fornicatione.*
6. *Copula blanditiis, muneribus &c. obtenta, non constituit stuprum, neque censetur comprehendi in casu, nisi adjunctæ sint minæ, vel metus reverentialis.*
7. *Stuprum potest virgini inferri duobus modis primò per vim, & coactionem; Secundò per dolum, & injustum metum. Et de his intelligitur præsens casus.*
8. *Triplex violentia considratur in muliere: Inductiva, Attractiva, & præcisè coactiva: prima, & secunda à peccato non excusat; benè verò tertia, ut n. 10.*
9. *Graviter sunt obiurgandæ quædam mulieres involutæ in hoc peccato, falso se excusantes. Et nec de facili credendum.*
10. *Vis præcisè, & absolutè coactiva, excusat à peccato.*

11

11. *Mulieres seipsas occidentes ne amittāt castitatem, peccant lethaliter.*
12. *Quid requiratur, ut mulier vi oppressa excusetur à stupro in foro externo?*
13. *Virginitas unde dicta? quid sit? & quot modis accipi potest?*
14. *Virginitas, in quo consistat? & quando amittatur?*
15. *Quid requiratur, ut virginitatis violatio, reservationi sit obnoxia?*
16. *In quo differat virginitas à castitate?*
17. *Virginitas consideratur, vel ut est status naturæ; vel ut est virtus; Et quomodo amittatur pro ut est status naturæ.*
18. *Virginitas prout est virtus, quomodo recuperabiliter, aut irrecuperabiliter amittatur?*
19. *Quotuplex sit Virginitatis integritas? Et qualis illius violatio requiratur ad incurrendum casum?*
20. *Ligatur casu, qui per vim, & coactionem, virginem deflorat; & etiam quando pœnitus est invita, quamvis absit violentia, & coactio.*
21. *Incurrit casum, qui per vim, & metum stupravit virginem, licet immaturæ ætatis.*
22. *Innodatur, qui ob facilitatem coitus dubitat, an mulier sit virgo? Ac etiam, qui committit stuprum antequam Episcopus illud reservet.*
23. *Irretitur reservationis laqueo ille, qui precibus importunis, & conjunctis cum vi, & metu etiam reverentiali, committit stuprum.*
24. *Innodatur pariter, qui dolo, aut metu, à virgine, copulam extorquet; Ac etiā sponsus, qui ante celebrationem matrimonii, extorquet per vim, & metum.*
25. *Excusatur etiam probabiliter, qui vi opprimit puellam, quæ ob suppositionem alicui animali, aut alia via passa fuit antea fractionem virginei claustri.*
26. *Qui accessit ad Virginem, polluens se super illam, ex quo fit effecta gravida, & adveniente partu, amittit virginitatem; non incurrit casum. Sicuti neque, qui aliter, quàm membro genitali, virginem deflorat.*
27. *Non incurrit, qui committit stuprum puella consentiente, etsi precibus importunis &c.*
28. *Neque ligatur vir, qui ex vi, & metu illato à fæmina, stuprum committit. Neque fæmina cogens, etsi in casu non excipiatur, ut est probabile.*
29. *Non innodatur sponsus per verba de præsenti, si ante bimestre cognoscat sponsam.*
30. *Quid debeant confessarii à stupratore inquirere, & advertere? Et ad quid teneatur stuprator?*

1. **A**trocitas stupri est tam irreparabile malum, ut nec Deus ipse possit talem reparare ruinam; Cum non possit efficere, ut mulier cognita à viro, non sit cognita. Quamvis possit reparare quoad integritatem mentis, reintegrando per gratiā, & quoad integritatem corporis amissam, corpus per miraculum consolidando. Et ideo de jure civili pro stupro cum virgine per vim illato, est nigrum *Theta*, idest pæna mortis. Sine vi, est pæna dimidiæ partis bonorum, cum relegatione; quamvis hoc, ut docet Julius Clarus, lib.5. §. *stuprum*, hodie non servetur. At ex lege *Attica* tenetur dotare, aut nubere; quam legem, sacri canones imitantes, eandem pænam statuere, *cap.1. de adulteriis*. Et in lege veteri ad utrumque stuprator tenebatur, *Deut.22.28.*, & 29.

2 Quæri solet, an pæna illa mortis stupro apposita, comprehendat etiam mulierē? Ratio dubitandi est; Quia ex Philosopho, *uno correlativorum posito, semper poni debet, & reliquum*. Cum impossibile sit, esse, & cognosci sine altero; Graff. docet, non comprehendi. Quia non est eadem ratio puniendi in utroque; cum potuerit mulier ad stuprum violenter trahi, & ita non peccare. Unde fit, quod statutum puniens crimen stupri, virum solum comprehendat, non autem oppressam mulierem.

3. Alto judicio noster Legifer hoc casum *stupri*, sicuti, & *raptus*, tantum quoad *agentes* reservavit. Quia stuprator, & raptor, & constituunt fœminam in periculo gravi deinceps fornicandi & in periculo infamiæ suæ ipsius, & totius suæ cognationis. Ac etiam quia ob id non facile nubet, & si nubat non de paragio, & semper abominabilis erit viro suo.

4 Stuprum in probabilissima sententia: *est defloratio virginis ipsa invita* (quia ipsa cōsentiente, est tantū simplex fornicatio) adeoque per *stuprum* intelligitur defloratio virginis per vim facta: Et secundum

Chapeav. cap. 11. facta preoitus importunis, falsis promissis, vel dolo.

5 Unde infertur primò, quod copula cũ virgine, ipsa consentiente habita, non cõstituit speciem luxuriæ à simplici fornicatione distinctam, cõtra Cajet. Thol. Azor. Trull., & Fon. *quæst.4.de matrim.pun.7.n.2.* docentes, esse stuprum, et si fiat ipsa consentiente: Quia tunc, ajunt, fit injuria patri, cui custodia filiæ commissa est; quod ajunt, esse verum etiam si parentibus orbata sit; ob injustitiam contra finem naturæ, in ordine ad quem claustrum virginale, concessit, cui puella non potest cedere. Cũ non domina; sed custos sui corporis sit. Quare probabiliter alii cum Sanchez, *lib. 7.de matrim.disp.14.* 5. Less. Vasq. Con. Layun. Dian., & aliis negant. Quia puella licet non sit domina sui corporis, est tamen domina usus illius, uti manuum, oculorum &c.

6 Infertur secundo, quod copula, blanditiis, muneribus, vel precibus importunis obtenta, non comprehendatur sub nomine stupri, ut probabiliter docent cum Less. & Sanch. atque ideo non comprehendi in casu, nisi junctæ sint minæ, vel metus reverentialis, quæ vi, & coactioni æquiparantur. Quia ad rationem stupri, & reservationis, requiritur violatio signaculi, & violentia virgini illata, quæ nunc deficit. Cum preces, quamvis importunæ, non contineant vim, neque tollant voluntarium.

Non desunt tamen alii cum Lupo, Graff. & Chap. docentes, illas continere violentiam *interpretativam.* Sed hæc non sufficit, sed requiritur *formalis*, vel illi æqualis; nisi aliud exprimatur in verbis legis, vel de mente reservantis.

7 Stuprum, potest duobus modis virgini inferri violenter. Primo per vim, & coactionem proprie dictam; ut si virgo ob sexus imbecillitatem à viro opprimatur, ipsa non solum non consentiente; sed quatenus potest, & debet, clamore, & nisu corporis resistente. Secundo per dolum, aut injustam metus incussionem, quæ violentiæ æquiparatur; ut si vir dolosa nuptiarum promissione copulam à virgine extorqueat: Vel sponsus per verba de futuro juret sponsæ, se cum alia nuptias initurum, ni copiam sui corporis sibi faciat.

De copula utraque ratione virgini illata, intelligendus est propositus casus. Nam copula etiam per dolum, fraudem, vel injustam metus incussionem à virgine extorta sub nomine stupri per vim illati, comprehendi, cum communi docent Authores.

8 Quoad mulierem verò, an peccet, triplex est consideranda violentia. Quædam *inductiva*, ut paupertas, quæ quandoque pessima consiliaria, & incitatrix est, non solum ad mentiendum; Sed etiam ad peragendas indignitates, aliaque scelera. Cum hodie nummi sint illi, qui emunt amorem, & honorem; nec aliæ litteræ sint majoris incitamenti, ad quodvis malum perpetrandum, quàm cambii. Altera violentia dicitur *attractiva*, ut inductio cum arte verborum. Et demum tertia appellatur *præcisè coactiva*.

Quoad primam, & secundam violentiam, quamvis paupertas, & blandiloquium plures trahat ad concubitum; Non tamen per hoc excusantur à peccato. Quia debet potius quis omne martyrium subire, quàm malo consentire; nec excusantur ab aliis pœnis civilis juris, l. *palam, ff.de ritu nuptiarum.*

9 Unde graviter sunt objurgandæ quædam mulieres involutæ in hoc luto, quæ in confessione apud Confessarios, se excusant dicendo: *Pater coacta fui à necessitate: Non potui non agere; quia semper me sequebatur: habitat propè meam domũ: promisit me ducere in uxorem: Ad extremum, est vir tantæ bonæ conditionis, morumque, & gratiosus, & tanquam magnes ad sui amorem, me attraxit.* Tunc enim evidens signum est, quod nolunt relinquere occasionem, sed dimittunt pro illo tempore.

Nec facile credendum mulieribus asserentibus, se invitas esse stupratas. Quia vix reperies hominem tanta impudentia captum, tamque excæcatum, ut muliere nolente, & objurgante, ipse eam constanter persequatur, & vix aliquas mulieres reperies ita debiles, ut revera resistere non possint, cum volunt. Et ideo sapienter egit quidam Judex, qui cuidam mulieri, quæ se oppressam ab aliquo viro dicebat, quem Judex condemnavit ad dandum mulieri decem libras, quas postea Judex jussit condemnato, ut auferret mulieri si posset; sed non potuit pœnitus auferre, ipsa se, & pecuniam defendente; ex quo Judex præsumpsit, quod nunquam potuit invita cognosci. Quia, ex quo sic defendebat pecu-

cuniam, potuisset etiam, si voluisset, suum corpus defendere: & ideò jussit mulieri, ut pecuniam accusato restitueret.

Mulieres enim cum sint naturâ valdè vanæ, superbæque, ita ut, si videant, ab aliquibus aspici, circulum ut paus conficiant. Et cum non sit ipsis aliquid relictum, in quo superbire possint, cum inhabiles sint ad omne officium agendum; tota inclinatio illarum est, ut avidè cupiant amari, & appeti, quæ postquam homines sibi subiecerunt, & irretierunt, permittunt omne tactum, & actum venereum; quamvis fingant resistere, & tales actus ipsis displicere, ut videantur castæ, & possint se excusare in casu, quo illarum crimen in publicum sit deductum. Tunc enim fictis cum lacrymis, cum omnibus, quibus loquuntur dicunt, esse proditas, ac coactas.

10 Circa violentiam præcisè, & absolutè *coactivam*, excusat à peccato in foro conscientiæ. Quia deficit voluntas peccandi. Unde habet D. Hieronymus: *Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas*; ut de B. Lucia legitur, respondisse ad Paschasium præfectum: *Si invitam jusseris me violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*.

11 Tamen puellæ invicem se præcipitantes, ne castitatem amitterent, committunt lethale (sic quando triginta illi Atheniensium tyranni, cum Pachonem in convivio necassent, filias suas virgines jussere ad se venire, & scortorum more nudari, & super pavimentum patris sanguine cruentum impudicis gestibus ludere, quæ paulis per dissimulato dolore, cum temulentos convivas cernerent, invicem quasi ad requisita naturæ egredientes, se complexæ in puteum præcipitaverunt, ut virginitatem morte servarent; licet hoc ex causa honesta fecerint. Tamen peccavere mortaliter seipsas interimendo) nisi id faciant ex speciali Spiritus Sancti impulsu, ut de innumeris aliis Sanctis legitur, Grass. *lib. 3. de sepult. consil. ux. n. 4.*

12 Ut autem mulier vi oppressa excusetur à stupro in foro exteriori, requiritur, ut resistat usque ad atrocissima verba, l. 1. §. *excusantur autem ser vi ff. ad Syllan.* & maximè in per culoso loco, ubi debet clamare. Quia sic potest auxilium habere à vicinis, conjunctis, & amicis, alias præsumitur voluntariè stuprata. Excipe si mulier non clamaret ob timorem majoris opprobrii, nisi suam infamiam permitteret, ut si vir ei diceret: *nisi consentias te occidam, & ponam te juxta unum ex tuis famulis occisam*, & dicam: *præ dolore stupri hanc mortem, te delegisse.*

13 Virginitas à *virore* dicta, eo quod immunitatem à concupiscentiæ adustione denotet, dupliciter accipi potest. Primò pro integritate carnis, quæ libidinosæ contagionis est expers. Secundò pro voluntate, & proposito illius integritatis, ac puritatis perpetuò, vel ad tempus ab omni libidinosa contagione conservandæ; & sic accepta, definitur virginitas, quod *sit virtus immunitatem à contagione libidinis, & carnis integritatem perpetuo tueri intendens, & proponens.*

14 In quo autem consistat virginitas, & quando amittatur?

Circa primum variæ sunt medicorum sententiæ, aliqui enim dicunt, inveniri ad orificium muliebris vasis membranulam dictam *hymen*, vel *ergian*, quæ si frangatur, dicunt amitti virginitatem.

Alii verò magis communiter cum Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 14. n. 1.* docent, claustrum virginale in mulieribus consistere in carnosis membranis illud ita arte constringentibus, ut appareat, quasi esse ligamentum cutaneum, vide Michaelem Boudevvins, *in Ventilabro Medico-Theologico, par. 2. q. 19.* qui etiam docet, posse semen circa muliebria effusum ita à matrice attrahi, ut hoc sufficiat ad consumationem matrimonii, licet corpus virginis non penetretur, nec fiat desloratio. At quod attinet ad mares consistit virginitas in inviolatione vasis genitalis, à quo nullum semen, sit adhuc voluntariè effusum.

Quoad secundam dubii partem, dico, quod virginitas in puella physicè amittitur per apertionem, seu distensionem partium, quæ vas genitale claudunt. In maribus verò amittitur per voluntariam seminis effusionem. Igitur integritas signaculi corporis per accidens se habet ad virginitatem; Abstinentia verò à delectatione, quæ consistit in seminis resolutione, habet se materialiter. Et propositum perpetuum se abstinendi à tali delectatione, se habet formaliter in virginitate. Et in hoc differt virginitatis status à statu castitatis. Quia ad hunc non requiritur di-

dum

ctum propositum, sed usque ad statum conjugalem.

15 Ut virginitatis violatio reservationi sit obnoxia, requiritur ut sit virgo, nēpè ut non dum ab aliquo viro priapo, seu membro genitali claustrum virginitatis sit perfractum; nec sufficit si puella, cui vis illata fuit ab omnibus reputetur virgo si revera sit corrupta. Cum forus pænitentiæ nitatur veritati non præsumptioni, ut forus externus.

16 Unde pro majori claritate notandū est primò, quod virginitas differt à castitate. 1. quod hæc etiam conjugatis, atque corruptis, & pænitentibus locum habere possit, non item virginitas, quæ semel per voluntarium consensum amissa, irreparabilis est. 2. quia castitas hoc habet pro munere, ut à libidinis contagione abhorreat, & subiectum in posterum à tali macula liberum præservet. Virginitas verò ulterius denotat, hoc subiectum nunquam fuisse libidinis labe fœdatum, quod in ratione castitatis non includitur.

17 Notandum est secundo, quod Virginitas dupliciter considerari potest, vel ut est *status* naturæ; vel ut est *virtus*. Prò ut est status naturæ, amittitur primò per voluntarium viri concubitum, sive in licito usu matrimonii, sive illicito congressu. Secundò per voluntarium congressum.

18 Notandum tertio, quod Virginitas, ut est *virtus*, recuperabiliter amittitur. 1. per desideria turpia. 2. per delectationem morosam. 3. per voluntatem nubendi. 4. per quemlibet actum venereum citra seminationem activè, vel passivè commissum, modò voluntarius sit. Virginitas igitur his 4. modis amissa integrè recuperat peracta pœnitentia. *Dixi modo actus venereus sit voluntarius*. Nam si involuntarie claustrū virginale violetur, virginitas ut virtus, non amittitur. Nam licet amplius non sit virgo *statu* seu *carne*, & naturaliter, *animo*; tamen, & *virtute* seu in *genere moris* adhuc est virgo, virginitatisque laudem, & præmium retinet, & consequenter ei propria virginis laureola debetur, & accipere potest velum consecrationis.

Irrecuperabiliter virginitas, ut est *virtus*, amittitur primò per voluntariam carnis comixtionem cum viro habita. 2. per voluntariam pollutionē etiam absque copula contigentē, dummodo in vigilia fuerit procurata, vel in causa directè intenta. Secus si omninò casualiter, quamvis ex causa mala, ut ex crapula, vel ebrietate.

19 Ex dictis liquet, duplicem esse virginitatis integritatē unam *carnis*, *animi* alteram. Unde virgo alia est integra sola carne; alia sola mente; Alia denique tam carne, quàm mente. Ad incurrendam verò reservationem sufficit violatio integritatis carnis.

20 Itaque ligatur reservatione, qui per violentiam & coactionem Virginem deflorat. Quia est stuprum per vim illatum. Idem est si penitus sit invita, quamvis absit violentia, & coactio.

21 Nec reservationis jaculum effugit, qui per vim, & metum stupravit virginem, licet ea sit immaturæ ætatis, & viro impotens. Quia verè fuit stuprum consummatum, & virgo dicitur tam maturæ, quā immaturæ ætatis.

22 Idem resolvas in dubio, an puella sit virgo ob facilitatem coitus; Quia licet arguant, puellam carere virginitate *virtuosa*, non tamen *naturali*, quæ sufficit ad rationē stupri, quoties intercedit vis, & metus ex parte viri, & puella præsumitur virgo, nisi contrarium probet stuprator. Eamdem reservationem incurrit, qui committit stuprum ante quam reservetur, ut dicetur de sodomia *casu* 10. *sine censura n.*15.

23 Innodatur etiā, qui precibus importunis coniunctis cum vi, & metu etiam reverentiali, qui vi, & coactione æquiparatur; Secus dicendum si non sint coniunctæ cum vi, & metu; Quia tunc non continent iniuriam, & violentiam, neque tollunt voluntarium.

24 Neque innoxius censeri debet, qui dolo, aut metu à virgine copulam extorquet. Quia æquiparantur violentiæ. Idem dic de sponso, qui ante celebrationem matrimonii copulam per vim, & metum extorquet, eo quod spoliet jure suo sponsam. Etsi sit dubium, an sit virgo? Cum in dubio præsumatur talis.

25 Si verò puella supponendo se alicui animali, fractionem virginalis claustri pateretur, putant aliqui cum Graff. *consil.* 23. *de sent. excom. n.*4. & 32. non ideo stupratam censendam fore. Quia nullus vir membro genitali virginitatis signaculum violavit; ideo si ab aliquo vi opprimatur, volunt incurri casum reservatum. Idem dicunt, si aliquo instrumento puella pudoris claustrum perfregerit. Tamen contrarium puto improbabile. Quia, iuxta dicta *n.*14. iam

iam per fractionem virginalis claustri, per quam apertæ, & distentæ sunt partes, iam amissa est virginitas, ideoque, qui illam vi opprimit; quia non committit stuprum, cum non desloret, neque casum incurrere reservatum, dicamus oportet.

26 An verò incidat, qui ad virginem accessit, & polluit se super eam, ex quo virgo sit effecta gravida, ut advenisse paren virginitatem amittere necesse sit?

Affirmat aliqui aientes, quod delinquens, & faciens actum illicitum, punitur, non solum de actu illicito, sed etiā de eo, quod præter ejus voluntatē, & intentionem fuit secutum.

Sed contrarium tenendum: quia reservatio stupri, intelligitur de stupro, quod est *defloratio virginis invitæ* facta in actu venereo per membrū naturale viri, tollendo signaculū virginitatis. Vnde infertur, quod non sit reservationi obnoxius, qui aliter quàm mēbro virginem deflorat. Quia proprie non dicitur stuprum, quamvis sit amissa virginitas.

27 Nec innodatur stuprator, qui cōmittit stuprum, puella consentiente, ut patet ex definitione stupri tradita *n.* 4. quamvis precibus etiam importunis consentiat, dūmodo non sint conjunctæ cum minis; aut si inducat falsis promissis, dolo, blanditiis &c. Quia tunc non tollitur voluntarium, quāvis possit minui.

28 Neque reservātis juris nexu innodatur vir, qui ex vi, metuque illato à fœmina stuprū cōmittit. Quia stuprū propriè significat, & illicitam, & injuriosam virginis defloratione. Neq; incurrit fœmina cogens, etsi in casu non excipiatur. Quia tunc non est stuprum, sed *defloratio*, quod est certum in hac Diœcesi, in qua tantum agentes, non autem stuprum patientes Legislator voluit telo reservationis affici.

29 Pariter evadit casum sponsus, qui per verba de præsenti non dum effluxu bimestri concesso sponsis ad deliberandū de ingressu in religionem, sponsam per vim cognovit. Quia etsi tunc sponsus contra justitiam delinquat, eo quod spoliet jure suo sponsam, non tamen peccat contra virtutem temperantiæ, cum accedat ad suam.

30 Demum pro confessariis notandum, quod debent à stupratore virginis inquirere, an per vim, aut fraudem, illam defloraverit, an verò cōsentiente. Nā si per vim, & metum egerit, tenetur eam, vel in uxorem ducere; vel tantam dotem tradere, ut æquè, ac benè nubere possit, ac si corrupta nō fuisset. Et cum in alternativis, debitoris sit electio, si malit tali modo dotare, non tenetur eam ducere ante judicis sententiam, etiam si ipsa, & parentes ejus velint, Nav. *in man. cap.* 26. *n.* 18. Iul. Clar. §. *stuprum n.* 3. Mol. *tract.* 3. *disp.* 106. *n.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 2. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 14. *n.* 11. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 13. *n.* 3. *&c.*

Si verò puella liberè consensit ad nihil tenetur. Quia volenti, & consentienti non fit injuria; ac neque parentibus, ob rationē *n.* 5. catā. Quod valet etiam si fiat precibus importunis, quæ, si absunt minæ, non tollunt voluntarium. Tenetur tamen damnū secutum filiæ & parentibus resarcire, quando stuprum erat occultum, & stuprator injuriosè infamavit. Sicuti quando Judex secutus sententiam contrariam, nempe quod iniuria illata sit parentibus, stupratorē cōdemnet ad pœnā, tunc illam solvere debet.

Advertat itē confessarius, quod licet puella violenter esset stuprata, si facinus occultū mansit, & æquè benè nupsit, ex eit. DD. probabile est, quod stuprator ad nullam restitutionem teneatur ante judicis sententiā

Pars Altera.

Raptus quoad agentes.

A P O P H A S I S.

1 *Pene raptus.*

2 *Raptus quas significationes habeat? quid sit? & und. dictus?*

3 *Raptus in quo differat à stupro?*

4 *Tria requiruntur in Raptu: Vis illata, finis inhonestæ libidinis, & abductio in alium locum. Et cui fieri possit violentia in raptu?*

5 *Violenter rapiens mulierem ad turpem actum cum ipsa exercendū, incurrit casum, & pœnas à Trid. contra raptores latas; quod est verum etiam si blandimētis, vel verbis deceptoriis rapiat.*

6 *Incidit etiam rapiens virginem, si non cognoscat.*

7 *Quamvis sentiant, incurrere casum, sive vis sit abductæ personæ illata, sive iis sub quorum potestate est; tamen oppositū est probabilius.*

8 *Probabiliter incurrit casū, & alias pœnas à Trid. latas, qui violenter abducit fœminam etsi ipsa consentiente corrumpatur.*

9 *Non incurrit dictas pœnas blandimentis*

 ra-

rapiens, & cognoscens mulierē, & probabiliter neque si promissionibus importunis.

10 *Rapiens mulierem, si pænitentia ductus, eam non cognoscat, aut quia non potuit, probabiliter incidit in reservatum, modò rapuerit causâ libidinis explendæ. Secus si causa matrimonii contrahendi, & ipsa consentiente.*

11 *An verò incurrat casum puella rapiēs juvenem? utrumque est probabile. At puto esse tenendā sententiam negativā.*

12 *Abducens puellam ex una ad aliam cameram, & super lectum proiiciens, non est raptor, ideoque neque incurrit casum, & alias pœnas.*

13 *Qui rapit meretricem, non tenetur pœna raptus, nec reservationem incurrit. Secus dicendum de conversa ad Deum, & de concubina resipiscere volente.*

14 *Neque incurrit adolescens cognoscens mulierem, quæ illius amore capta post illum ad suam domum, ubi illa stuprata liberè rediit, ad domum suam.*

15 *Similiter casum effugit, qui rapit mulierem ad eam in servitutem redigendā.*

1 Quia Raptus persæpè cum stupro solet esse conjunctus; ideo noster Legislator simul cum stupro, Raptum reservavit. Pœnæ Raptus, præter taxatas a *Trid. sess. 24. cap. 6.* Jure Civili, raptor decapitatur, & eius substantia raptæ applicatur in foro judiciali, *l. un. & l. raptores, C. de Episc. & Cler.* & secundum Canones, raptor fit servus raptæ, nisi se velit redimere, *36. q. 1. cap. 3.* & est etiam infamis, &c.

2 Raptor habet plures significationes. Nam primò raptor dicitur qui violenter, & publicè tollit aliena, ac etiam usurarum fenerator. secundo dicitur raptor, in inventarium rerum detentor; Vnde illud: *Si quid invenisti, & non restituisti, rapuisti.* Item raptor dicitur Prælatus, rerum Ecclesiasticarum dissipator, & etiam, qui ultra sua necessaria retinet.

Tamen raptus quoad nostram materiā: *est violenta abductio alicuius personæ ad turpem actum cum ipsa exercendum.* Raptus a rapiendo, idest corrumpendo dictus est, *27. q. 2. c. raptus*, & *36. q. c. 1*

3 Differt à stupro, primò, quia semper cum virgine, est stuprum. At raptus, est cum quacumque muliere, imo etiam masculo. Secundò quia stuprum solum dicit violentiam, vel ad summum fraudem: Raptus verò etiam addit abductionem.

4 Ad raptum tria requiruntur: vis illata: finis inhonestæ libidinis: & abductio in alium locum. Violentia verò in raptu, fit aliquando ipsi fœminæ tantum; aliquando suis parentibus, sive aliis, quorum potestati subest, & aliquando ipsi, & parentibus. Tamen sola violentia parentibus illata, communiter non sufficit ad raptū.

5 Igitur resolvitur primò, quod violenter rapiens mulierem ad turpem actū cum ipsa exercendum, incurrit casum reservatum, & pœnas a Trid. latas: Quod verum est etiam si blandimentis, & verbis deceptoriis rapiat, & cognoscat cum animo illam abducendi, & alio in loco cōtra ejus voluntatem retinendi.

6 Idem dicunt de rapiente virginem, & non cognoscente. Quia ut Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 9. n. 11. Less. lib. 4. cap. 3. n. 66.* apud Tamb. *de cas. reser.* docent, raptus satis consummatur per ipsam abductionem ad finem explendæ libidinis, qui finis sufficit, & ob mulieris infamiam, quæ nunquam potest integre restitui; etsi mille testibus probatum fuerit, eam non dum a raptore corruptam fuisse. Quis enim crederet per juvenem libidinosū solivagam, & imbellem mulierem non esse pollutam? atque ideo aut pessimè, aut ferè semper innupta remanebit.

7 Id ipsum sentiunt, sive sit illata, personæ abductæ, sive iis sub quorum potestate est. Tamen longè probabile est oppositum. Quia sumus in pœnalibus, quæ strictè intelligenda sunt; & manet in abducta plena libertas, & ideo. *cap. ult. de raptoribus dicī non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quàm recognoverit, licet parentes reclamarent.*

8 Dubitatur modò, an incurrat reservationē, & alias pœnas à Trid. citata. *sess. 24. cap. 6.* latas, qui violenter abducit fœminā si ipsa consentiente corrumpatur?

Aliqui cum Host. dicunt esse raptum, & hoc etiam si per interpositā personā transtulerit puellam à domo paterna ad aliam domum. Quia salvatur ratio raptus; & finis raptoris est, ut quocumque modo sive voluntate, sive violenter cognoscat mulierem; & ad rationem raptus, sufficit vis illata patri.

9 Non incurrit dictas pœnas cyphilus blandimentis rapiens, & cognoscens mulierem, & probabiliter nec qui promissionibus importunis: Quia non est vis, nec violenta abductio.

Ra-

10 Rapiens mulierem, si pœnitentia ductus non cognoscat, aut quia non potuit, probabiliter incidit in reservatū, modò rapuerit causa libidinis explendæ (quod sufficit ad rationem raptus) & adsit iniuria illata parentibus, & infamia mulieris. Non tamen incurrit, si ipsa consentiente, rapiat causa matrimonii contrahendi, ut si præcessit, & perfectus sit tractatus de matrimonio, aut si primò eam desponsaverat.

11 Rursus quæritur, an incurrat casum puella juvenem rapiens?

Non incurrere docet plures. Quia de *raptore*, non de *raptrice* dicitur raptus, & leges non solent fieri de casibus rarissimis, qualis est hic. Alii verò contradicunt; Quia juxta dicta *disp.1.q.1. cap.3. n.12.* quando Lex etiam de se odiosa exprimit rationem, ob quam lata est, extenditur etiam ad casū in quo clarè occurrit eadē ratio legis, uti colligitur ex multis legibus citatis à Croix *lib.6.par. 3 de matrim.n. 381. 5.10 & n. 635.* Quia ubi ratio exprimitur, debet esse eadem juris dispositio, etiam in pœnalibus; neque illa censetur esse interpretatio extensiva, sed declaratio comprehensiva. Sequenda enim est mens legis, ubi exprimitur, & non solū verbum; & præcipuè, quia tunc mulier exercet officium agentis. At, ut verum fatear, potius tenendum est non incurrere.

12 Si quis puellā ex una camera ad aliā abduxerit, & super lectum projecerit non est raptor, ideoque nec incurrit reservatū, nec excommunicationem a dicto Trid. latam, perpetuam infamiam, incapacitatem omnium dignitatum, nec etiam tenetur dotare. Quia tunc nō rapitur de loco ad locū causa abducendi, sed commodioris coitus. Nec dictæ pœnæ comprehendunt eos, qui rapuerunt eam, non causa matrimonii.

13 Qui rapit recellidam seu meretricem, non tenetur pœna raptus, nec reservationē incurrit. Quia oportet ut sit honesta. Secus dicendum de conversa ad Deum. Idemque dicas de concubina volente resipiscere.

14 Nec incurrit juvenis, qui cognoscit mulierem, quæ illius amore capta, post illū abiit in dom.ū suam, ubi ab eo stuprata recessit sua voluntate. Quia non fuit ablatio violenta. Et si fortè mulier dederit viro pro causa venerea pretiū, non tenetur vir ei illud restituere. Quia æquius est, ut illud accipiat, docet Grassus, cum plus tribuat. Sicuti Alexander accepit à Regina illa Amazone, quæ illum recipiendæ causa prolis invisit, quod, & precibus, & pretio ut fertur, obtinuit.

15 Et à fortiori non incurrit, qui rapit mulierem non ad libidinē explendam; Sed in servitutem redigendam. Cum tunc non sit *raptus*, sed *plagium*, quod est quædam furti species. Imo aliqui volunt, non solum non incurri impedimentū canonicum, nisi rapiat causa matrimonii (quod communiter docent) sed nec reservatum, nisi ex alia causa, V.G. ob stuprum.

CAPUT IV.

Casus quartus sine Censura.

Comestio ciborum vetitorum sine debita licentia

APOPHASIS.

1 *Quàm malè agant quidam immoderati homines, qui ut carnes comedant, fingunt se ægrotare.*

2 *Quid nomine carnis, & lacticiniorum veniat?*

3 *Ligantur casu omnes, qui absque debita licentia, & justa causa comedunt carnes, ova, & lacticinia in quadragesima, sicuti in aliis jejuniis infra annum, non solum si comedunt carnes, sed etiam ova, & lacticinia, ubi adsit consuetudo ab illis abstinendi.*

4 *Non ligantur tamen comedentes carnes in diebus veneris, & Saturni, quamvis peccent graviter toties quoties illas comedunt, & sint suspecti de hæresi, si passim comedant, & possint puniri ab Inquisitoribus s. Officii.*

5 *Comedens pluries eadem die cibos vetitos diebus jejuniorum, unicam reservationem incurrit. Tamen comedendo carnes peccat graviter, toties quoties comedit.*

6 *Innodatur casu, qui ob aliquam causam excusantur à jejuniis, si in illis carnes comedant.*

7 *Qui comedit cibos vetitos in jejunio, quod fit ex voto, pœnitentia, aut ob aliam causam, non incurrit casum.*

8 *Qui initio quadragesimæ ob aliquē morbum obtinet à medico facultatem comedendi cibos vetitos, si post dies octo, integrè à tali morbo curetur, non tenetur in reliqua quadragesima abstinere à cibis vetitis, si laboret aliquo morbo cronico, cum faveant quadragesimales cibi.*

9 *In causa certa, & evidenti, potest ægrotans vesci cibis prohibitis sine licentia.*

 10

10 *Differentia dispensationis legis ab irritatione, abrogatione, derogatione, & declaratione, seu interpretatione, & quid sit*

11 *Dispensatio à declaratione; in quo differant?*

12 *Non ligantur hoc casu infantes ante usū rationis, & probabiliter nec impuberes.*

13 *Casum hunc effugiunt perpetuò amentes. At non ebrii.*

14 *Neque incurrunt, qui ministrant aliis cibos vetitos, & si per contentis ministrent illis, qui com dere eos possunt.*

15 *Excusantur quoque versantes inter hereticos, si non possint respuere cibos vetitos ob aliquod grave periculū, nisi ex tali esu fiat protestatio falsæ fidei.*

16 *Licentia comedendi cibos vetitos, conceditur à medico, & in Civitate postea defertur ad Episcopum, vel Vicarium, ut firmetur. At in aliis locis Diœcesis ad Parochos.*

17 *Medici absque iusta causa concedentes licentias, peccant graviter, & secundum nonnullos etiam si concedant plusquā infirmitas postulaverit.*

18 *Medicus probabiliter potest declarare, infirmum indigere comedere carnes; & si ægrotus sit incertus. Et dispēsatus ad carnes, etiam ovis, & lacticinis vesci potest, sed non è contra.*

19. *Si quis in una Diœcesi absolvisset quadragesimam, potest in altera, in qua adhuc est quadragesima edere carnes.*

1 Quia sunt aliqui ita immoderatè & more brutali ad edendum, & bibendum inclinati, ut ob comestionis, & potus (qui ordinantur ex se à natura ad vitam conservandam) superfluitatem, & vitam destruāt, & quam vivunt, ægrā, miserandamque ducant; Ac etiam quia à recta ratione deviat, super his quoq. peccato locū præbent. Non enim ille Evangelicus dives gravius, in lingua in inferis arderet, nisi splēdidè quotidie epulatus esset. Tales sunt nostro ævo quidam temperanti tam dulcis, delicative, quique tantas fingunt habere infirmitates, ut videantur retinere nosocomium omniū malorum in sua ipsorum persona. Hi enim agunt, ut vulpis, quæ ut melius prædetur, mortuam se fingit. Non enim sunt delicati dum in bacchanalibus vigilant noctibus integris ad ludendum, saltandum, canendū comedendum, bibendū, & dum eunt larvis induti multa stulta, & ridicula agendo; ut meritò quidam Turcha, qui viderat impudentiam Christianorum in bacchanalibus, & ceremonias sacrorum cinerum in prima die quadragesimæ dixit, *Christianos ante eorum iejunium insanire, sed postea aspersos quodam pulvere mirabilis virtutis, statim ad pristinam sanitatem redire*. O mundum aversū! O sæcula corrupta! Etenim priscis illis temporibus, non sic se gerebant fideles Nam anno 545. cum in Oriente grassaretur generalis fames Justinianus Imperator jussit, ut in Civitate Cōstantinopolitana venderetur in quadragesima caro, ut suppleretur extremæ indigentiæ, & deficientiæ aliorum ciborum; & tamen inter tot homines nullus fuit, qui frangeret quadragesimale jejunium, carnes comedendo: eligentes potius fame perire, quàm transgredi illud sanctum præceptum.

2 Quia in hoc casu reservatur comestio ciborum vetitorū sine debita licētia, ideo videndum quid veniat nomine ciborum vetitorum! Nomine illorum, veniunt primo loco carnes, nempe, quæ ex communi hominum æxtimatione, & usu talia putantur. Doctores hanc aliam regulam solent dare: ea animalia, quæ diu vivere possunt extra aquam, & quæ magis similia sunt animalibus habentibus carnem, quàm non, ea nomine vetitarum carnium veniunt. Sed quia hæc regula, non semper vera est, cum dentur terrestres testudines, & limaces, quę etiam extra aquam vivunt, & tamen à carnibus excluduntur, & Tamb. de jejunio etiam excludit viperā, cum sit exigui nutrimenti; quia multam terrestrem continet substantiam, similis est anguillis, & valde medicinalis.

Secundo loco puto venire ova (quæ aliud non sunt, quam liquida caro: & ideo propter eam caliditatem magis prohibetur unum ovum comedere, quàm bonam piscium refectionem) & lacticinia in quadragesima, ac etiam in aliis ieiuniis infra annum, ubi adest consuetudo, Viva *in prop.* 32. ab Alex. VII. proscripta, & liquet ex c. *denique* dis. 4. ubi de quadragesimali jeiunio loquēs, hæc habet. *Par est, ut ab iis, quæ sementinam in carnibus originē trahunt, abstineamus.* Igitur prohibentur omnia ova, non solum perfectè completa, sed etiam quæ appellant nonnata, nempe quæ molli oblumine sunt circumdata (à nostris mulieribus appellata vulgò: *ova lappe*) ac etiam, quæ habent solum vitellum; cum sint ejusdem substantiæ. Tamen

men racemus ille nervosus unde prædicta pendent, cũ totus sit carneus, in carnis nomine includitur.

Demum nomine lacticiniorum venit lac (nempe sanguis colore mutatus. Unde lac à colore, nempe quod sit albus liquor nominatur caseus) nempe lac coagulatum, butyrum, & alia ex lacte confecta.

3 Igitur concludendũ ligari casu omnes qui absque debita licentia, & justa causa comedũt carnes, ova, lacticiniaque in Quadragesima, in qua jejunia sunt solemniora, & strictiora; ac etiam comedentes carnes in aliis jejuniis infra annum, vigiliarum, & quatuor temporum, in quibus quoque ab ovis, & lacticiniis, est abstinendum, ubi adest consuetudo, ut in his partibus. Quia etsi abstinẽtia ab illis non spectet ad substantiã jejunii; Tamen ob dictam consuetudinem veniunt nomine ciborum vetitorum. Secus dicendum in partibus septentrionalibus, & aliis, ubi adest cõsuetudo comededi dicta lacticinia in jejuniis. *Vide Viva* n. 10. & 11.

4 Tamen non ligantur casu comedentes carnes in diebus veneris, & sabathi, in quibus permittuntur ova, & lacticinia. Quia legislator prohibet cibos vetitos, tantum tempore jejuniorũ, liquet ex nostra Synodo *de observantia jejuniorum* pag. 171. *cap.* 18. §. 1. & 3. Quamvis peccent graviter toties quoties comedunt (Quia est præceptum negativum; & hoc, ratione ipsarum carnium, à quibus abstinere, multum facit ad carnis mortificationem); & sint suspecti de hæresi, & possint puniri ab Inquisitoribus s. Officii, si pluries in illis diebus comedunt.

5 Comedens pluries cibos vetitos in diebus jejuniorum eadem die, etsi peccet mortaliter toties comedit carnes, ut modo dictum est, unicam reservationem incurrit. Ratio desumi potest ex dictis *casu* 3. *cum censura*, n. 7. Secus dicendũ, si comedat carnes, in pluribus diebus.

6 Innodantur casu, qui ob laborem, paupertatem, ætatem, aut aliam causam excusãtur à jejuniis si comedant carnes &c. Quia Legislator prohibuit cibos vetitos in diebus jejuniorum omnibus, non autem solũ iis, qui tenentur jejunare.

7. Qui vovit jejunare, omnibus diebus vitæ suę, omnibus diebus sabbathĩ, (quique juxtà communem obligatur etiam post annum 60) non incurrit. Quia etsi votum obliget secundum modum legis Ecclesiasticæ quantum ad formam, & modum jejunandi, non autem quantũ ad personas; alioquin qui ante vigesimum primum annum vovisset jejunare, non teneretur. Quia Ecclesia, eum tunc non adstringit. Ratiõ a priori est, quia potest aliquis sibi imponere voto obligationem, quãvis illam, ei non imponat Ecclesia; non incideret in casum, si in illis comedat cibos vetitos. Quia Legislator intendit id prohibere in jejuniis ab Ecclesia, præceptis, ut liquet ex cit. *Syn.* non autẽ in illis, quæ fortè ex voto, pœnitentia, aut ad consecutionẽ jubilęi observantur, alioquin qui ex devotione, vellet jejunare, & comedat in illo cibos vetitos, incurret casũ.

8 Sed quæres, an obtinens ob morbũ dispensationem, aut fidem a medico comedendi cibos vetitos Quadragesimę, si post dies o to, integrè à tali morbo curetur, an incurrat casũ reservatũ, si in reliqua Quadragesima carnes comedat?

Putarunt aliqui cũ Salas, & Burgh. manere dispensationem. Quia lex semel sublata, non redit sine voluntate superioris, & dispensatio cum justa causa semel facta, non revocatur. Dispensatio enim fuit data pro causa pręsenti, non futura, nisi addita fuerit hæc clausula *durante causa*. Et quia dispensatio fuit absoluta, non reviviscit; Obligatio enim semel extincta, nunquam reviviscit.

Contrarium tamen probabilius tenent alii cum Steph. & Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 30. *n.* 4. Quia dispensatus tantũ potuit patere pro tempore, quo extabat causa, & pro illo tantum censetur dispensans, dispẽsasse, aliter illicitẽ dispensasset. Ergo cessãte causa cessat dispensatio. Secus dicendum in dubio, an perfecta sanitas sit obtenta.

Sed tantorum virorum pace, pro maiori claritate, dico quod juxta medicos, duo morborum genera pręsertim distingui solent. *Alii* enim vocantur *cronici*, seu diuturni. *Alii acuti*, seu breves. *Cronici* sunt illi, qui diu durant, & non semel usque ad mortẽ, ut esset V.G. Hypochondria Asmma Nephritis, Podagra &c. Acuti sunt, qui durant pro aliquo brevi tempore V. G. usque ad diem septimum, decimum quartum; vigesimum; aut de rigore usque ad quadragesimam; post quod tempus, infirmus denuò recuperat perfectã sanitatem, & tales essẽt febres continuæ; Pleuritis, Dysenteria &c. His notatis.

Dico quod si obtinens dispensationem, seu fidem à medico, laboret morbo *cronico*

cci

cui faveant cibi quadragesimales; tunc et si in principio Quadragesimae curetur à tali morbo, adhuc potest vesci cibis prohibitis. Quia aeroti talibus morbis, & si pro aliquo tempore sani, & hilaris faciei videatur: Tamen, quia intrinsece, & in radice sunt infirmi, ideo faciliter data causa, ut esset esus ciborum quadragesimalium, possent à novo paroxismo aggredi, ideoq; ad se praeservandos, meritò à cibis quadragesimalibus abstinere possunt.

Si verò obtineat, ob morbum acutum, postquam ab illo est rectè curatus, tenetur abstinere à cibis pascalibus in reliqua quadragesima. Quia hi morbi semel benè curari, recidivam facere non solent.

9 Quando verò causa est certa, & evidēs tunc aegrotus potest licitè vesci illis sine ullius licentia, & consilio; & absque ullo timore reservationis. Quia in tantum requiritur licentia, ut videatur, an causa sit justa, ut possit sine culpa illis vesci. Et etiā quia tunc finis legis cessaret contrariè, ut dictum est, disp. 1. qu. 3. c. 1. Ac demum, & quia talis est praxis; & necessitas non habet legem, sed ipsa sibi facit legem. Et durante necessitatis, vel misericordiae causa non est opus dispensatione, sed sufficit legis declaratio.

10 Ideo notanda diligenter est differentia dispensationis ab irritatione, abrogatione, derogatione, & declaratione, seu interpretatione. Enim irritatio, est cum lex aboletur antequam perfectè obliget, nempe quando perfecta obligatio legis pendet ex voluntate alterius, qui illam non vult approbare. Abrogatio est quando lex, quae jam perfectè obligabat, simpliciter tollitur seu aboletur. Derogatio est quando ex parte tollitur, & ex parte manet. Dispensatio est quando in aliquo casu, quo revera viget, & obligat lex, tollitur ejus obligatio ab aliquo homine in particulari, reliquis manentibus dispositioni legis subjectis. Declaratio verò est quando declaratur, legem in aliquo casu particulari non obligare, quam aliqui vocant interpretationem legis secundum Epickeiam.

11 Quamvis autem aliqui dispensationē, & declarationem pro eodem accipiant, tamen valde inter se differunt: quia dispēsatio non potest fieri nisi à Superiore: Declaratio vero saepe fit à subdito, & praecipuè quando res est clara, & liquida (cum quando res est dubia, potest Superior sibi ipsi reservare legis interpretationem) Igitur ad dispensandum opus est potestate, & jurisdictione: Ad declarandum, doctrinâ, & prudentiâ. 2 tunc locum habet dispensatio quando lex viget, & obligat: tunc declaratio, quando putatur non obligare. 3. dispensatio requirit, ut maneant circumstantiae, sub quibus lex antea obligabat; declaratio ut mutatae sint.

12 Pariter sunt liberi ab hoc casu infantes ante septennium, ac etiam post, si non dum acquisiverint usum rationis, & probabiliter, juxta dicta disp. 1. q. 4. c. n. 2. etiam impuberes, nempe mares ante 14 annum, & faeminae ante 12 quamvis non liberentur à gravi culpa. Quia abstinentia à carnibus regulariter ab anno septimo obligat.

13 Effugiunt quoque casum perpetuo amentes, comedentes in dictis diebus cibos vetitos. Et quia probabile est; nullis humanis legibus ligari, & etiam, quia sunt veri infirmi, & cibi quadragesimales solēt illis nocere, cum foveant pravos humores. At non excusantur ebrii ob contrariam rationem.

14 Effugiunt etiam reservationem ministrantes cibos vetitos illis, qui tenentur ab illis abstinere, etsi possint peccare graviter. Quia Comestio ciborum vetitorum prohibetur; non vero ministratio. Imo ministrantes infantibus, & aliis, qui possunt comedere, nullum peccatum committunt; Quia, qui licitè comedunt, licite ei possunt ministrari.

15 Similiter excusantur à reservato, qui cum versentur inter haereticos, non possunt cibos vetitos respuere, ob periculum carceris, tormentorum, vitae, &c. nec tunc peccant mortaliter. Quia usus talium ciborum, non est signum institutum ad professionem falsae fidei, & negationem verae; Sed ad occultationem, quod aliquando licet. Secus dicendum si ab authoritate publica, vel privata talis esus fiat in protestationem falsae religionis, aut in contemptum Ecclesiae, vel scandalum aliorum.

16 Quia additur in casu sine debita licentia; ideo videndum, à quo debeat concedi praedicta licentia?

Dico quod illa debet concedi à Doctore physico ad quem spectat judicare, an causa seu indispositio id exigat, an non? Liquet ex citata Synodo; & postea praedicta

ea licentia deferenda est ad Episcopū, vel Vicarium Generalem. Tamen hoc servatur tantum in Civitate: Nam in aliis locis Diœceseos valdè ab illa distantibus, firmatur à Parocho loci; & talis est usus, & cōsuetudo in his partibus. Imo, ut docet Croix *lib. 3. par. 2. n. 1311.* in multis Diœcesibus, Parochi dispensant in jeiunio etiam quoad esum carnium, vide Petrum Leurenium *par. 1. quæst. 437. n. 1.*

17 Item gravat Legislator, in *syn. loc. cit.* medicorum conscientias, ne sine justa, & gravi causa faciant fidem, seu potius *declarationem* infirmis comedendi cibos vetitos. Ideo non carent culpa medici concedentes licentias iis, qui benè valent, imò (ut aliqui docent, licet nimis strictè) et iam infirmis, quibus concedunt tempore ieiuniorum plusquam infirmitas postulaverit: Cū non debeant iis indistinctè indulgere; maximèque cum multæ sint infirmitates, quibus abstinentia non solum non nocet, sed notabiliter auxiliatur. In dispensatione nam, causæ urgentia attendenda est; at si infirmitas exigat, ut infirmus bis, aut ter comedat, sed non exigat comedere carnes, tunc licentia concedenda est in *commestione*, non in *carnibus*, & è contra.

Atque ideo permulti tenent sententiam Jacobi Marchino, qui in dubio, an sit solutus à lege jejunii, qui obtinuit licentiam a medico comedendi carnes? *P. a. 9. 8. dub. 30.* distinguit, dum ait: *vel talis esus conceditur ad vires recuperandas, & tunc dispensatus liber est à ieiunii lege: Vel conceditur ad vires præservandas, seu pro periculo futuri morbi vitādo, & piæ avendi, seu quia pisces abhorret, aut naturæ temperando nocere putatur, & tunc causa non sufficit cur gemina comestio concedatur, Less. lib. 4. cap. 2. de jejunio, dub. 6. n. 45. Bon. de leg. disp. ult. de præcep. Eccl. quæst. 1. pun. 1. n. 3.* & ceteri apud ipsum.

18 Insuper notandum, quod medici non possunt dispensare in jeiunio, vel in esu carnium, sed tantum possunt, ut alii viri prudentes declarare, quod hic, & nunc non obliget præceptum, ob grave damnum, vel incommodum, Facundez de 4. *Eccl. præcepto.* Nec facilè debent concedere petentibus talem licentiam, nisi patenter cognoscant necessitatem. Cū hodiè videamus homines, qui cum comedunt carnes, non nocent pisces: Sed vetitis carnibus, pisces necant; Sicque permissa juvant: prohibita, salutem prorsus tollunt. Ideoque meritò medici, qui dolosè, & sine causa, & necessitate illā cōcedunt ab aliq ribus ordinariis casu hoc ligantur.

Quod si ægrotus incertus sit, an ob infirmitatem corporalem possit comedere cibos vetitos? Probabiliter possunt tunc declarare, eum indigere comedere carnes, & sic dispensatus, libere potest uti. Secus, si non cognoscat indigere; & dispensatus ad carnes, etiam ovis, & lacticiniis vesci potest, sed non è converso.

19 Transiens ex una iu alteram Diœcesim, ubi non servatur idem stylus kalendarii, nempe si in una absolvisset quadragesimam, posset in altera, in qua adhuc est quadragesima edere carnes absque timore culpæ, & reservationis. Quia iam absolvit quadragesimam, & Ecclesia obligat tantum ad unam, singulis annis.

Nec excusantur in Italia comedentes carnes, ova, & lacticinia virtute Bullæ Cruciatæ. Quia, ut docet communis, talis facultas in Italia locum non habet.

CAPUT V.

Casus Quintus sine censura.

Quæcumque simplex blasphemia in Deum, & B. Virginem & sanctos prolata ex consuetudine, scilicet ultra quatuor vices.

APOPHASIS.

1 *Cur blasphemiæ peccatum gravius sit aliis criminibus?*
2 *Reservatur in hoc casu simplex blasphemia prolata ex consuetudine.*
3 *Ex verbis Synodi, videtur, quod noster Legislator tantum simplicē blasphemiā in Deum, & B. Virginem sibi reservet.*
4 *At revera in hoc casu reservatur etiam blasphemia in Sanctos.*
5 *Simplex Blasphemia, alia est in Deum, alia in Sanctos, & utraque est ejusdem speciei. Regula generalis pro dignoscendo quando incurratur peccatum blasphemiæ, & consequenter reservatio.*
6 *Ad incurrendum hunc casum requiritur consuetudo blasphemandi; ad quam inducendam quot actus requirantur, disputant Doctores.*
7 *Ad incurrendā reservationem hujus casus blasphemiæ sufficiunt quinque actus, diversis temporibus prolati.*
8 *Qui quinquies ab ultima cōfessione blasphema-*

phemavit, incurrit casum reservatum, sive possit determinari, sive non, quod sit acquisita consuetudo.

9 Poenitens, qui quinquies ab ultima confessione blasphemavit juxta sententiam tenentium consuetudinem acquiri per quinque actus, incurrit reservatum, & si in lege reservationis Legislator non expresserit vices. Secus dicendum in sententia aliorum.

10 Per propositum verum in confessione retractatur prava consuetudo.

11 Incurrit hunc casum, qui à quinque annis non est confessus, & in toto hoc tempore, quinquies, nempe tantum semel in anno blasphemavit. At oppositum, etiam est probabile.

12 Blasphemiam reservatam incurrit, qui aliquid Deo imprecatur.

13 Innodatur quoque, qui dicit: possim renegare fidem, vel Deum, nisi te cædam, nisi hoc agam &c.

14 Item ligatur, qui ait: Disgratio Dio di quel che mi fà. Sicuti qui in rixa vel ira, usum rationis non adimente, dicit: Ad corpus, ad sanguinē, aut vulnera Dei intelligendo quidem Deum incarnatum, sed per modum convicii, & in contemptū. Idemque dicendum de lusoribus proferentibus dicta verba.

15 Sic probabiliter etiam incurrit inhonestè nominans pudenda Christi, vel alterius sancti cum dedecore, & contumelia.

16 Quoque irretitur reservatione, qui in contemptum dicit: al costettazzo, al sanguazzo di Dio: Dio Sacratone.

17 Feritur quoque telo reservationis, qui dicit: Deus non est, nisi hoc miraculū efficiat, vel vindictam sumat; nisi aliud proferens significare intendat, ut ferè semper accidit;

18 Item, qui dicit: Putana della Vergine, gravissimum crimen committit.

19 Afficitur etiam casu, qui advertenter, & ex intentione blasphemandi profert verba blasphema, quamvis nesciat proprium, eorum significatum.

20 Insuper, qui quinquies contra Deum, Virginem, aut sanctos verbum contumeliosum inhonestū &c. advertenter, & deliberatè protulerit. At ubi non reservatur blasphemia ex consuetudine, incurrūt casum etiam semel proferentes.

21 Non ligatur, qui internè tantum blasphemat; Nec qui materialiter tantū profert verba blasphema. Secus, qui externo signo, vel facto blasphemat, docent probabiliter permulti.

22 Minime ligatur reservatione proferēs verba blasphema, ignorans, ea continere contumeliam, & convicium in Deum.

23 Neque includuntur blasphemantes sine consuetudine, neque ex inadvertentia.

24 Casū effugit, qui blasphemat in ebrietate, etiam si eo animo se inebriasset. Et qui advertenter ex consuetudine, & si mortaliter culpabili, blasphemat.

25 Casum vitat, qui ex inveterata consuetudine subito motu quinquies, aut pluries blasphemat. Sicuti, qui pluries eodē tempore, & iræ impetu, advertenter blasphemat.

26 Blasphemia ioco prolata, si Deo gravē iniuriam non irrogat, non involvit mortalem culpam.

27 Qui ex inveterata consuetudine peccavit, tenetur consuetudinem confiteri, & si de ea non interrogetur: Si tamē peccatum cum libertate, & advertentia sit commissum.

28 Neque incurrit casum, qui dubitat, an quinquies ab ultima confessione blasphemaverit.

29 Eximitur, qui blasphemat sine ulla rationis advertētia; & qui dicit: al cospetto di Dio, si absit intentio blasphemandi.

30 Liber à casu etiam est qui ait: al corpo al sangue di Dio, si intelligat Christum, qui est Deus, & homo, sine indignatione, convicio, contumelia, & advertentia.

31 Pariter nec ligatur, qui asserit: Possa rinegar Dio, se questo non è vero.

32 Neque ligatur iurans per falsos Deos, si non tribuat illis infallibilem veritatē.

33 Eadem immunitas extenditur ad dicētem: hoc est verum, ut Evangelium, vel ut Christus continetur in Eucharistia: vel sum innocens, sicuti Christus, nisi intentio dicendi esset coæquandi veritatem humanam, Divinæ.

34 Quando confessarius præditus facultate absolvendi, possit absolvere blasphemum consuetudinarium, & quando possit absolutionem differre?

1 Quàm grave, quàm horrendum, infestū immane, impium sit blasphemiæ peccatum nec hominum, imò neque Angelorum linguæ explicare valent, cum hoc magis, quā alia crimina directè ipsum Deum offendat feriatque. Sæviunt humanæ leges contra patrantes crimen læsæ majestatis, contra

fa-

fabricantes falsam monetam, cōtra parricidas &c. ignominiosa mortis pœna eos plectentes; imò ob levia quandoque homines, mutilantur manibus, & pedibus, dānantur in triremes, in perpetuum exiliū, mittuntur ad bellum, torquentur, fustigantur. Proh dolor! Sola blasphemantium lingua, quæ frustatim obtruncat membra illius, qui eos proprio sanguine redemit, cujus corpus sævientes Judei integrū reservarunt, impunita restat.

2 Providissimus noster Legislator, in hoc quinto casu *sine censura* sibi reservavit quamlibet simplicem blasphemiam in Deū, B. Virginem, & sanctos nempe blasphemiam illam, quæ directè falsitatem cōtra fidei veritatem non continet, seu quæ non enunciativo, sed imperativo, aut optativo modo profertur, V.G. si dicatur: *Utinā non sit Deus: Dispereat Deus: Vel demum, quæ de Deo aliquid enunciet, quod verè reperitur in Deo; sed per modum contumeliæ, irrisionis, aut indignationis* adversus Deū ut per *crucem*, per *sanguinem*, per *sacramenta*. Et insuper voluit, quod ad hoc ut dictus casus incurratur, blasphemia sit prolata ex *consuetudine*, nempe ultra *quatuor vices*, ut liquet in nostra Theanensi *Synodo de blasphemia*, *cap. 2. §. 1. pag. 36.* ubi loquens de simplici blasphemia hæc habet. *Et eos qui simplicem blasphemiam in Deum, & B. Virginem ex consuetudine, scilicet ultra quatuor vices proferunt, non nisi à nobis esse absolvendos.*

3 Ubi N. B. quod ut ex allatis *Synodi* verbis constat, Legislator videtur sibi reservare tantum simplicem blasphemiam in Deum, & Beatam Virginem, tacens illam sanctorum, à qua, & ab aliis in principio dicti paragraphi primi, præcipit esse abstinendum, nullo modo postea quid exprimēs in pœna reservationis stabilienda.

Ex quo ego probabiliter, imo clarè inferre possem, quod tantum blasphemia in Deum, & Virginem in hac Diœcesi sit reservata. Tum quia verba legis quantū sonant, tantum valent; & sibi imputet Legislator, si non benè se explicavit. Tum quia cum agatur de pœnis quæ odiosæ, sunt restringendæ. Et demum constat ex communibus illis axiomatibus legis. *Quod voluit lex, expressit: Quæ sunt in favorem animæ, sunt restringenda.* Vide etiam dicta *disp. 1. quæst. 1. cap. 3. n. 3. & quæst. 2. cap. 3. n. 1.* & dicenda *disp. 3. quæst. 5. cap. 2. n. 5.*

Et quamvis in *Synodo*, in catalogo *casuum sine censura p. g. 116.* simul cū blasphemia in Deum, & B. Virginem etiam illa contra sanctos exprimatur. Tamen nihil officit hoc: Quia attendenda sunt verba legis, quibus suam voluntatem patefecit Legislator, & juxta illa decernendum, non autem Catalogum, ubi in summam redigitur quid quid dispersim Legifer in Synodalibus constitutionibus decrevit & hoc liquet in *casu 8. cum censur.*, in quo generaliter prohibetur in catalogo allocutio cum Monialibus, nullam excipiens personam: & tamen quia in *Synodo de Monialibus cap. 24. §. 5.* excipit patres, fratres, & filios, isti casu non comprehenduntur; quāvis in Catalogo eos non exceperit; Ergo idem dicendum in casu præsenti.

4 Verum circa intelligentiā hujus legis, simplicem reservantis blasphemiā; Ego me submitto doctrinæ, correctioni, & interpretationi omnium; Nec ego indoctus subditus audebo Legislatoris mentem. cōtra communem omnium sententiam tenētium, etiam illam *sanctorum* à solo Episcopo posse absolvi, subtiliter interpretatam sustinere, & de facto talis est praxis omniū confessariorum hujus Diœcesis; & præcipuè, quia etiam illa *sanctorum* est in catalogo casuum sine censura reservatorū expressa, ut supra in verbis casus. Quia non expressisset, nisi voluisset etiam illam reservare. Nec hoc est mirum. Quia in dicto Catalogo sunt quadā reservata, in Synodo non expressa.

5 Blasphemia simplex alia est in Deum; alia in Sanctos, & utraque est ejusdē speciei. Quia eandem rationem malitiæ continet, nempe Divini nominis imminutionem: Quod intellige, si aliquis sanctis maledicat, quatenus sancti sunt & cū habitudine ad Deum saltem virtuali. Undè pro regula generali haberi potest, quod quoties contra Deum, aut sanctos dicitur verbum contumeliosum, injuriosum, obscœnum, turpe, indignum, vel in comtēptum, derisionem, convicium, aut injuriam Dei, vel sanctorum, quatenus sancti sunt toties incurritur peccatum blasphemiæ, & reservatio.

6 Et quia ad incursionē hujus casus requirit Legislator etiam *consuetudinem*, nēpe, quod blasphemia sit prolata, ultra *quatuor vices*, idest ut saltē *quinquies* blasphemetur; Ideo, ut faciliter ruentes ex hoc casu difficultates, cōplicatosque nodos solvamus, diligenter notanda nostri Legisla-

A 2 toris

toris singularis sapientia, & prudentia, qui altè, licet tacite animadvertit, quam difficile esset determinare, quando dicatur acquisita parva blasphemandi *consuetud* seu consuetudo, & habitus ex frequentatis nascatur actibus, nec possit nisi divinando taxari numerus, cur quinque & nō quatuor, non sex, non septem: Potest enim esse, ut quis sine consuetudine semper blasphemet oblata repentina occasione, ut patet in recidivis: Unde acris esset contentio determinare, nisi arbitrio prudentis ex circumstantiis discernatur, quādo blasphemia ex prava consuetudine nascatur. Et meritò etiam notanda, quia vidit DD. altercationem in determinando, quādo quis censeatur blasphemandi consuetudinem habere! Aliqui enim nimis strictè cum Graf. decis. 48. *n.* 3. & lib. 5. *de adul. & stup* consil. 2. à n. 11. censent ex duobus actibus regulariter in delictis consuetudinem induci. Alii verò cum Zenardo tom. 2. cap. 64. *vers. ad continendum*, nimis largè volunt requiri decem actus.

7 Ideo providus pastor, ne oves sibi cōmissæ scrupulis, & cōscientiæ stimulis angerentur, in reservatione hujus casus, secutus fuit communem Doctorum sententiam, ajentium, quod quando peccatum reservatur ex *consuetudine* si fiat quinquies ab ultima confessione, incurritur reservatio. Hanc sententiam sequuntur Homo. cit. Graff. & Aver. *quæst.* 17. *sect.* 2. apud Croix *lib.* 6. *par.* 2. *de ministro Pœnitentiæ*, *n.* 1646. *quæsito* 233. sequuntur etiam Quarti *sect.* 2. *cap.* 2. *difficul.* 1. Lazarius *de blasph. quæst.* 8. *n.* 5. quem citat, & sequitur Carena, in *tract.* 5. *Inquisitionis*, *par.* 2. *Sect.* 7. §. 5. *n.* 25. & subscribunt Bellochius *de cas. reser. par.* 2. *quæst.* 1. *n.* 24. Mazzuch. *de cas. reser. disp.* 2. *cap.* 16. *quæst.* 4. *difficul.* 5. *n.* 85. quos ōnes vide citatos à Josepho Cabrino *in elucidario casuum reserv. de blasph. annot.* 11. à *n.* 26. *pag.* mihi 224. qui docent, quod ad inducendam consuetudinem, requiritur, & sufficiunt 5. actus. Quare ut quis dicatur blasphemus consuetudinarius, requiritur, ut saltem quinquies blasphemet; sed tamē diversis tēporibus, debet esse prolata. Quia si quis ex eodem ira impetu, etsi decies eodem tempore blasphemet, etiam repetendo blasphemias esset unica in *genere moris*, & unum delictum constituere censetur.

8 Unde juxta supradicta sequitur, quod semper ac quis ab ultima confessione saltē quinquies blasphemavit, sive possit determinari, sive non, quod sit acquisita consuedo, semper incurrit casum reservatū blasphemiæ. Ratio mihi videtur esse, quod Legislator vult, suos subditos incurrere casum blasphemiæ ex consuetudine, secundū sententiam supracitatorum Doctorum: Sed super allati Doctores volunt, quod si quis quinquies ab ultima confessione blasphemaverit incurrit casum reservatum blasphemiæ ex cōsuetudine; Ergo si quis quinquies, vel ultra ab ultima confessione blasphemaverit, incurrit casū in hac Diœcesi reservatum.

9 Sed petes, an pœnitens, qui quinquies ab ultima confessione blasphemavit, incurrat casum reservatum blasphemiæ ex consuetudine, si Legislator in lege reservationis, non expresserit vices, sed tantum reservavit blasphemiam prolatam ex consuetudine.

Dico, quod juxta sententiā tenentium consuetudinem pravam acquiri ex quinque actibus, incurrit. Secus in sententia Zenardi, & aliorum tenentium requiri decem actus.

10 Dixi ab *ultima confessione*, quia in ultima confessione consuetudo per verum propositum (ut suppono) fuit retractata: aliter, qui ex inveterata consuetudine blasphemat, etsi semel post confessionem blasphemet, sēper incurrit reservatum casum blasphemiæ ex consuetudine; quia semper ex antecedenti consuetudine dicitur blasphemasse. Nam ad inducendam consuetudinem, seu ut quis se assuescat ad aliquid perpetrandum, requiritur actuum repetitio, sed postquam induxit habitum, etiam si semel blasphemet ex primæva consuedine, dicitur blasphemare.

11 Sed denuo petes, an incurrat casum reservatum blasphemiæ, qui à quinque annis non est confessus, & in toto hoc tempore quinquies, nempe semel tantū in anno blasphemavit. Ratio dubitādi est, quia videtur, quod non possit appellari assuetus ad blasphemiam, seu blasphemare ex professō, qui spatio quinque annorum tantum quinquies blasphemavit, cum non adsit actuum repetitio: Opinio valde probabilis, quamvis alii dicant incurrere, ut ex dictis, & terminis casus liquet.

12 Unde resolves, atrocem, & reservatā blasphemiam esse, quamvis non hæreticalem illam, qua quis Deo omnium bonorū

son-

fonti aliquid imprecatur, ut si dicat: *Pereat Deus: Maledictus sit Deus*, Graff. in *praxi lib. 1. cap. 10. de blasph. num. 27*

13 Nec est exemptus, qui dicit: possim renegare fidem, vel Deum, nisi te cædā, aut nisi hoc agam, ob rationem *n. 31.* dandam.

14 Item innodatur, qui asserit: *Disgrazia Dio di quel che mi fà*; cum atrocē Deo injuriam inferat. Sicuti etiam, qui in rixa, vel ex indignatione rationis usum non adimente, dicit *ad corpus, sanguinem, vulnera Dei*, intelligendo quidem Deum incarnatum, sed tamen per modum convicij & in contemptum.

Idemque docent de lusoribus ira, & indignatione proferentibus prædicta verba. Quia præsumuntur illa jactare cōtra Deū non in colludentem. Cum vana, & futilis sit illorum excusatio, quod nempe adversæ indignentur fortunæ, cum certò sciant non extare; ideoque indignatio tendit in Deum.

15 Idem probabiliter resolvitur de inhonestè nominante pudenda Christi, vel alterius sancti. Ex eo quia, illos gravi dedecore, & contumelia afficit.

16 Irretitur pariter, qui in contemptum dicit: *Al cospettazzo, al sanguazzo di Dio, Dio Sacratone*. Nam illa verba *in azzo* majorem Dei contemptum, & vilipendium continent, ut benè Ignatius *de cas. reser. par. 2. cap. 2.*

17 Eodem reservato feritur, qui dicit: Deus non est, nisi hoc miraculum efficiat, vel vindictam sumat. Quia secluso eo miraculo, Deus adhuc est Deus nisi aliud illam proferens significare intelligat. Cum multoties per talia verba blasphemans, velit asserere, quod Deus, qui nullum malum impunitum, aut bonum irremuneratū relinquit, ita quia est Deus, certò credit id efficere, Sanchez *cap. 32. n. 44.* Graff. *n. 44.*

18 Item gravissimum facinus est dicere: *Putana della Vergine*. Quia appellatione *Virginis* antonomasticè, hoc est per *excellentiam* intelligitur *Maria* Mater Christi Domini sāctissima Lazarius *de blasphemia quæst. 7. n. 27.* Belloch. & alii.

19 Nec eximitur, qui advertenter ex intentione blasphemandi profert verba blasphema, quamvis nesciat proprium eorum significatum. Quia ad rationem blasphemiæ satis est, si quis non ignoret talia verba deliberatè prolata, convicium, & cōtumeliam in Deum continere: Secus si sine intētione blasphemandi, ut dicetur *n. 30.*

20 Et demum, ut dictum est supra, reservatio sub terminis propositi casus incurritur, si quinquies contra Deum, aut sanctos advertenter deliberatè, & culpabiliter verbum contumeliosum, inhonestum, obscænum, vituperosum, indignum, pudibundum, injuriosum, vel in contemptum, vilipendium, derisionem &c. proferant. Si verò reservatur sub his verbis *ex professo*, vel ex *consuetudine*; tunc incurritur etiam si semel proferatur. Sed in hac Diœcesi reservatur blasphemia ex *consuetudine* ultra vices quatuor, ideo ad incurrēdum casum à blasphemo, semper requiritur, ut saltem quinquies illas ab ultima confessione protulerit, quod semper intellige.

21 Non ligatur, qui actu tantum interno blasphemat. Quia actus externi, nō autem interni reservantur. Nec qui tantum materialiter profert verba blasphema, quæ ipse, vel alii formaliter protulerunt. Quia reservatio intelligenda est de blasphemia formali, quæ sit peccatum mortale, qualis non est blasphemia materialiter tantum prolata: Cum deficiente blasphemandi animo, etiam blasphemiæ malitia deficiat.

Neque volunt incurrere reservatum, eum qui externo signo, vel facto contumeliam Deo infert, ut qui lapidem ad Dei imaginem, vel sanctorum impiè projicit. At probabiliter tenent alii incurrere. Cum blasphemia consistat in diminutione Divini honoris, quod certè verificatur de eo, qui lapidibus, aut alio facto imagines Dei aut Sanctorum vilipendit.

22 Nec reservationi est obnoxius, qui profert verba blasphema, ignorans continere convicium, & contumeliam in Deum ideoque sine intentione blasphemandi. Reum enim non facit, nisi rea mens, ut ait *Aug.* & hoc est verum, etiam si ignorantia sit concomitas, nimirum si blasphemus sit ita dispositus, ut si sciret, talia verba continere cōvicium, & cōtumeliam in Deum, adhuc proferret. Cum reservatio non incurratur per internam malam operantis dispositionem.

23 Nec reservatione afficiuntur blasphemantes sine consuetudine, ut sunt, qui raro blasphemant, nempe intra quatuor vices ab ultima confessione, in qua si forte habebant consuetudinem pravam, eam detestavere. Nec blasphemantes ex inadvertentia

entia. Ratio est, quia Legislator, ut incurratur hic casus, requirit tanquam causam inclinantem, perversam consuetudinem.

24 Nec incurritur, ut docet *Cruix*, si blasphemia fiat in ebrietate, imo, qui in illa blasphemat, etsi sciat, se solitū esse blasphema verba effundere, & nihilominus se inebriavit, licet peccet in causa: Tamen tunc nec peccat mortaliter, nec ligatur casu, quod est verum ex Sancio, etiam si eo animo se inebriasset, ut blasphemias in Deum, vel sā' os jaćare posset. Quia blasphemia in intellectu consistit, & substantialiter perficitur; ideoque peccatum esse non potest, nisi intellectus actu, aut virtute intelligat, vel advertat ad verba, quæ ore pronunciantur. Idem dicendū de blasphemante advertenter ex consuetudine, etiam mortaliter culpabili.

25 Qui ex inveterata consuetudine, sive *ex professo* inadvertenter, indeliberatè, & subito motu quinquies, imo pluries blasphemat, non peccat mortaliter, & consequenter nec reservationem incurrit, etiāsi illam extirpare non sit conatus. Quia tunc nō committit formaliter peccatū, quod requiritur ad incurrendum casum reservatum, licet peccaverit mortaliter in causa, cum non sit sublata consuetudo illa, quæ fuit causa illius blasphemiæ: & eo fortius verū est, si abhorreat à blasphemiis, & efficaci proposito illas retractaverit, sed tantum ex pravo animo, & advertenter ruit in ipsas. Imò neque innodatur, si non solū quinquies, sed pluries eodem tempore, & *in* impetu cum advertentia blasphemavit Quia materialiter censetur una blasphemia; & unicum committit peccatum: & hoc est verum, quando reservatur peccatum ex consuetudine.

26 Dubitant DD. An blasphemia joco prolata, mortalem involvat culpam.

Affirmant Suarez, Nav. &c. At melius alii cum Sanch & Bon. *disp. 3. quæst. 8. pun.* 13. distinguunt, quod tunc sit habenda tanquam gravis, quando gravem Deo irrogat injuriam. Secus si ita joco proferatur, ut jocus omnem contumeliam tollat; ut in diem à quibusdā hominibus perfacetiis audimus, qui non irrogandi causa Deo aliquam injuriam, sed ut videantur faceti, & ridiculi, quædā verba blasphema pronunciant, & aliquando in quasi similia immutant, ut si pro dicendo: *per sanctum Antonium: per Christi crucem*, dicat *per San't Antonio: per la croce di Christo*.

27 Quamvis Tamb. in *meth. confess. lib.* 1. *cap.* 3. . . 21. §. 3. & Bon *de sacr. Pæn. disp.* 5. *q.* 5. *tr.* 2. *p.* 2. §. 3. *n.* 22. cum aliis apud Dianam 1. *par. tract. de circumstantiis resol.* 5. & 55. doceant, quod qui ex inveterata consuetudine blasphemavit nō est necesse addere, id fecisse ex mala cōsuetudine. Quia peccata præterita non addunt præsēti peccato circumstantiam novam, & multo minus specie diversam.

Hodie tamen, ut liquet ex *prop.* 60. *ab Inn.* 11. *proscripta*, tenemur dictā consuetudinem fateri, etiamsi de ea non interrogemur, quando peccatum blasphemiæ vel aliud, est cum libertate, & advertenter perpetratum, quia dicta liberè inducta, & non evulsa, tanquam speciale peccatum, fatenda; Viv. in dicta *prop. n.* 18.

28 Neque incurrit reservatum, qui dubitat, an quinquies blasphemaverit Quia dum confitetur quinquies, *in circa*, se blasphemasse, dictio illa potest intelligi de quatuor, aut sex vicibus. Ideoque quia in dubio semper quis præsumitur bonus, semper in favorabilem partē est interpretandum. Quod est verum etiamsi severa sexies peccaverit.

29 Etiam eximitur, qui sine ulla rationis advertētia blasphemat. Cum tunc nullus adsit consensus. Item qui dicit: *Al cospetto di Dio*, si absit intentio blasphemandi, sive convicium Deo inferendi. Quia perinde est, ac si dicat: *coram Deo*.

30 Eadē immunitas extenditur ad eum, qui dicit: *Al Corpo di Dio: Al Sangue di Dio*, si intelligat Christum, qui est Deus, & homo, dato quod illa verba sine indignatione in Deum proferat. Secus si per modum convicii, & cum advertentia, ut *n.* 14. dictum est.

31 Eximitur etiam, qui ait, *Possa rinegar Dio*, si hoc verum est. Nam talis locutio, dummodo veritati nitatur, cōtinet potius juramentum, licet irreverenter prolatum, quàm blasphemiam. Hicque loquendi modus valde differt ab hoc alio: *Possa rinegar Dio*, nisi te percutiam, nisi hoc agam. Quia in hac conditione includitur affirmativa negandi potius fidē, quā abstinendi à percussione. In illa verò continetur mera assertio ad confirmandam veritatē; ideoque per hanc ultimam blasphemandi formulam reservationē incurrit, ut *n.* 13. dictum est, Belloch. Graff. & alii.

32

32 Neque ligatur, qui jurat per falsos Deos, dummodo non intendat tribuere illis infallibilem veritatem.

33 Idem dic de illo, qui dicit: hoc est verum, ut verum est Evangelium, vel Christum contineri in Eucharistia; Vel sum tam innocens, sicuti est Christus. Quia hujusmodi verba accipienda sunt secundum similitudinem, non secundum æqualitatẽ. Secus dicendum, si dicentis intentio esset coæquandi veritatem humanam, Divinæ.

34 Demum notandũ cum cõmuni, quod confessarius preditus facultate absolvendi, potest absolvere assuetum blasphemare si in aliis confessionibus nunquam fuit de illa consuetudine extirpanda admonitus. Si verò fuerit correptus, & adhibuit omnẽ diligentiam ad eam deponendam, etiam est absolvendus. Quia tunc illa consuetudo, non censetur voluntaria, utpote per propositum retractata.

Cæterum si blasphemus pluries fuit admonitus, & nullum adhibuit conatum pro illo pravo habitu convellendo, & eradicando; Tunc etsi possit absolvi (si verè doleat, & propositum firmum de futuro illas præcavendi habeat) Tamen melius est absolutionem illi ad tempus suaviter differre, ut interim pravam consuetudinẽ conetur deponere, nisi ex aliena circumstantia, contrarius timeatur effectus.

CAPUT VI.

Casus sextus sine Censura.

Concubinatus post sex menses etiamsi extra domum retineatur concubina, & non intelligatur concessa facultas absolvendi, nisi per duos menses ante, fuerit conversatio sublata.

APOPHASIS.

1 *Quam homines excæcet concubinatus, & quàm abominabile sit apud Deum, luxuriæ crimen?*

2 *Quid sit concubinatus, concubinarius, & concubina?*

3 *Synodus Theanensis, quid præcipiat cõcubinariis? & quid Parochis circa illos?*

4 *Quid dicta Synodus præcipiat confessariis, & decreverit circa retinentes extra domum concubinas?*

5 *Incurrit hunc casum, qui post sex menses perseveravit in cõcubinatu, nec potest absolvi, etsi à duobus, vel pluribus mensibus fuerit conversatio sublata; Imò neque à confessario facultatem habente, ante bimestre.*

6 *Qui post sex menses fuit in concubinatu non potest absolvi, etsi velit concubinam accipere in uxorem, nisi à confessario facultate prædito tamen, tunc potest absolvi ante bimestre.*

7 *Concubinarius potest in articulo mortis absolvi à quolibet confessario, si habeat verum dolorem, & efficax propositũ,*

8 *Extra articulum mortis non licet confessario absolvere pænitentem habentem dolorem, & propositum, nisi etiam spes emendationis effulgeat.*

9 *Excusatur à reservato, qui pluries mulierem cognoscit, imò etsi continuo, si non animo uxorio.*

10 *Non irretitur reservatione cõcubinarius, qui minus, quàm per sex mẽses fuit in concubinatu, sicuti qui per sex completos. Et neque, meretrix.*

11 *Concubinarius nequit absolvi, nisi facta reali separatione tori, & habitationis, & per duos menses abstinuerit, vel aliter cautum fuerit.*

12 *Confessarius potissimum debet præscribere concubinariis fugam ab illis personis, cum quibus peccaverunt, & etiam à loco ubi peccaverunt.*

13 *Quã difficile sit in hoc luto involutos liberare? Nec credendum illorum lacrymis.*

14 *Non debet absolvi, qui est in occasione proxima voluntaria.*

15 *Ab occasione proxima extrinseca, non excusat aliqua causa utilis, aut honesta, quamvis velint, quod excuset impossibilitas physica, aut moralis. Tamen tenetur quis vitare periculum formale peccandi.*

16 *Potest pænitens absolvi in occasione proxima, concurrentibus quatuor conditionibus.*

17 *Qui cum muliere non dum annum duodecimum habente copulam habet, incurrit casum.*

18 *Quis sit Iudex in causa Concubinatus?*

1 Non rarò excæcati concubinarii in tantã deveniunt caliginem, lapiuntq; ad vitiũ ut nõ cognoscãt eorum malum, etsi cognoscunt, nõ abhorrent: Nec vidẽt quã Deo displiceat, & abominabile apud eundem sit luxuriæ, detestabile crimẽ; Ob hoc enim ad nihilũ redegit nonnullas ex primis mundi Monarchiis. Nam prima, quæ fuit Assiriorum per impudicitiã Sardanapali primum divisa, tandẽ per inhonestatem Balthasar desiit (Secunda Persarũ in Da-

Dario periit. Tertia Græcorũ in Alexandro) Et demum Romanorum Monarchia omnium aliarum maxima, & continentia acquisita cæpit deficere ob violationem uxoris Maximi senatoris à Valentiniano Imperatore factam. Similiter ob hoc peccatum, Ninivitis desolationem minatus fuit Deus. Et demum propter id duo diluvia, unum aquæ universale, alterum ignis particulare contra Sodomam, & illius regionë misit Deus super terram: Et de nullo alio scelere, quàm de isto legitur Deũ dixisse: *Se pœnitere hominem fecisse*.

2 Est cõcubinatus fornicatio continuata cum eadem persona, sive soluta, sive ligata, sive habitando simul, sive separatim: Attamë, ut liber per modum habitus, utrioque modo accedendo. Ideoque concubinarius propriè dicitur ille, qui habet concubinam ad modum uxoris; patet ex l. penul. de cõcubinariis, & docet Silv. ver. *concubinarius*, n. 7. qui de mente juris habet: *Non dicitur concubinarius, nisi teneatur per modum uxoris*; Ergo alio modo tenens concubinã, non incurreret hunc casum, quamvis multoties, absolvi non possit, non ob casum reservatum, sed, vel ob occasionem proximam, vel ob habitualem vitam in peccato mortali ductam.

Cõcubina dicta à *con* idest simul, & *nubo*, nẽpe simul iungo: est illa, quę retinetur ad libidinem sine ullo matrimonio. Tamen in lege veteri (in qua licebat viro plures legitimas uxores habere) concubinæ dicebantur uxores, quæ non erant æquè principales in regimine domus, & quæ erant ancillæ principalium uxorum, & tantum ad prolis generationẽ assumebãtur. Sicque Agar, & Cetura dictæ sunt concubinę Abrahæ. Bala verò, & Zelpha, quæ erant ancillæ Rachel, & Liæ dictæ fuerunt concubinæ Jacob. At uxores erãt, quæ etiam ad domus gubernationem assumebantur.

3 Nostra Synodus. *p.* 149. *c.* 42. *§.* 19. contra uxoratos, & solutos concubinarios domi retinentes cõcubinas præcipit sub pęna ex communicationis ferendæ, ut infra mensem concubinas dimittant; & de concubinariis, *pag.* 296. *cap.* 37. præter reliqua præcipit Parochis, ut nullo modo dictis concubinariis absolutionem, & communionẽ impertiantur, nisi penitus ante mensẽ ejecta concubina, nisi alias Parocho pro sua prudentia expedire videbitur. Vide etiam in *Appendice*, *pag.* 492. *§.* 1. Et meritò, cum difficile, imo impossibile sit, castitatem servare cum mulieribus versando; quemadmodum difficile stupam, ceram, stipulam, juxta ignem servari. Hũc illud, Prov. 9. *Numquid homo potest abscondere ignem in sinu suo; ut vestimenta ipsius non ardeant?*

4 Quia concubinatus, etiamsi extra domum retineatur pallaca, est periculosissimum peccatum, ob peccãdi consuetudinẽ; Cũ vulnus sæpe iteratum, tardius sanetur; meritò noster Legislator decrevit, quod et si concubina retineatur extra domum, non intelligatur confessariis concessa facultas absolvendi, nisi per duos menses ante fuerit conversatio sublata, ad hoc, ut audita bimestris experiẽtia temporis, firmiter concubinarius proponat ad illam amplius non accedere.

5 Ideoque, qui post sex menses preseverat in concubinatu, incurrit reservatum, etsi post duos menses, imo plures, fuerit cõversatio sublata, non potest absolvi. Quia per illam perseverantiam semestrem, tam manet ligatus reservatione. Imo neque potest confessarius facultatẽ circa reservata habens, ante bimestre illum absolvere. Quia, ut patet in terminis casus, Legislator non intendit concedere facultatem, *nisi elapsis duobus mensibus*; ob rationem, *n.* 4. datam.

6 Unde sequitur, quod qui post sex menses fuit in concubinatu, non potest absolvi, et si velit concubinam accipere in uxorem, nisi à confessario facultate prædito, licet possit illum absolvere ante bimestre. Quia vult tollere occasionem peccati, ideoque frustranea, imo noxia, & novi peccati occasio esset illa bimestris expectatio: Cum tunc adsit verum propositum tollendi occasionem proximam; & totaliter cessaret finis legis.

7 At in mortis articulo potest concubinarius absolvi à quolibet simplici confessario, & in ejus defectu à quolibet Sacerdote, à quibusvis censuris, & reservatis, si probabiliter judicetur, hic & nunc habere verum dolorem, & efficax propositum, et si credatur mox esse moriturum: Cum in tali casu cesset omnis reservatio. Aliter dicta reservatio, quæ istituta est ad bonum animarum, esset in damnationem illarum. Nec expectanda est in tali periculo, spes emendationis, aut bimestre tempus: Aliter exponeret illũ periculo inabsolutum de-

cedendi, quod grave peccatum esset, confessario.

8 Extra dictum casum non licet cõfessario, etsi facultate prædito, absolvere pœnitentem habentem verum dolorẽ, & propositum, nisi simul præstet spem emendationis per bimestre, ut in hac Diœcesi. Quia etsi habeat jus ad solutionem, non autem ad statim eam obtinendã; cum protestatio sit contraria factis; Etenim experientia docet, dictos cõcubinarios versari per multos annos in dicta occasione, & non eam deserere, etsi in omni confessione promiserint cõfessariis, tollere illã. Ideoque, ut docet *Trid.* cõfessarius non solum curare debet præteritos animæ morbos, sed etiam futuros. Ideirco non tantum remedia, & pharmaca pro vincita præteritarum culparum deservientia, sed etiam pro cavendis futuris, animarum medicus, præscribere debet.

9 Excusatur, juxta dicta *n.2.* à reservato ille, qui pluries mulierem cognoscit, sed nõ animo uxorio; ut si filius pluries cognoscat mulierem in domo sui patris sine animo uxoriè perseverandi. Quia revera non dicitur *concubinarius*, *Vercelli moralium, Tom.4.quæst.4.*

10 Excusatur à reservato concubinarius, qui minus, quàm per sex menses fuit in concubinatu, sicuti, qui per sex cõpletos hoc est in ultimo die semestris. Nam post illos, incurrit casum, ut liquet ex illa particula *post*, posita in verbis *casus*. Secus ubi non statuitur tempus.

Quoque eximitur mulier, quæ non solum libidini unius, sed etiã multorum satisfecit. Nam dicta non *concubina*, sed *meretrix* dicitur.

11 Praxis igitur exercenda cum cõcubinariis deducitur ex Trid. *sess.24. de refor.cap.8.* ubi nequit cõcubinarius absolvi, nisi facta reali seperatione tori, & habitationis, & per duos mẽses abstinuerit, vel aliter moraliter cautum fuerit, & non sit recasurus, vel matrimonium intra breve tempus initurus, & hoc ex deducta ratione. Quia nemo absolvendus est, dum manet in proxima occasione mortaliter peccandi.

12 Et ideo putarem, quod confessarius, ut animarum saluti, tali contagione infectarum, provideat, debet potissimum illis fugam ab illa persona, cum qua peccavit, præscribere. Efficacissimum enim remedium est in peccatis carnalibus fuga. Quia inter quos extitit diuturna familiaritas, semper remanent quædam effrenatæ libidinis scintillæ, quæ conspectu mutuo, facilè reviviscunt; Sicque imitentur mulierem illam *Cananæam*, quæ cupida salutis suæ filiæ, egressa est à finibus Tyri, & Sydonis. Postea debet quis arceri à loco, ubi peccavit, si velit se emendare (Nam locus, ubi quis malum fecit, in aspectu mentis apponit, quod sæpe ibi, vel cogitavit, vel gessit) Quia dum mutatur locus, mutatur mentis affectus, *cap.valet*, *dist.81.* Et itá memoria peccati, per loci mutationẽ, subtrahitur *15.q.1.cap.mulier*

13 Sed ò quam difficile est, involutos in hoc vitio, & lethali animæ morbo, liberare, & potissimũ si à longo tempore, & à juventute sub dominio hujus flagitii vixerint! Sunt enim isti instar veterum veprium spineti, quæ in rigido hyeme frondes amittunt, non autem aculeos: ornamẽtum, non asperitatem. Et ideo dicitur in Scriptura: *Adolescens juxta viam suã ambulans, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Probaret hoc formidabilis caterva infelicium animarum, hac de causa igni devoranti sine immolatarum, si vel per brevissimum tempus esset eis permissum mortales alloqui.

Nec credendum illorum lacrymis, dum asserunt, id non posse efficere. Nã qui plãgit peccatum, ut iterum illud admittat, irrisor est pœnitentiæ, non pœnitens. Nec tam grave est cadere, quam est post lapsũ non resurgere. Neque debet quisque de constantia præsumere sua: Nam qui ita agit, graviter est reprehendendus cum Hier. in *Reg. Monach.* sic ajente: *Nec in præterita castitate confide, nec Sampsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone potest esse sapientior; memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua, mulier ejecerit.*

14 Docent tamen Doctores, quod quãdo quis est in occasione proxima voluntaria, quam scilicet repellere potest, & nõ vult, non debet absolvi, nisi prius rejciat Cum sit indispositus defectu veri doloris, & propositi, adeoque in continuo peccato. Quàm enim securitatem potest cõcubinarius præsumere, cum viperam in sinu retinet?

15 Nec ab occasione proxima extrinseca excusat aliqua causa utilis, aut honesta.

sta. Quamvis velint, quod excuset impossibilitas *physica*, quae est in iis, qui nō sunt juris sui, ut filiifamilias, ancillae &c. Aut *moralis*, nempe quando superat vires fragilitatis humanae, ut si ex separatione sequatur gravissimum detrimentum in vita fama, aut honore: Cum tunc non dicatur occasionem extrinsecam velle, sed pati, & permittere, ob dicta mala vitanda: Tamen tenetur vitare periculum formale peccandi, nempe quando ita inclinat, & movet ad peccandum, ut in persona similis conditionis soleat saepissimè cum peccato esse conjunctum, nempe per firmum propositum solus cum sola non alloquendi, & totis viribus aspectum concubinae vitandi, & etiam per verum dolorem de praeteritis. Item per veram promissionem separationis, quando erit possibilis: per fervidam orationem pro obtinendo divino auxilio: per frequentiam Sacramētorum, &c. Quia aliter impossibilitas moralis, non excusaret ab occasione extrinseca repellenda.

16 Et ideo communiter cum Nav. *in man. cap. 2. n. 19.* Dia. Laym. & alii docent quod potest absolvi poenitens, etsi dictam occasionem propinquam non removeat, si concurrant hae quatuor conditiones. 1. est dolor de peccatis praeteritis: 2. firmum propositum non peccandi de cetero. 3. est credulitas, qua credit se cum divino auxilio non peccaturum, cum se in ea occasione invenierit. 4. quando adest rationabilis causa, non separandi se a tali occasione.

17 Etsi civili jure inspecto, qui cum muliere non dum annum duodecimum habente, commercium habet, videatur nō incurrere casum. Quia concubinatus nō cadit, nisi cum muliere, cum qua potest esse matrimonium. At juxta jus canonicum incurrit. Quia non ad annos, sed ad naturalem vigorem, potentiamque ad copulam, est inspiciendum.

18 Si quaeres, quinam sit Judex in causa concubinatus?

Non conveniunt DD; Nam multi docent esse mixti fori; atque ideo dari locum praeventioni. At Pignat. *tom. 9. consult. 139. a n. 84.* putat pertinere ad civile forum.

CAPUT VII.

Casus septimus sine censura. *Scribentes, affigentes, vel dictantes libellos famosos.*

APOPHASIS.

1 *Quàm grave malum sit detractio, indicant non solū irreparabiles effectus, sed etiam Divina scriptura?*

2 *Quibus poenis lex humana puniat laedētes libello famoso, & ad quid teneantur?*

3 *Inveniens libellum famosum, & non lacerans, si dolosè manifestaverit, ut infametur ille contra quē fuit conscriptus, sit infamis, & intestabilis, & subjacet aliis poenis, nisi tamen manifestaverit ob publicum bonum.*

4 *Quid sit libellus famosus, & quando pertineat ad detractionem, & quando ad contumeliam, & si fiat in summum Pontificem, vel Cardinalem, incurritur excommunicatio, sicuti si fiat contra religionem Domicanorum, vel Franciscanorum; Tamen non incurritur, si fiat in religiosos dictarum religionum.*

5 *Quid veniat, & intelligatur nomine libelli famosi?*

6 *Iniuria infertur proximo tripliciter, re, verbis, & litteris.*

7 *De iniuria facta verbis, seu contumelia, & ejus speciebus.*

8 *Incurrunt praedictum casū omnes scribentes, dictantes, vel affigentes libellos famosos, sive prosaicè, sive metricè &c.*

9 *Scribens &c. libellum famosum cū Episcopo reservante, probabiliter non incurrit reservationem.*

10 *Incurrit casum, qui defert ad superiorem schedulam continentem aliquod occultum alicujus delictū, ut de illo inquirat, & fiat publicum.*

11 *Ad incurrendū casum sufficit ut quis, vel scribat, vel affigat vel dictet. Nec requiritur, ut libellus famosus propriè sit libellus.*

12 *Excusatur à reservato, qui libello famoso parum laedit famam, vel honorem, & qui mittit epistolam ad privatum, et si occultum grave crimen exprimat.*

13 *Neque innodatur, qui solo zelo correctionis, & resipiscentiae, infamatoriam fecit scripturam. Sicuti nec, qui invenit & non divulgat, licet legat, & secretè retineat.*

14 *Nec innodatur, qui verba cantum elicsa cantat. Sicuti nec qui divulgat scriptum, in quo erant peccata pœnitentis; Quamvis peccet graviter, si sciens cujus sint, id agat.*

15 *Nec incurrit, qui manifestat libellum famosum continens publicum alicujus delictum etsi illud manifestet in loco, in quo nescitur; dummodo alibi sit publicum*

16 *Neque obnoxius casui est, qui contra seipsum scribit libellum famosum. Nec, qui illum scribit, ob publicum bonum.*

17 *Quomodo se gerere debeat confessarius cum lædentibus alterius famam libellis famosis.*

1 Est tam irreparabile, & grave malum quod facit detractor sua lingua maledica, & potissimum legendo libellis famosis, ut Divina scriptura talem linguã, nunc novaculam, nunc sagittam, nunc gladium appellet, ut indicaret incurabilia vulnera, strages, cædesque, quæ illa facit in corde proximi, & vita ejus boni nominis. Imò pluries talis lingua, causa existit amissionis vitæ dicti proximi; dum major pars sanguineorum gestorum, suum primum ortum à maledicentia reperiit. Unde meritò Scriptura, *Prov.* 18.21. exclamat: *Mors, & vita in manu linguæ: qui diligit eam comedent fructus ejus.* Os ergo detractoris assimilatur ori viperino, tamen cum hoc adjuncto, quod vipera venenat solum alios, sed ipsa sana remanet; detractor verò venenat magis seipsum, quàm alios; ideoque in c.21. *Num.* ob pœnam detractionis Israelitici populi contra Deum, & Moysem, à morsibus venenatorum serpentium infecti fuere; Et ob dictum crimen Dathã, & Abiron vivi, sua cum progenie, ad inferos descenderunt, *num.* 16.

2 Leges verò humanæ, tales satyricos (qui ex stirpe Iuvenalis, & Persii, qui mirum in vitiis exagitandis ardorem habebant, possent dici descendere) legentes libello famoso alterius honorem, capitali sententia statuere, esse plectendos, ut in l.un. C. *de fam. libell.* licet vera crimina manifestent, quod procedit, etiamsi inveniant, & non statim lacerent. At si agatur civiliter, tenetur de actione injuriarum, & omni damno. *Instit. de iniur.* §. *pœna*, & juxta forum pœnitentiale tenetur publicè restituere, vel contrariis, scriptis, vel voce præconis. Et ex l. *non solũ*, dicitur proferre libellũ famosum, qui alterius famosũ carmen, aut historiam conscribit, l. *lex Cornelia*, §. *si quis librum*, ff. *ad iniur.* Sed etiam si aliquid dolo malo fecit, ut aliquod horum fieret V.G. si dimisit, scripturam cadere in plateam, *T* ext. in l. *lata ff. de ver. sign.* Nec distinguitur utrum nomine suo, vel alterius ediderit. Vel utrum nomen ejus expresserit, quem intendebat infamare nec ne? modò per circumstantias agnosci possit.

Eodem modo tenetur tali actione, si sine scriptura, notam aliquam externè, & publicè projecerit, puta, cornua apponendo ad ejus ianuam (quod est gravissimum in genere detractionis) ità ut in foro spirituali incurratur excommunicatio; In foro verò civili, capitis pœna.

3 Inveniens libellum famosum, & non lacerans, est infamis, & intestabilis, & punitur supradicta pœna, si tamè dolosè manifestaverit, ut infametur ille, cõtra quem conscriptus fuit. Excipe si manifestaverit ad publicum bonum, ut quia is vult tradere civitatem, aut est hæreticus.

4 Libellus famosus, seu infamatorius, est scriptura publica, qua occulti defectus proximi manifestantur, ut publici fiant, quod si fiat, nomine authoris apposito, pertinet ad *contumeliã*; Quia sic quasi in præsentia videtur eũ dehonorare. Quod si fiat sine nomine auctoris pertinet ad *detractionem*: Cum quasi in absentia proximum infamet; & utrumque est peccatum gravissimum contra Charitatem, & Iustitiam; Et si fiat in summum Pontificem, vel Cardinalem, incurritur excommunicatio, ex quadam *Extrav.* Pii V. Si verò fiat in Religionem Dominicanorum, vel Franciscanorum incurritur excommunicatio Papæ reservata, ex *Constitutione* Alexandri 3. Tamen dicta excommunicatio, non incurritur, si fiat in religiosos dictarum religionum.

5 Ideoque nomine *libelli* famosi *in casu* venit scriptura continens infamiam, ut fiat publica. Item schedula delata ad superiorem cõtinens delictum occultum, & positum in loco, ut superior inquirat de crimine; non autem signum appositum domi alicuius, quo ille infametur, V.G. cornua &c. Quia non est libellus famosus. Ita ut præsens casus intelligitur de scribente, componente, dictante, vel affigente libellũ, carmen, vel historiam, seu fabulam ad injuriam alicuius, sive prosaicè, sive

ve metricè, sive rithmicè, sive sint vulgares cantilenæ, quæ redundant in famam alterius. Vide dicenda n.8.

6 Item sciendum est, quod potissimum, tripliciter proximo inferri potest iniuria, re, verbis, & litteris. *Re* fit iniuria, quoties infertur manibus verberando, possessionem invadendo, fugando, pudicitiam attentando. *Verbis* fit iniustè detrahendo proximi famæ, ut quando iniustè diminuitur honor, & præcipuè si in præsentia, appellando proximum *furē*, *latronem* &c. *Litteris*, fit libellis famosis, de quibus usque modo diximus.

7 Iniuria facta verbis, vocatur *contumelia*, dicta à contemnendo; & dividitur in species varias, nempe primò in *convicium*, quod est idem, ac *contumelia*, & dicitur convicium à collectione vocum, quasi *convocium*, scilicet cum in unum voces contra aliquem conferuntur; ut appelles caecum, gibbosum &c. Secunda appellatur *improperium*, & est quando aliquis exprobrat beneficium alteri factum. Tertia nuncupatur *irrisio*, seu *illusio*, & est quādo unus fit objectū risus; seu quādo inhonoratio fit *verbis*, & *risu* iñō ferato, & quadā ironia; ut si homini turpis formæ appelles pulchrū. Quarta dicitur *illusio*, & est quādo cū fallacia illuditur aliquis. Sic Judæi post velatā Christi faciē ei illudebāt dicentes: *Prophetiza nobis, Christe quis est, qui te percussit?* Quinta nominatur *subsannatio*, & est quando, sive capitis, sive alius membri gestibus, seu motibus illuditur aliquis; Sic Judæi subsannabant Christum Crucifixum, moventes capita sua, & ajentes: *Vah! qui destruis templum Dei*. Sexta nuncupatur *maledictio*, seu *blasphemia*, & est cum dicitur alieni malum. Septima dicitur *susurratio*, & est quando manifestatur aliquod malum, ut tollatur amicitia cum altero. Dictæ species mortalem culpam inducunt, si ex illis gravem iniuriam, aut perturbationem causent contumeliis affecto. Nam non raro ab hominibus fama, & honor anteponitur non solum fortunæ bonis, sed etiā propriæ vitæ. Est & alia iniuria verbalis, quæ dicitur *Criminatio*; sed quia hæc parum ad nostrum propositum; Ideo in his nō imorandū, sed ad ulteriora procedēdū.

8 Itaque incurrunt præsentem casum omnes scribentes, componentes, dictātes, vel affigētes libellos famosos, sive metricè, sive rithmicè, sive vulgaribus cantilenis, ut defectus proximi manifestentur, & publici fiant.

9 At quæres modò, an scribens, vel dictans libellum famosum simul cum Episcopo reservante dictum casum, ligetur reservatione?

Probabiliter dicendum, non incurrere, quia Episcopus videtur tunc in tali casu suspendere, seu dispensare in reservatione cum illo, qui cum ipso dictat, seu scribit libellum famosum; cum non præsumatur velle punire, quem comitem ad actum à se prohibitum habet, allicit, atahitque.

10 Item incurrit casum, qui defert ad superiorem schedulā continentē aliquod occultum delictum alterius, eam occultè in aliquo loco reponendo, ut superior de crimine inquirat, illudque notum, & publicum efficiat notorietate juris, etsi in scriptura exprimatur quinam cōscii sint, & testari possint de illo crimine; eum tūc censeatur libellum famosum conficere; nec superior potest per talem scripturam procedere ad inquisitionem, cum non sit illi fides præstanda, c. *Inquisitionis*, §. *certe de accus.* Mol. *disp.35.* Tinel. *cas.12.* Nec excusatur qui componit libellū cōtra nocentem, quia peccat contra charitatem. Nam *Eccl.41.* habetur: *Curā habe de bono nomine*.

11 Denique ad incurrendum casū nō requiritur, ut libellum famosum scribāt, affigant, & simul dictent, sed sufficit si tantum scripserint, affixerint, vel dictaverint, quod liquet ex illa particula *vel* apposita in terminis casus. Nec requiritur, ut libellus famosus propriè sit libellus, sed sufficit qualibet scriptura infamiam continens.

12 Excusatur à contra à casu, qui libello famoso parum lædit famam, vel honorem, puta si illum confecerit ob solū facetiam. Sicuti qui mittit epistolam ad privatum, etiamsi occultum grave crimē proximi exprimat, similiter qui per scripturam publicam continentem publicū vitium, etsi ibi non sit publicum, ut dicetur *n. 15.*

13 Neque innodatur, qui infamatoriā fecit scripturam, zelo correctionis, & resipiscentiæ. Quia tunc non peccat. Sicuti neque, qui invenit, & solum legit, aut secretò retinet, nec divulgat. Tamen tene-

tur

tur ipsum libellum urere, vel lacerare.

14 Nec est reus reservationis, qui verba cõtumeliosa cantat. Quia non dicitur libellum famosum scribere, vel divulgare. Idem dic de divulgante scriptum, in quo erant peccata confitentis, & præcipuè si parum nocerent famæ illius. Peccat tamen graviter, si legat, etsi non dicat, vulget; dummodo sciat, cuius sit.

15 Neque incurrit, qui manifestat libellum famosum, in quo continetur delictũ alicuius jam publicum, etsi illud manifestet in loco, in quo nescitur; modò alibi sit publicum. Quia tunc non est causa infamiæ; cum ille amiserit ius famæ per publicitatem criminis, Gambarupta *quæs.6.*

16 Neque obnoxius casui est, qui contra seipsum scribit libellũ famosũ. Quia quilibet est dominus suæ famæ. Nec qui illũ scribit ob publicum bonum, juxta dicta *n. 3.*

17 Ad extremum confessarius lædentibus, libellis famosis debet in foro pœnitentiali injungere, ut imponant contrarias scripturas; vel si res esset nota, subscribere, se esse mentitos, ut famam restituant, & satisfaciant omni damno. Praeterea increper, & moventes ad detrahendum, & qui ostendit, gratam fore aliorum detractionem; qui interrogat alios de defectibus aliorum; qui delectantur de tali detractione; quique non corrigũt detractorem; & demum terreant pœnis detractoribus impositis, de quibus *n. 1. & 2.* dictũ est.

CAPUT VIII.

Casus octavus sine censura.

Impedientes sine causa, ne filii, filiæque, sive alij descendentes doctrinã Christianam addiscant.

APOPHASIS.

1 *Parentes, domestici, aliique sub gravi tenentur instruere filios, & alios domesticos circa fidei rudimenta.*

2 *Parochi, & alii tenentur Episcopo deferre non mittentes pueros, & alios ad addiscenda rudimenta fidei, & vult, ut dicti non admittantur ad beneficia montis frumentarii, &c.*

3 *Incurrunt ipso facto excommunicationem non reservatam, qui nescientes rudimẽta fidei, audent fũgi officio patrini.*

4 *Ut parentes, aliique, quibus puerorum cura commissa est, casum incurrant, debent, positivè illos impedire, & etiam sine causa.*

5 *Innodãtur casu parẽtes filios, & alii impedientes suos descendentes, ne doctrinã Christianam addiscant.*

6 *Excusantur autem, qui impediunt scientes doctrinam Christianam.*

7 *Neque casu afficiuntur, qui prædictos, illum non bene valent, impediunt.*

8 *Casũ evitant, etsi graviter peccent, impedientes præter filios, & descendentes.*

1 QUIA sub gravi obligatione tenentur parentes instruere suos liberos per se, vel per alios, in necessariis ad salutem, graviter peccant, si, quantum in ipsis est, non curent; ut bonis imbuantur moribus, fideique rudimenta addiscant. Eandemque obligationem sustinent alii propinqui, tutores, & curatores, patrini, & quicunque alii, quibus cura puerorum cõmissa est. Idem est de illis, qui retinent famulos, aut villicos ad colendum agros, & animalia in forensibus custodienda, qui nonnunquam veluti bruta ipsa, Deũ nullimodè cognoscunt, & in tantum ab illis distinguuntur, in quantũ anima rationali sunt dotati.

2 Ideo meritò noster Legislator in *Synodo de doctrina Christiana, cap. 3. §. 3. pag. 42.* præcipit Parochis &c. ut ad Episcopũ deferant tales impedientes, ut remediis opportunis, saluti ipsorũ prospicere possit. Ac etiam vult, ut tales non admittantur, nec ad beneficia montis frumentarii, nec ab officia confraternitatum, subsidia dotalia &c. & demum vult, ut personale interdictum ipso facto incurrant, *Appendix* Synodi Theanensis *de interdictis personalibus ipso facto incurrendis, §. 4. pag. 109.*

3 Incurrunt etiam ipso facto excõmunicationem, licet reservata nõ sit, omnes ii, qui nesciunt rudimenta fidei, si præsumãt fungi officio patrini in Sacramentis Baptismi, & Confirmationis Gibertus in *Syn. S. Thean. cap. 3. 5. 6. pag. 44.*

4 Ad hoc ut parentes, aliique curam puerorum habentes, incurrant hunc casum, debent positivè impedire, & quidem sine causa. Quia si impediunt, justa existente causa, dictum casum non incurrũt, ut ex terminis casus liquet. Ideoque si negligunt tantum, non incidunt; Quia in præsenti casu *impedire*, sonat *violentiam inferre.*

5 Unde innodantur hoc casu parentes, impedientes filios, filiasque, & patri, avius,

vius,avia,socer,amita, vitricus, noverca, matertera, & omnes alii consanguinei impedientes suos descendentes, ut nepotes,pronepotes,abnepotes &c. ne doctrinam Christianam addiscant,ut ex verbis casus,& ex dictis constat.

6 Excusantur,verò si impediunt,quando sciunt doctrinam Christianam. Nam casus comprehendit tantū impedientes ignaros, non autem gnaros,ut liquet ex illa dictione *addiscant* in casu apposita.

7 Neque ligantur, qui impediunt, dum parum valent.Quia tunc adest justa causa, & Legislator vult innodare casu, tantum sine causa impedientes; atque ideo in casu apposuit particulam illam *sine causa*.Ideoque causæ justitia,prudentum arbitrio pēsanda est.

8 Extra telū reservationis sunt,etsi graviter peccent,impedientes alios, præter filios,& descendentes;ut V. G.si quis impediat famulos,villicos &c.

Quia de filiis, aliisque descendentibus, quales non sunt famuli, villici &c.casus loquitur.

CAPUT IX:

Casus nonus sine censura:

Habentes copulam cum confessario, vel committentes delictum cum eiusdem confessarii associatione, vel participatione, ab eodem hi absolvi non possunt.

APOPHASIS.

1 *Quare legislator prohibuit in hoc casu absolutionē cujuscumque facinoris commissi cum confessarii associatione, vel participatione, privando illum omni facultate circa illud.*

2 *Confessiones factæ confessario socio criminis, ferè semper solent esse sacrilegæ, & maximè illæ peccatorum carnalium.*

3 *Ubi non est prohibitum, potest confessarius socium criminis absolvere.*

4 *In hac diœcesi non potest confessarius socium lethalis criminis absolvere. Et quis dicatur confessarius?*

5 *Confessarius neque tempore jubilæi potest criminis socium absolvere.*

6 *Confessarius potest absolvere complicem delicti in articulo mortis, si non adsit alius sacerdos.*

7 *Confessarius potest absolvere peccatum socii criminis antea alteri confessum.*

8 *Confessarius potest absolvere socium venialis culpæ.*

9 *Difficile est, confessiones de peccatis carnalibus factas confessario criminis socio, esse bonas.*

10 *In diœcesibus,in quibus reservatur delictum sollicitationis ad turpia,reservatio comprehendit omnem sacerdotem sollicitantem ad turpia, verbis,signis &c. Et quid sit sollicitare, quid occasio, & quid prætextus?*

11 *Innodatur casu Sacerdos sollicitans pænitentem extra actum confessionis;sicuti,qui internè tantum sollicitat, etsi externè proferat verba, seu signa indifferentia.*

12 *Pænitens tenetur denunciare confessarium sollicitantem, aliter non potest absolvi;etiam si confessarius seipsum denunciaverit.*

13 *Pænitens excusatur a denunciatione, si ei grave damnum ex denunciatione sequatur.*

1 Ut animarum periculis, quantum in Domino potuit, occurreret noster legislator, prohibuit in hoc casu absolutionem cujuscumque delicti, sive carnalis copulæ, sive alterius criminis commissi cum confessarii associatione, vel participatione,idest simul committendo,adjuvando,auxilium præbendo, excubias agendo, participando, in delicto &c. privans eum omni facultate absolvendi, ut liquet in nostra synodo, *de Sacr. Penit.cap.9.§.18. pag. 112. ubi hæc decrevit: Privamus confessarios quacumque facultate absolvendi, cū quibus in delicto participaverint quoad idem delictum*; & suspenduntur ipso facto ab officio absolvendi eos,appendix synodi Ecclesiæ Theanensis *de suspensionibus ab officio,ipso facto incurrendis, §.3. pag.503.*

2 Sapientissimus præsul ex longa experientia cognoverat, ferè omnes confessiones esse sacrilegas;& potissimum illas peccatorum carnalium, quæ novis carnis titillationibus ferè semper sunt fœdatæ:cum quasi semper fit periculum novi consensus, saltem in alterutro, si audiat repeti peccatū,cujus delectationem antea sensit; & sic potius retineretur,quàm tolleretur peccatum:& sæpe deficit dolor, vel propositum.(faciunt enim id libenter pænitentes ne cogantur deserere occasiones proximas) Et etiam quia, si posset pœnitens peccatum cum confessario commissum eidē confiteri, sequeretur, quod pænitens in peccatis cum illo commissis, & potissimum

car-

carnalibus, semper perseveraret: Tum ob facilitatem absolutionis; tum ob confidentiam cum cōfessario, ad quem absque rubore accederet; Quia erubescentiam amiserunt, quando simul peccavere. Tum demum, quia pœnitens scit, quod confessarius, nō eum objurgabit, nec medicinalem satisfactionem, ut ab hujusmodi peccato abstineat, imponet; aut saltem, quod mitius cum ipso se geret.

3 Tamen si non prohibeatur, potest socium criminis absolvere. Cum nulla lex universalis prohibuerit; & revera potest fieri, ut uterque sincerè doleat de peccato invicem commisso. Vide dicenda *n.9.*

4 Igitur dicendum, non posse confessarium hujus Diœcesis socium lethalis criminis, sive carnis, sive aliud peccatum cujusque speciei sit, absolvere. Quia confessarius socius culpæ non habet jurisdictionem; cum sit reprobatus ad cōfessiones cōplicis audiendas, ut patet in verbis casus. Dicitur *confessarius*, qui prima vice confitetur pænitente, etsi non sequatur absolutio: modo fiat à peccatore in recognitionem suæ culpæ, & Sacerdoti quatenus est judex in foro pænitentiali.

5 Ex dictis sequitur, quod neque tempore Jubilæi potest dictum socium absolvere. Quia prohibitio facta confessario non audiendi socium culpæ, nō est propriè reservatio, sed suspensio ab officio absolvendi ab illo delicto, simul commisso, ut *n.1.* dictum est. Tum quia talis prohibitio non solum in pœnam pænitentis, sed etiam directè in pœnam confessarii imposita est. Tum demum quia si esset propriè reservatio pænitens à nullo confessario absolvi posset. Sed hoc est falsum; quia ab omni Confessario potest absolvi, complice excepto, ergo non est propriè reservatio, sed non approbatio circa illud delictum; Et potest Episcopus aliquem à Parochi jurisdictione subtrahere; ergo non potest virtute jubilæi, vel alterius facultatis, complicem delicti absolvere, Viva *quæst. 11. art. 3. n. 4. de Jubilæo.*

Sed dices cū Bon. *de Pænit. disp. 3. quæst. 7. sect. 5. pun. 5. §. 5. n. 13.* Si verū esset, quod confessarius non posset socium culpæ virtute jubilæi absolvere; quia non censetur approbatus, nec etiam posset in aliis casibus reservatis, quia etiam in illis fuit adempta jurisdictio; Sed hoc est falsum; quia à reservatis potest virtute jubilæi, vel alterius facultatis absolvere; ergo &c.

Dicendum, quod, ut supra dictū est, ideo potest in altis, & non in hoc absolvere, quia tantum circa hoc, nempe circa sociū criminis, & culpæ, adest specialis, & positiva reprobatio, non autem circa alia reservata; ideoque, excepta illa confessione, in qua penitens aperiret peccatum cum confessario commissum, à quo non potest per illum absolvi, posset ab aliis, in quibus non dicitur socius criminis, seu participans.

6 Dubitatur modò, an saltem in articulo mortis, complicem absolvere possit?

Et ℞. cum cit. Bon. *n.15.* posse, si non adsit alius Sacerdos. Quia in articulo mortis omni Sacerdoti cōceditur à Pontifice absoluta potestas absolvendi à quibuscūque censuris, & delictis, etsi enormioribus.

7 Sed rursus petes, an confessarius possit pænitentem complicem delicti audire, si idem peccatū prius alteri confessum, velit iterum ipsi confiteri?

℞. posse, quia fuit ablata culpa, in qua cum illo fuit particeps.

8 Quæres demum, quid sit dicendum de complice delicti venialis?

Et etiam affirmandum, posse à complice confessario absolvi. Quia cum reservatio sit pænalis, & gravis, & pænæ sint odiosæ (ut pluries dictum est) restat, quod intelligatur de gravibus criminibus.

9 At pro conclusione hujus casus nota, quod in Diœcesibus, in quibus non est prohibitum confiteri confessario peccatum cū ipso commissum, potest pænitens, ut *n.3.* dictum est, de illo apud ipsum se accusare; cū dolere posset vere, se Deum offendisse; quod facile potest accidere in omnibus peccatis, exceptis carnalibus, in quibus difficile esset, confessiones esse bonas ob rationes *n.2.* datas. Et quamvis possit aliquando adesse justa causa id agendi, V.G. tantus pudor in puella, ut nō audeat alteri manifestare suū incestum: Tamen talis pudor vix excusabit. Quia etsi institutio Divina non obliget ad onera Sacramento extrinseca, obligat tamen ad intrinseca, quale esset confusio subeunda propter proprium peccatum apud confessarium; cum sequatur per se ad manifestationem sui peccati, quam præcepit Deus.

10 Solet etiam in Diœcesibus reservari sequēs casus. *Sollicitantes quascumque personas verbis, signis, aut factis ad turpia secum,*

cum, sive cum aliis quomodolibet perpetrâda in confessione Sacramẽtali, sive sequatur confessio, sive non, & tam ante, quàm immediatè, omnibus aliis casibus comprehensis in Bulla Greg. XV.

Sollicitare est allicere, provocare, inducere, excitare verbis, signis de se ad Venerem ordinatis. Et quia in dicta Bulla quoque habentur sequentia verba: *occasione, vel prætextu*, videndum quid sint?

Occasio, ut definit Cicero de *inven.* & 1. *Offic. Est opportunitas temporis casu proveniens.* Prætextus verò est *simulatio falsæ causæ*.

Hæc reservatio comprehendit quemlibet Sacerdotẽ, etsi ad cõfessiones audiẽdas non fuerit approbatus: dummodo verbis, signis, aut factis, imo etiã epistola ad turpia secum, vel cum aliis pænitentem, sive marem, sive fœminã, sive puellam sive puerum etsi rationis inexpertes sollicitaverit; & Sacerdos prædicto modo sollicitans, casum incurrit reservatum.

11 At casum effugit, si sollicitet pænitẽtem non in actu confessionis, neque ante, neque immediatè post. Sicuti si internè tantum Confessarius sollicitare intendat, sed externè proferat verba, vel signa indifferentia.

12 Ex supradicta Gregorij incipiente: *Universi Dominici gregis*, denunciandus est à pænitente sollicitato Sacerdos sollicitans, ita ut pænitẽs absolvi nequeat, nisi prius Confessarium denunciaverit, Lexana ver. *Denunciatio n. 6.* Quod si confessarius seipsum Inquisitioni obtulerit, suũque flagitium expresserit. Tunc hoc non obstante, pænitens adhuc eum denunciare tenetur. Nam hæc est praxis Inquisitorũ hujus tribunalis, ubi ex quodam speciali decreto cavetur: ut cum spõtanea denunciatione proprii Sacerdotis sollicitantis, accedat quoque denunciatio pænitentis sollicitati. Et factum est hoc ad comprobãdam, & contestandam utriusque depositionem, nempe an accusatio Confessarii spontanea concordet cum denunciatione facta à fœmina sollicitata.

13 Sed petes, an pænitens ab hac denunciatione excusetur, si ei gravis timor infamia, damni &c. immineat?

Resolvi potest, dictam legem non obligare cum tanto incommodo in bonis, aut fama. Unde Diana *parte 5. tract. 6. resol. 27.* & *tract. 4.* cum pluribus aliis resolvit, quod pænitens promittens denunciationẽ, absolvi potest: si firmiter, proponat quamprimum eam agere. Multa in hac materia essent dicenda; Tamẽ quia videri possunt AA. fusè de ea tractantes, non immoror. Sed tu vide Felicem Potestatem fusè de hac materia tractantẽ; & Synodum Theanensem *de Sacramento Pænitentiæ cap. 9. §. 12.* docentem, esse denunciandum confessarium tradẽtem pænitenti chartam ad inhonesta sollicitantem, seu de turpibus tractantem domi legendam

CAPUT X.

Casus decimus sine censura:

Actus sodomiticus quoad agentes tantum.

APOPHASIS.

1. *Vitium sodomiticũ, quàm sit abominabile, & quibus pænis punitum?*
2. *Sodomia peccatum, dupliciter dic i. potest contra naturam.*
3. *Actus venereus, quinque modis committi potest contra naturam.*
4. *Quid sit sodomia perfecta, & imperfecta*
5. *In quid differant actus sodomiticus, & culpa sodomitica?*
6. *Usus, & praxis hujus Diæcesis est, ut pro actu sodomitico accipiatur perfecta copula sodomitica.*
7. *Casus prædictus comprehendit tantum agentes perfectum actum sodomiticum, à quo actu excluduntur mulieres, nisi Legislator pro illo actu affectivo velit ligare eas.*
8. *Ubi non excluduntur patientes, tunc intelligitur etiam sodomia passiva. At in confessione non tenetur sodomita explicare, an fuerit agens, vel patiens, nisi per accidens. Tenetur tamen si commiserit cũ consanguinea, vel affine.*
9. *Mutua procuratio pollutionis, quando ex affectu adest concubitus inter indebitum sexum est sodomia, sine concubitu; & solum ad explendã libidinẽ, est mollities.*
10. *Incidunt in reservatum omnes agentes perfectum actum sodomiticum.*
11. *Ubi non excluduntur patientes, tunc tam agẽtes, quàm patientes includuntur*
12. *Committens coactè sodomiam non innodatur casu; si timor cadat in virum constantem.*
13. *Impuberes sodomitiẽ se cognoscentes probabiliter non ligantur reservatione, annexa peccatis carnalibus, nisi malitia suppleat ætatem.*

14

14 *Non possunt absolvi, qui hoc crimen cōmiserunt antequam in Diæcesi reservetur. Nec est necesse in cōfessione dicere, an fuerint agentes, vel patientes, nisi per accidens.*

15 *Non ligantur casu, qui cum brutis sodomiticè se commiscent.*

16 *Exemptus est ab hoc casu, qui hoc scelus consummavit extra vas præposterum etsi in faudem fiat.*

17 *Immunes sunt à casu, qui per turpes amplexus invicem se polluunt.*

18 *Peccat maritus, quoties præpostero actu incipit cognoscere suam uxorē, licet deinde actum perficiat in vase naturali.*

1 Sodomitorum vitium, tam abominabile, & detestabile est, ut Doctores Ecclesiæ, teste Graff. de adult. & stup. n. 1. de eo loqui non audeant; ne os dicentium, vel aures audientium, aut aer polluatur 32. *quæst. 4. cap. rum eo*. Et ideo Bart. in l. *cum virnubit feminam C. ad leges Jul.* Majest. aiebat, legem illam non esse legendam. Et defacto ob tale crimen, ut refert Antonius Gomez in oppido Talavare fuit cōbustus quidam, qui propriam uxorem contra naturam carnaliter cognoverat; Et ob id Civitas Sodomæ (à qua tale vitium nomen hausit) cum tota illa regione fuit concremata. Item dictum facinus est tam turpe, & enorme, ut *nefandum*, & *horridum* appelletur; ita ut dum ego ejus horribilitatē perpendo vultus, manus, calamus, ingeniū que erubescit, convellitur, crescit, obtunditur. At quia non pauci prærabida libidine impulsi, dæmonibus nequiores in tam horrendæ fæditatis barathrum ruere non veretur. Ideo quo magis etiā sceleris enormitatem, & turpitudinem horret, abhorret que animus, eo magis de eo tractare est necesse, ut explicata illius gravitate, & abominatione, erubescant, paveant, arescantque; præ pudore, præ tin ore. Ad extremum enormitas hujus delicti tanta est, ut ab eo etiam diabolus abhorreat; Nam pluries legitur, diabolum fuisse incubum sub specie viri, & succubum sub specie mulieris, nunquam tamen legitur fuisse succubum sub specie viri. Hinc quia inter gravissimā crimina annumeratur, etiā *Apostasiam* appellant. Nam species Apostasiæ sunt tres. à Deo, à natura, & à Principe. 1. est hæresis. 2. crimen sodomiticum, & contra naturam (Etenim in coitu contra naturā, quia spernuntur mulieres, quas ad hoc natura progenuit, ut p art us ederent, C. *de incestis nuptiis* manifestè ab ipsa natura apostatatur) 3 crimen læsæ majestatis.

2 Sodomiæ peccatum dupliciter dici potest contra naturam: Primo generaliter ex eo quod fit contra dictamen rationis (& sic etiam fornicatio, incestus, & adulterium, dicuntur peccata contra naturam) Secundò strictè, quatenus est contra modum, & ordinem, quē natura instituit ex quo possit sequi generatio.

3 Actus venereus quinque modis committitur contra naturam. 1. quando semen emittitur, & quæritur carnalis voluptas, absque conjunctione naturali, per sui corruptionem, quod peccatum appellatur *mollities*, seu *pollutio*. 2. si fiat per concubitū cum creatura diversæ speciei, ut cum bruto, vel dæmone, & vocatur *bestialitas*. 3. etiam volunt esse contra naturam si congressus sit naturalis, sed modus indebitus, & inordinatus, ut si fiat aversæ, vel viro succubente, non mutato vase feminæ. 4. si in coitu servetur quidem debitus sexus, sed non debitū vas, ut si masculus cognoscat feminam, sed extra vas naturale. 5. si non servetur neque debitū vas, neque debitus sexus, ut si mas concubitum habeat cum mare effundendo semen intra pudenda exteriora, & dicitur Sodomia.

4 Perfectam sodomiam multi cum D. Thoma definiunt, quod sit coitus cum persona ejusdem sexus in vase indebito. Imperfecta verò, quod sit coitus in debito sexu in dicto vase, ut si masculus concubitum habeat cum muliere in vase præpostero. At alii cum Felice Potestate in *Exam. Confess. par.* 2. de 6. 9. & 10. Decalogi præcepto de *Sodomia n.* 2171. definiunt sodomiam perfectam, & propriè dictam, quod sit actus libidinosus consummatus inter masculos in vase stercorario. Imperfectam autem, & impropriè dictam (ab aliquibus appellatam innaturalis cōcubendi modus) quod sit copula masculi cum fæmina intra vas innaturale, aut fæminæ cum fæmina. Et dicitur imperfecta, quia in prima non habetur identitas sexus: In secunda habetur identitas, sed non vas indebitum. Unde juxta definitionem sodomiæ traditam ab illis, qui eam tenent cum D. Thoma, etiam concubitus feminæ cum alia femina est perfecta sodomia; sed secundum illos, qui sequuntur definitionem à Felice Potestate datam, dictus coitus est imperfectus.

5 Insuper pro claritate nota, quod (ut vides) Legislator reservat hunc casum, sub sequẽtibus verbis: *actus Sodomiticus*: nonautem sub terminis: *copula sodomitica*: Et quia nonnulli DD., ut sunt Clavis Regia *lib.8.cap.5.n.56.* & Graff. *in praxi de sodomia n.9.* citans Ignatium Lopez ad Diaz *cap.88.* in fine &c. docent quod valdè inter se differant *actus* sodomiticus, & copula sodomitica. Nã, ajunt, quod copula sodomitica sit illa, quæ masculino coitu in stercorario vase fit; Actus verò sodomiticus fit, qui fit etiam polluendo seipsum cum alia persona; & quoque docent, quod hic non solum inter viros, sed inter fœminas quoque esse possit; & consequenter sequitur, quod fœminæ exercendo dictum actum inter se, licet non emittant intra vas semẽ, etia hunc casum incurrũt.

6 At data, & non concessa dicta differẽtia; quia usus, & praxis confessariorũ hujus Diœcesis (Episcopis ab hac lege cẽdita non discrepantibus) semper fuit, ut pro *actu* accipiatur perfecta *copula* sodomitica; ideò juxtà dictã praxim, difficultates, circa hunc casum insurgentes, resolvam.

7 Ideo dicendum est, casum prædictum comprehendere tantum agentes perfectũ & principalem actum sodomiticum nẽpè concubitum masculi cum masculo in vase præpostero cum immissione seminis intra illud, Graff. *cap.10.n.11.* Nav. *cap.2. n.29.* Dian. Mazzuch. Bass., & alii, à quo actu perfecto excluduntur fœminæ; Cum inter ipsas non possit dari copula vera, perfecta, & propriè dicta, sed tãtum imperfecta, quã impropriè appellant sodomiã, cum propriè nominent *vitium non nominandum*. Nec mulieres emittunt verum semen, sed quẽdam lymphaticum humorem, è glandulis vaginæ distillantem à natura ad lubricãdum institutum, ut saliva in ore; quod certum modo est apud omnes moderniores medicos (& huno humorem intellige quoties audis in hoc tractatu nominare semẽ fœminę) Nec intra vas alterius fœminę modo naturali dictum semen, seu humorem (si fortè adsit) immittere possunt; & sic tantum *affectivè*, non autem *effectivè* peccare possunt. Ideoque nisi Legislator velit ob illum actum affectivum illas ligare, a reservatione excluduntur. Cum non puniatur *affectus* venereus ad indebitum sexum sed effectus. Excipe si sit hemaphroditus, & ita prævaleat in sexu masculino, ut verum semen intra vas præposterum mulieris immittat.

Ex dictis sequitur non subsistere sentẽtiam Bellochii, Lupi, Capeav. *de casib.res. cas.11.q.2.* & aliorum docentium, quod cõprehendatur in casu actus sodomiticus, non solum in vase indebito, sed etiam in naturali: Cum doceant, quod vas fœminæ dicatur naturale: quia a natura institutũ est, ut instrumentum naturaliter deserviens generationi humanæ, quæ cum sequi non possit ex concubitu fœminæ cum fœminæ, non naturale, sed innaturale, & indebitum dici debet.

8 Insuper adverte, quod licet hic casus nostræ Diœcesis comprehendat totum sodomiam activam. At ubi non excipiuntur patientes, sed generaliter reservatur sodomia, tunc intelligitur etiam sodomia passiva, ob rationem dicendam *n.10.* At in confessione non tenetur sodomita explicare, num fuerit agens, vel patiens (nisi per accidens, nempe ut intelligat Confessarius, an incurrerit reservatum, ubi tantum agentes ligantur) Quia est eiusdem speciei, etsi gravius peccet agens. Sed quando sodomia est commissa cum consanguineo, val affine &c. docent esse explicandum; licet non gradum, circa quem contrarium docent alii.

9 Sed petes, quando mutua pollutionis procuratio debeat dici sodomia, & quando mollities?

Dico cum Gaetano, quod quãdo ex affectu adest concubitus; si sit inter indebitum sexum tunc est sodomia: Quando verò adest mutua pollutio absque concubitu, sed solum ad explendam libidinem, est mollities.

10 Hinc incurrunt casum in hac Diœcesi reservatum omnes agentes perfectum actum sodomiticum, nempe si sodomia sit perfecta, & sit effusio seminis intra vas innaturale.

11 Juxta communem cum Belloch. *q.1. n.188.* Lupus *cas.10.n.9.* Bon. *de matr.q.4. pun.11.n.2.* Tinell. *cas.9n.5.* Mazzuch. *cas. 22.q.1n,8.* Cariol. *de cas.9.5.10. n.36.* Clar. *lib 5.§.sodomia n.6.* ubi non excluduntur patientes; tunc tam agentes quam patientes incurrunt reservationẽ. Quia in correlativis, quod est dispositum censetur (nisi aliter de mente Legislatoris constet, ut patet in hac Diœcesi, in qua excipiuntur patientes) Et demum talis est Diœcesum praxis.

praxis. Hinc laqueum reservationis non effugit, qui muliebria turpiter patitur, dūmodo actus nefandus sit completus in dicto vase. Cum invicem actum perficiant.

Non desunt tamen alii contrarium sustinentes. Quia reservata sodomia absolutè posita, intelligitur *certa*, quæ est illa agentis, qui per se prodigit semen, & non patiens. Tum etiam quia patientes in rigore loquendo non dicuntur *sodomitæ*, sed *molles*. Graff. in praxi, Peregrinus, Pelleta & Baucius.

12 Committens peccatum sodomiæ coacte, non incurrit reservationem, si timor cadat in virum constantem, licet regulariter non excusetur a peccato contra legē naturalem, & Divinam; excusatur tamen a lege positiva reservationis, Ricc. *tom. 3. resol. 61.*

13 An verò incurrant casum impuberes sodomitice se cognoscentes?

Negant Graff. Belloch. Lup. & Dia. *par. 2. tract. 1. resol. 14.* asserentes, impuberes sodomiticè se cognoscentes, non ligari reservatione annexa peccatis carnalibus, ob ætatis imbecillitatem, secus aliis. Tamen affirmativa sententia est potius tenenda, quando malitia supplet ætatem; nempe si sit aptus ad seminandum, ac proinde ad nefandum complendum actum. Quia impubes recepta ad seminandum habilitate, est, ac si esset pubes. Et hoc ajunt valere etiam, quando impubes succubus turpiter patitur a pubere. Quia ad verā sodomiam ex parte patientis non requiritur seminatio. Cæterum patientes, sive impuberes, sive puberes sint, in hac Diœcesi sunt excepti.

14 Non possunt absolvi, qui hoc scelus commiserunt antequam Diœcesi reservatur; quia per subsequentem reservationem confessariis est adepta facultas absolvendi ab hoc delicto. Sufficit tamen in cōfessione dicere: commisi sodomiā, non explicando, an sit agens, vel patiens, ubi absolutè reservatur. (secus ubi patientes excluduntur) quia talis fœditas est ejusdem speciei, Dia. *part. 3. tract. 4. resol. 159. & pa. 6. tra. 6. res. 36.* Cabrinus, *in Elucidario casuum reservatorum de sodomia, ann. 6. n. 14. pag. 238.* quidquid contradicant alii.

15 Non incurrunt casum hunc, qui cum brutis turpissime sodomiticè se commiscēt. Quia licet fiat in vase turpissimo; non *sodomia*, sed *bestialitas* appellatur, de qua in capite sequenti dicetur.

16 Nec incurrit, qui hoc scelus incoavit in vase præpostero, sed illud extra cōsumavit, etiamsi industriose, & fraudulenter agat, quia probabilissimum est, quod requiratur actus consumatur in dicto vase. Quamvis aliqui doceant, quod quando fit dolosè, & in fraudē, tunc ne illi fraus patrocinetur, debet remitti ad superiorem. Sed prima sententia est in praxi.

17 Immunes sunt a casu, qui per turpes amplexus invicem se polluunt. Quia tunc non est sodomia, sed mollities.

18 Pro choronide nota, quod peccat maritus quoties præpostero actu incipit cognoscere suam uxorem, licet deinde actum perficiat in vase naturali. Quia talis actus nec ex se, nec ex agētis intentione potest ad actum conjugalem referri. Nec dicitur vas legitimum servari, quoties usurpatur illegitimum ad alterius luxuriæ ordinem tendens, licet intra illud non consumatur

CAPUT XI.

Casus undecimus sine censura.

Bestialitas.

APOPHASIS.

1 *Magis odibile, & omnium nefandissimū, & gravissimum est bestialitatis crimē, & quibus pœnis iure civili, & Divino puniatur?*

2 *Quid sit bestialitas?*

3 *Quid brutorum nomine veniat?*

4 *Concubitus cum dæmone incubo, vel succubo reducitur ad bestialitatem, & hoc est explicandum in confessione, sicuti etiam in qua forma fuerit; At non concubitus cum aliis bestiis, sivè masculi, sive feminæ sint.*

5 *Pollutio cum bestia citra concubitū, est circumstantia exprimenda in confessione, si habeatur cum desiderio, se cum illa commiscendi. Secus, si habeatur sine illo.*

6 *Flagitium bestialitatis ex affectu committentis, potest habere aliam malitiā.*

7 *Incurrunt hunc casum omnes, qui bestialem concubitum perfectè committūt; qui si in vase præpostero bestiæ fiat, gravior est.*

8 *Quid sit coire, & quomodo accipiatur in casu nostro.*

9 *Casum non effugit mulier, quæ dum coitum habet cum bestia, ipsa tantum seminat*

10 *Reservatum non vitant feminæ a brutis*

brutis animalibus cognitæ.

11. *Non innodantur, qui perficiunt coitũ extra vas bestiæ.*

12. *Sunt immunes quoque impuberes nempe mares ante annum 14. & feminæ ãte 12. nisi malitia suppleat ætatem.*

13. *Pariter eximitur, qui aliquo instrumento, aut manu vas bestiæ penetrans, efficit, ut ad libidinem concitata seminet. Et idem dic de immittente priapo in os, nares, vel aures bestiæ, etsi cum seminis immissione.*

14. *Excusatur similiter fœmina studiosè, & data opera efficiens, ut animal, vel os vulvæ lingendo, vel caudam in eum immittendo, se polluat.*

15. *Neque afficitur reservatione, qui mitula matricem animalis perfricans, se polluit.*

16. *Declinat casum, qui coit cum bestia, si illa tantum se corrumpat, & non ipse.*

17. *Innodatur casu, qui coit cum fœmina, vel cum bellua mortua.*

18. *Quomodo se gerere debet confessarius cum innodatis pessimo bestialitatis vitio? Et cur appelletur pessimum?*

1 PEssimum omnium, & nefandissimum est bestialitatis crimen, ut clarè indicant leges, pœnam mortis contra tale scelus committentes, statuentes, tex. in c. *mulier*, 15. q. 1. Cum non debeat vivere homo ille, qui cum sit homo, non vivit ut homo. Imo bestiis ipsis hoc vitium semper odiosum fit. Quis enim vidit unquã, brutum cum bruto alterius speciei coire? Igitur meritò jure civili vivo-cõburio punitur; & in cit. tex. *mulier*, quæ accesserit ad aliquod pecus, debet eum pecude occidi; non quòd reum sit pecus, cum sit irrationale, sed quia indignam refricat facti memoriam. Et lex divina, *Lev. 20. vers. 15. & 16.* habet. *Quicumque jumento, vel pecore coierit, morte morietur, pecus quoque occidite; mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo.*

2 Bestialitas gravissimum inter omnes luxuriæ species peccatum, est concubitus cum re animata alterius speciei, nempe cum brutis; seu est coitus, in quo non servatur identitas speciei, S. Thom. 2. 2. q. 52. art. 11.

3 Nomine *bestiarũ*, seu *brutorum* veniunt non solum animalia, sed, & aquatica, aereaque; licet animalium nomine soleant venire tantum terrestria; tamen pro eodẽ accipiuntur.

4 Huc reducitur cõcubitus cum dæmone incubo, vel succubo, quia ille, etsi non assumat formam bestiæ, sed hominis, non est ejusdem speciei cum homine; & in cõfessione est explicandus concubitus cum dæmone; quia præter peccatum contra naturam, est speciale peccatum contra religionem, nimirum peccatum commercii cũ diabolo, infensissimo Dei, & humani generis hoste, exprimi etiam debet, an fuerit dæmon in forma fœminæ, vel viri, vel subconjugati, vel monialis professæ. Quia tunc præter bestialitatẽ, habetur affectus ad talem personam.

Si verò congressus fit cum aliis bestiis, sive masculi, sive fœminæ sint, sive equua, sive asinua &c. dicta n. 3. non est explicandum in confessione genus animalis. Quia semper est eadem specie mortalis deformitas; nec bestialitatis vitium variatur ex varietate sexua, aut diversitate bestiarum. Nam semper bestia est, & inepta humanæ generationi.

5 Unde nota, quod pollutio cum bestia citra concubitum, est circumstantia exprimenda in confessione, si habeatur cum desiderio se commiscendi cum illa. Nam sicuti, qui se polluit cum desiderio cõsaguineæ, uxoris alienæ, &c. tenetur explicare circumstantiam incestus, vel adulterii; ita qui se polluit cum bestia. Cum contrahat malitiam bestialitatis.

Si verò pollutio habetur absque affectu, & desiderio ad bestiam, sed solum adminiculo bestiæ; tunc talis circumstantia non est explicanda; quia est tantum aggravans, quæ (ut docent communiter) non est explicanda, cum nullam aliam deformitatem accipiat, nisi quod sit contra rectam rationem.

6 Tamen bestialitatis crimen ex committentis affectu, potest habere aliam malitiam, ut si quis abuteretur bestia ex affectu ad sodomiam, incestum, adulterium, &c. quæ deformitates, sunt necessario in confessione aperiendæ.

7 Ideoque casum incurrunt omnes, qui perfectum concubitum exerceant cum bestiis, n. 3. dictis, sive masculi, sive fœminæ sint, ob rationem, n. 4. datam. & quando bestialis coitus fit in podice bestiæ gravior, & detestabilior est.

8 Ubi nota, quod *coire* aliquando sumitur in bonam partẽ, prout significat *societatem*

citatem inire;aliquando in malam prout significat *in malum aliquod conspirare*. In casu nostro,cum constet ex *con*, & *eo*, idē est ac conferre in unum, corporum conjunctionem,significando. Unde *coire* idē est ac corpora *conjungere* cum seminis immissione.

9 Neque reservationis iaculum evitat fæmina, quæ coitum habens cum bestia, perdurante bestiali coitu,ipsa solum seminat. Quia reservatio non est inducta ad impediendam generationem cum bestia, sed in odium bestialis turpitudinis.

10 Sed quia,ut legi, non defuerunt fæminæ adeò prærabida libidine,& præferina salacitate in coitum præcipites,& concitatæ, ut belluis succubuerint; quæritur num dictæ mulieres a brutis animalibus cognitæ, episcopali reservationi obnoxiæ sint?

Affirmant cum Graff.*c.13.n.18*. Quia,ut capitulo antecedenti de sodomia *n. 7.* dictum est,in *correlativis dispositum de uno etiam censetur de alio*,quoties in utroque identitas rationis concurrit; patet ex *l. fin.C.de ind.vid.viduit. l. fin.ff. de accept. lib 1.ff.de eupr.dib.11*. Cum enim simus in eodem genere delicti,eademque ratio militat,tam in muliere patiente, quam in mare agente; igitur debent censeri comprehensæ.

11 Non tamen ligatur reservatione,qui non perficiunt coitum in vase bestiæ,etsi studiosè id fiat.Quia peccata externa, nō censentur reservata:nisi actum completū, & consumatum habeant.

12 Sunt immunes quoque impuberes, nimirum pueri ante 14.annum,& fæminæ ante 12.si cum bestia carnaliter se commisceant. Quia regulariter in ea ætate nequeunt complere bestialem coitum,cum seminis immissione. Secus dicendum,si malitia suppleat ætatem,ut de *sodomia n. 13.* dictum est,quia tunc est, ac si esset pubes in ordine ad reservationem. Mazzuch.*de cas.res.disp.1.q.2.difficult.4.n.15*.

13 Eximitur pariter, qui instrumento aliquo,vel manu vas bestiæ penetrans efficit, ut animal ad libidinem concitatum seminet.Quia tunc non coitus sed pollutio ex parte bestiæ est. Idem est de illo, qui immittit mentulam, seu virile membrum in os,vel aures,aut nares bestiæ,etsi cū seminis immissione. Quia tunc est pollutio,seu mollities,ex parte hominis.

14 Libera est a reservatione fæmina studiosè,& data opera efficiens, ut anima vel orificium vulvæ, seu proprii pudoris lingendo,vel caudam in eum immittendo se polluat.Quia reservatio intelligitur de coitu cum virga virili.

15 Neque afficitur,qui veretro,seu membro genitali naturam,seu vulvam animalis perfricans,se polluit.Quia tunc deficit corporum conjunctio.

16 Declinat item casum homo,qui alive coit cum bestia, quæ corrumpitur, & non ipse. Quia bestialis coitus non perficitur ex parte hominis: nisi semen emittat intra vas naturale, vel innaturale bruti.

17 Vitat quoque casum, qui congressū cum fæmina mortua habet, quia non est concubitus cum re animata,sed potius est peccatum mollitiei: Ideoque secundū communem DD. sufficit dicere in confessione: pollui meipsum: dummodo affectum non dirigat ad mulierem,vel belluam,ut erat vivens.

18 Confessarius ad extremum,si aliquē ad hoc pessimum scelus proclivem repererit (appellatur *pessimum*, sicuti constat ex Gen.*cap.37*.ubi habetur: *Accusavit fratres suos crimine pessimo*,ubi glossa ait, *quia cum pecoribus commiscebantur*) primo gravitatem talis facinoris demonstret:& si recidivæ occasionem habeat, jubeat bestiæ alienationem,ut illa occasio removeatur: et si a multis annis in illo vitio fit versatus,cogat per aliquos dies bestiarum vitā transigere,nempe ut nihil coctū comedat, & sola aqua sitim extinguat. Et si magis habituatus sit,compellat proprio ore cibum capere, negato illi manuum ministerio:Sed tamen clam,ut tollatur scandalū, & sic resipiscat, juxta illud: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, Psalm. 82.

CAPUT XII.

Casus duodecimus sine censura: *Detentio parvulorum in lecto ante annum completum, eo modo, quo adsit periculum, & prævideatur, quod probabiliter inesse possit.*

APOPHASIS.

1 *Cur Ecclesiastici Legislatores detentionem parvulorum in lecto reservent?*

2 *Quid prohibeatur in hoc casu, & quid*

requiratur ad illum incurrendum?

3. *Qui veniant nomine detinentium infantes in lecto?*

4. *Non excusantur à reservatione mater, aut nutrix, quæ etiam evigilantes, infantem è cunis extractum, detinent in lecto sine debita cautione, si expertæ sint, sæpissimè se somno corripi cum periculo illum suffocandi?*

5. *Incurrunt etiam, quæ ne audiant puerum plorantem, aut ne frigeant ad cunas assurgendo, collocant in lecto cum periculo suffocationis.*

6. *Incurrunt quoque hunc casum omnes ad quos pertinet cura infantis, si ante annum completum cum periculo detineant infantem in lecto.*

7. *Non incurrunt filii, fratres, sorores, nepotes &c. Si dormiant cum parentibus detinentibus infantem in lecto. Idem dicendum de avia, & ancilla quando ipsis infantis cura non est demandata.*

8. *Excusatur pater, si non dormiat cum uxore detinente in lecto parvulum, imo etsi dormiat, si non consentiat saltem tacitè.*

9. *Neque ligantur detinentes in lecto puerum post expletum annum, etsi mensis duodecimus spiraret die 28. februarii*

10. *Etiam effugiunt reservationem mater, nutrix, avia, &c. quæ ex ignorantia, inconsideratione, oblivioni &c. detinent infantes in lecto.*

11. *Excusantur quoque ab hoc casu mater, & nutrix detinentes infantem in lecto metu gravi compulsæ.*

12. *Nec incurrunt detinentes parvulos in lecto, si ob ægritudinem vel aliam corporis molestiam nullo modo placari, vel ad somnum incitari possint.*

13. *Neque innodantur personæ miserabiles, quæ ob egestatem, vel aliam causam detinent infantes in lecto, si adhibeant omnem diligentiam pro infantium suffocatione impedienda.*

14. *Excusantur etiam detinentes infantes in lecto, quando probabiliter creditur, non adesse ullum suffocationis periculum.*

15. *In Diœcesibus, in quibus non adest clausula, quod debeat adesse periculum, etiam valde probabile est, non incurrere casum detinentes infantem in lecto, quando nullum adest periculum.*

16. *Non incurrit mater ægrota, accipiens plorantem infantem, ut lac ei præbeat, si dum infans lac sugit, involuntariè obdormiat, & infantem suffocatum excitata inveniat.*

17. *Excusantur suffocantes in cunis; si littera reservationis dicit in lecto.*

1 Quia non semel ob detentionem tenellorum infantium in lecto, parentes, & alii curam illorum habentes, à somno, mortis comite, & figura decepti, funestas tragedias facere cōsueverūt (ut ego confessiones audiendo pluries à parentibus didici); quorum notitia cum ad eos devenit, & fiunt crudeles spectatores eorum mactatæ prolis, tunc quam frustra evellant crines, sternant humi, adgemant exclament, querantur, lugeant, fremant, & luctisonis plangoribus æthera impleant, conquerantur de improba sorte, & tristibus fatis: quàm ineptè loquantur cum illis inanimis corpusculis, quæ à spiritu relicta, mundo suum ultimum clausere diem: quàm inaniter post irreparabile casum exclament: *ubi nitor mei nati? occupavit pallor; ubi venustas? deformavit sanies, lacteum livescit collum, lucidi obtenebrati oculi, pulchritudo detur pata vultus! Siccine nate ad parentes redis, gaudia hæc de tuis parentibus refers, heu fili mi, fili mi solos nos dereliquisti?* quàm inquam frustra, ineptè, inaniter, ex se patet. Ideo jure optimo prudentes Legislatores, ne ad talem luctuosum actum deveniant filicidæ genitores, &c. prohibere, & reservare solent detentionem parvulorum in lecto, ut territi à tali pœna, non audeant cum tanto prolis periculo, illos ante expletum annum, secum detinere.

2 Prohibetur sub pœna reservationis *suffocatio*, quæ potest causari ob detentionem puerorum in lecto a parentibus, nutrice &c. infra notandis, ante completum annum; in quo tempore, ob infantium teneritatem, faciliter potest periculum oppressionis adesse. Tamen in tali detentione adesse debet periculum cum probabili prævisione, ad hoc ut incurratur casus reservatus, ut ex terminis dicti casus patet.

3 Nomine autem tenentium infantes in lecto, censeo venire eos omnes, ad quos cura infantium pertinet, puta matrem, nutricem, aviam, ancillam, si ipsis cu-

cura infantis demandata sit, imo & patrem, siquidem, & ad ipsum pertinet propriæ prolis consulere saluti; dummodo tamen in eodem lecto cubet, & consentiat in eam detentionem; Quia aliter non dicitur infantem in lecto tenere.

4 Ideo non excusantur à mortali culpa, & reservatione mater, & nutrix, quæ etiam evigilantes, infantem e cunis extractum, in lecto sine debita cautione detinent, si sæpissime expertæ sint, se deinde somno corripi cum periculo suffocandi infantem. Quia adverenter, & sponte se periculo committunt.

5 Sicuti etiam innodantur, si ne infantem audiant plorantem ad aures, vel ne frigeant ad cunas assurgendo, illum è cunis secum in lecto, cum periculo suffocationis, collocent. Quia hæ non sunt causæ sufficientes, ut possint infantem in lecto cum suffocationis discrimine detinere.

6 Et denique prædictum casum incurrunt omnes, ad quos pertinet, & demandata est cura infantis, ut n. 3. dictum est, si detineant infantes in lecto ante annum completum, cum periculo probabiliter prævisio, quod ex verbis casus liquet.

7 Sed non incurrunt filii, fratres, sorores, nepotes, si dormiant simul cum patre, & matre detinentibus infantem in lecto sine debita cautione. Quia hi non dicuntur detinere infantes in lecto. Cum ad ipsos non pertineat, nec ipsis ex speciali commissione, infantis cura demandata sit. Idem resolvitur de Avia, vel ancilla, quando ipsis infantis cura, non est commissa; licet peccent contra jus naturale, si advertant, & non caveant periculum suffocationis.

8 Excusatur & pater, si non dormiat, si non consentiat saltem tacitè. Quia in priori casu, non dicitur infantem detinere, in secundo casu, non censetur contumax: licet non deficiat mortalis culpa, quia patri cùm ex charitate, tùm ex officio, & quasi justitia, incumbit propriam prolem ab interitu vindicare.

9 Nec sunt obnoxii detinentes in lecto post expletum annum, etsi mensis duodecimus spiraret die 28. Februarii; tunc enim non incideret detinens infantem ultima die dicti mensis, etsi ad integrum annum deficiant duo dies. Quia licet in *favorabilibus* illi duo dies pro uno cedant; non tamen in *odiosis*.

10 Etiam effugere reservationem matrem, nutricem, aviam, &c. quæ ex ignorantia, inconsideratione, oblivione, vel inadvertentia violant præceptum reservationis, *detentionis* parvulorum in lecto docent permulti; dummodo ignorantia non sit crassa, vel supina. Quia ad incurrendam reservationem requiritur scientia, & contumacia; & qui non advertit ad legem, non est illius contumax & contemptor. Vide tamen pro majori claritate, dicta *disp.* 1. *q.* 3. *c.* 4.

11 Iisdem excusantur ab hoc casu mater, & nutrix, quæ gravi compulsæ metu, detinent infantem in lecto cum suffocationis discrimine, non autem à culpa lethali. Prima pars patet, quia leges humanæ non obligant cum tanta severitate; & qui aliquid ex metu gravi agit, nō dicitur contumax. Posterior pars probatur, quia detinere infantem in lecto cum periculo suffocationis, est intrinsecè malum, non est licitum, etsi fiat ob metum cujuscumque gravissimi mali, cum peccatum omnibus aliis malis majus sit.

12 Nec incurrunt si ob ægritudinem, vel aliam corporis molestiam, parvulus in cunis nullo modo placari possit, vel ad somnum incitari. Non enim teneretur Mater, vel nutrix singulis momentis à lecto ad cunas assurgere, vagientique ubera admovere, præsertim hyemali tempore. Cum lex humana, humano modo sit intelligenda. Et sic posset infantem è cunis extractum, in lecto detinere, placatumque rursus cunis restituere.

13 Neque innodantur hoc casu personæ miserabiles, scilicet, quæ egestate, ægritudine, vel alia gravi necessitate laborant, V.G. qui ob carentiam, vel angustiam cubiculi, vel egestatem in pannis, vel lodiculæ pelliceæ, seu lineæ, quibus ab infante frigoris asperitatem depellant; dummodo omnem diligentiam adhibeant pro infantium suffocatione impedienda. Quia leges humanæ non obligant cum tanta severitate. Et cum in casu paupertatis, vel ægritudinis, mutetur circumstantia possibilitatis, sub qua lex obligabat; & cum lex debeat esse possibilis, & hoc valde difficile sit; ideo moraliter censetur impossibile; & consequenter obligatio legis, videtur per seipsam cessare, quando evidens est paupertatis excusatio juxta doctrinam Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 5.

5. cum communi. Et in hoc particul. ii casu declarandum, seu interpretandum, leges non obligare. Vide dicta in 4. *casu sine censura n.9. & 10.*

14 Excusantur etiam detinentes infantes in lecto, quando probabiliter creditur, nullum subesse suffocationis periculum; quod est certum in hac Diœcesi, quia Legislator vult, ut adsit periculum, & prævideatur posse inesse, ut in terminis *casus liquet*.

15 Ubi tamen absolutè absque prædictis clausulis, casus reservatur, Doctores in diversas eunt sententias. Nam Fellochius *de cas.reser.par.2. q.4. n.41.* docet, matres, nutrices, & alios quoscumque, ad quos spectat, vel specialiter commissa fuerit cura infantis, incidere in casum, etsi nullum adsit periculum. Ejus ratio est, quia reservatio est lata contra *detinentes* infantes in lecto, non autem contra *suffocantes*; ergo qui sic detinet censetur inobediens, & consequenter in reservationem incidere.

Alii verò negant cum Grafio, Finellio, & Gambarupta, qui *de cas.reser. c.14. pag.168.* sic habet: *Crederem ego excusari ab hac censura, qui sine peccato mortali, hoc est sine verisimili periculo suffocandi infantem in eodem lecto secum retinet secundum expleto anno, ut si cubile est amplum, & longe à se ponit infantem, neque dormiens solet locum mutare, sed ubi semel se collocat, ibi persistere solet.* Idem docet *casu 23. in fine* ajens: *in detentione infantium attendendum esse non ad corticem verborum, sed ad Legislatoris mentem, quæ est, ut suffocationes infantium arceantur.*

Hæc sententia mihi satis probabilis videtur, & præcipue quoties ex ejusmodi detentione certò (morali saltem certitudine) constat, nullum subesse suffocationis periculum; ut si detineatur etiam diutissimè infans in lecto dum vigilant, secluso periculo, ut somno corripiantur, vel si præter cubilis latitudinem, mater ex diuturno detinendi usu experta sit, nunquam se exposuisse periculo infantem suffocandi: & maximè, quia, ut dictum est, negari non potest, mentem Legislatoris, in detentione infantium, eam esse, ut suffocationes infantium arceantur; cujus intentioni potius, quàm verbis adhærendum est, ut *disp.1. q.1. c.3. n.7.* dictum est. Tum etiam quia eo casu sicut cessat prohibitio juris *naturalis*; sic et jam *positivi*. Et tali casu lex Ecclesiæ redditur inutilis, & consequenter deficit ejus obligatio.

16 Non incurrit mater male se habens in lecto, recipiens vagientem puerulum, ut lac ei præbeat; si dum infans lac sugit, involuntarie obdormiat, & à somno excitata, inveniat filium suffocatum. Nam fuit necesse, filium in lecto nutrire ob infirmitatis necessitatem, & somnus casu, & præter necessitatem evenit.

17 Excusantur quoque suffocantes in *cunis*, ubi littera reservationis dicit in *lecto*. Quamvis incurrerent, si suffocarent in *humo*: Cum appellatione *lecti*, intelligatur etiam *terra*, si ibi jaceret.

CAPUT XIII.

Casus decimus tertius sine censura

Omnia peccata eorum, qui accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ cum armis scienter.

APOPHASIS.

1 *Quare noster Legislator reservavit omnia peccata scienter accedentium cum armis ad Sacramentum Pœnitentiæ.*

2 *Quid armorum nomine veniat?*

3 *Et si Legislator non reservet directè, & immediatè accessum cum armis ad Sacramentum Pœnitentiæ, tamen cum sit materia illius confessionis, non solum alia peccata, sed quoque illud accessus, reservatur.*

4 *Ad incurrendum dictum casum requiritur scientia delationis armorum.*

5 *Delatio armorum in pœnitentibus accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ, est culpa gravis.*

6 *Ad incurrendum casum non sufficit accessus pœnitenti ad locum, ubi Confessarius actu pro audiendis confessionibus sedet, etsi pœnitens sit jam ante illum genuflexus pro confitendis suis peccatis, sed probabiliter requiritur, ut incipiat se accusare.*

7 *Non possunt à simplici Confessario absolvi pœnitentes scienter cataphracti ob peccatum accessus: imo nec ob habentibus facultatem ob actualem transgressionem legis accessum reservantis.*

8 *Peccata pœnitentium scienter cataphractorum, probabiliter non remanent*

nent reservata, si antequam se genuflecterent pro confessione facienda, arma deponant.

9. Neque ligatur, qui armorum oblitus, accedit ad confitendum, & potest absolvi, si dum confitetur recordatur, se arma deferre, nec tenetur deponere, si cum scandalo, debeat confessionem interrumpere.

10. Accedentes ad Sacramentum Eucharistiæ cum armis, ex Synodo Thianensi, incurrunt ipso facto excommunicationem Episcopo reservatam.

1. O Primo jure Legifer noster peccata omnia accedentium scienter ad sanctum Pœnitentiæ Sacramentum cum armis reservavit; Cum supradicti Sacramenti arma, lacrymæ, & orationes esse debeant. Si enim in hac valle, miseriarum, & angustiarum plena, valde reprehensibilis, & superbiæ vitio notandus erit subditus, si suum superiorē petens, ut eum visitet, aut ut aliquid ab eo obtineat, ante illum aliquod armorum genus, aut quicquam aliud, etsi licitum, ut esset gladius, baculus &c. portet, & à fortiori si sit reus, qui adeat Judicem, ut commissi delicti veniam postulet; tunc nō solùm gratiæ obtinendæ indignus putatur, sed etiàm magis punibilis redditur. Quanto magis iniquus, & temerarius pœnitens, qui suis flagitiis misericordem nostrum Creatorem, & Redemptorem immediatè læsit.

2. *Armorum* appellatione venit omne genus cultrorum feritoriorum, seu offensivorum, nempe principaliter destinatione, & usu deferentis ad offendendum delatorum, ut ensis gladii, lanceæ, cultri offensivi, manuale tormentum, sive breve sit, sive longum. Non verò veniunt dicto nomine *defensiva*, ut galeæ, loricæ, thoraces, &c. quamvis hæc audaciores reddant homines ad malum perpetrandū.

3 Unde pro claritate notandum est primò, Legislatorem non reservare directè, & immediatè peccatum ipsum delationis armorum, seu accessum cum armis ad Pœnitentiæ Sacramentum, nisi tantum per *accidens*, quatenus fit materia illius confessionis; sed omnia peccata accedentium cum armis ad illud. Atque ideo etiàm peccatum *accessus*, ut ex verbis casus liquet.

4. Notandum secundò, ad incurrendum casum requiri scientiam, quæ importet dolum, contemptum, vel saltem ingentem temeritatem; ideoque qui ignoranter id agit, non comprehenditur in *casu*, ut indicat particula illa *scienter* in casu expressa.

5. Notandum tertiò, delationem armorum, in pœnitentibus accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ, esse culpam gravem. Quia juxtà dicta *n. 1.* non solum quià non humiliter, sed superbè, atq; indignè accederent, sed etiam ob superioris præceptum sub gravi pœna (qualis est reservatio) prohibentis talem accessum cataphractariis quod supponit etiam culpam gravem. Nam talis accessus extitit superiori, ut causa *motiva*, propter quam omnia peccata sibi reservavit.

6 Notandum quartò, quod quamvis videatur, quod pro incurrendo casu sufficiat accessus ad locum, ubi Confessarius sedeat pro audiendis confessionibus, & quod pænitens sit ante illum genuflexus pro actu confitendi sua peccata; Tamen probabiliter non incurrit, nisi saltem incipiat se accusare. Quia aliter non ad Sacramentum, sed ad locum, ubi confessiones audiuntur, accederet: Cum non dicatur accedere ad Sacramentum, nisi saltem incipiat ponere materiam; & potissimum quia sumus in *odiosis*.

7 Hinc resolvendum, non posse à simplici confessario absolvi pœnitentes scienter cataphractos, etsi habeant sola venialia. Quia sunt indispositi ob actualem transgressionem legis, accessum sub gravi, & reservatione prohibentis: Et tunc ob peccatum *accessus*, quod remanet reservatum. Imò tunc non possunt absolvi, nec ab habentibus facultatem. Quia dum voluntariè persistunt in actu graviter à lege prohibito, sunt in continuo peccato; & consequenter absolutionis indigni.

8 An verò peccata pænitentium scienter cataphractorum, remaneant reservata, si antequam se genuflecterent pro confessione facienda, arma deponant?

Probabiliter dicendum, non remanere reservata, ut liquet ex quarto notando n. 6. & ulterius quia cum Legislator reservet peccata accedentium ad Sacramētum pœnitentiæ cum armis, non dicitur accedere, nisi saltem incipiat, se de peccatis accusare; cum tunc incipiat ponere materiam seu primam partem Sacramenti Pæ-

Pœnitentiæ. Nam, ut omnibus innotescit, partes Sacramenti prædicti sunt *materia, forma, & satisfactio*. (Quamvis hæc sit tantum pars integralis, illæ essentiales.)

9 Non ligatur, qui armorum oblitus, accedit ad se confitendum. Quia non facit scienter; ut ex verbis *casus* patesit; & potest absolvi, sidum confitetur, recordetur se deferre arma; nec tenetur cum scandalo interrumpere confessionem peccatorum, & Sacramentale judicium inceptum, ut arma deponat. Debet tamen displicentiæ actum elicere.

10 Etiam accedentes ad Sacramentum Eucharistiç cum armis, incurrunt ipso facto excommunicationem Episcopo reservatam, Gibertus in *Synodo Theanensi, cap.7.§.12.pag.77. & Appendix* dictæ Synodi, *in catalogo censurarum, quæ ipso facto incurruntur, & reservantur Episcopo, §.5.pag.478.*

CAPUT XIV.

Casus decimus quartus sine cens. *Incestus in secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu.*

APOPHASIS.

1. *Quàm grave sit vitium incestus?*
2. *Quid sit consanguinitas, & affinitas? & præsens casus comprehendit incestum affinitatis, ortum tam ex copula licita, quàm illicita.*
3. *Ad contrahendam affinitatem, requiritur copula perfecta saltem ex parte viri.*
4. *An ad contrahendam affinitatem sufficiat pollutio infra, vel circa fœmina pudenda, si seminis pars intra matricem illabatur, vel ab ea attrahatur? utrumque sustinent Doctores.*
5. *Probabiliter incurrit casum impubes, qui actum consumavit cum consanguinea, vel affine intra secundum gradum. Secus si non consumavit.*
6. *Etiam probabiliter afficitur casu, qui committit incestum, etsi nesciat esse illi adnexam reservationem.*
7. *An reservationem incurrat, putans se commisceri cum consanguinea, vel affine in tertio, vel quarto gradu, si postea reperiat esse in secundo; utrumque probabiliter docent.*
8. *Excusatur à casu, qui inculpabiliter ignorat, esse consanguineam, vel affinem, illam cum qua peccat.*
9. *Qui in ebrietate, somno, vel amentia commisit incestum, non afficitur casu.*
10. *Non incidunt mulieres, quæ una ad instar masculi supergrediente alterā, ita se polluunt, ut fiat seminis commixtio.*
11. *Neque ligatur, qui peccat cum consanguinea in tertio, & primo gradu lineæ transversæ inæqualis.*
12. *Ad incurrendum reservatum ob copulam cum affine, probabiliter non sufficit si semen casu distillet intra vas fœmineum.*
13. *Non ligatur casu, qui commiscetur cū uxore fratris uxoris propriæ.*
14. *Casum pariter effugit, qui ante consummationem matrimonii habet copulam cum uxoris consanguinea, tamen quādo consummat, ligatur.*
15. *Ille quoque a reservato est, qui putans se coire cum consanguinea in gradu secundo, deinde reperit, eam esse in tertio conjunctam.*
16. *An innodatur casu maritus, qui post copulam cum uxoris consanguinea in gradibus reservatis, eam habet cum propria uxore; utrumque est probabile.*
17. *Non gravatur casu, qui cum cacodæmone in forma consanguineæ apparente, copulam habet.*

1 INcestus, ut in *casu quinto cum censura, n.1.* diximus, vitium est valde detestandum, cum in gravitate vincat etiam adulterium; & eò magis, quò cum magis affine. Unde Episcopus nō potest dispensare in petitione debiti, ob incestum cum consanguinea uxoris, nisi intercedat justa causa. Quia non potest dispensare in criminibus majoribus adulterio, quale est *incestus*; Ideo etiam contra illum committentes inclamant leges; sic Deus in *Lev. 20. v. 14.* vult ut ignis pœnā tales puniantur, cum ait: *Qui supra uxorem filiam, matrem ejus duxerit, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* Et 2. *Reg. 13.* Amnon, quia concubuit cum sorore Thamar, ab Absalone interfectus fuit.

De hoc casu pauca dicemus, quia abūde dictum est *in casu quinto cum censura reservato*, quæ omnia in hoc applicari possunt; & quia ab illo (licet sit in primo gradu) excluduntur fœminæ, videtur, quod a fortiori debent ab hoc excludi,

ut-

utpote minus gravi; quamvis de illarum exclusione Legislator non loquatur.

2 Consanguinitas est personarum conjunctio ex eo proveniens, quia una descẽdit ab altera, vel ambæ ab eadem. Affinitas vero, est propinquitas personarum nata ex copula carnali, sive licita, sive illicita. Licita (nempe, quæ oritur ex matrimonio) extenditur usque ad quartũ gradum inclusive. Illicita (nempe quæ oritur ex fornicatione) extẽditur usque ad secundum; & utrumque incestum, præsens casus comprehendit.

3 Ad contrahendam affinitatem requiritur copula perfecta, nec sufficit seminis distillatio intra pudoris fæminei claustra, & sufficit solius viri seminatio, ut vult communis. vide dicta *in casu 5. cum censura n. 3.*

4 Difficultatur tamen inter DD., an ad contrahendam affinitatem aliquando sufficiat pollutio infra, vel circa fæminę pudenda, si qua seminis pars intra secreta ejusdem genitalia, casu illabatur? Et itẽ si virile semen forinsecus à fœminea matrice intus attrahatur?

Negant Pontius *lib. 3. de matrim. cap. 23. n. 6.* & Mazzuch. *disp. 2. cap. 4. qu. 1. diff. 4. n. 20.* ob rationem n. antecedenti datam

At alii cum Sanch. *lib. 7. de matrimon. disp. 64. n.* 8. Till. *tract. 10. par. 2. num. 208.* Reg. *lib. 31. n. 147.* Bassæus *in floribus ver. matrimonium 7. n. 69.* docent sufficere; cum ex illo semine possit sequi generatio, & tunc proles non dicitur genita sine parentibus, sed *pater* dicitur ille, ex cujus semine attracto genita est, & mulier, quæ peperit, *mater*; ergo fieri non potest, ut hi duo sint genitores susceptæ prolis, & non contraxerint affinitatem cum consanguineis complicis. Sed vide dicenda *n. 12.*

5 Igitur probabiliter incurrit incestũ reservatum impubes, qui actum consummavit cum consanguinea, vel affine in secundo gradu (quia si consumet cum conjunctis in primo gradu, incurrit *casum quintum cum censura*) ex eo quia talis copula verè est perfectus *incestus*, & quidem ejusdẽ generis, Flor. Hom. Mazzuc. contra Graff. Bellochium, Lupum, & alios. Secus si non compleat.

6 Casu quoque probabiliter afficitur, qui scit, se committere incestum, etsi ignoret annexam reservationem. Cum ignorantia juris excuset. Tamen vide dicta *disp. 1. q. 3. cap. 4. n. 6.*

7 Idem decidunt de illo, qui putans se commiscere cum consanguinea, vel affine in tertio, vel quarto gradu, postea reperit esse in secundo conjunctam. Quia cõtrahit malitiam incestus, & gradum tantum ignorat. Tamen probabiliter contrarium docent alii cum Ianuario de cas. reserv. resol. 57. n. 2. & Mazzuch. c. 4. q. 3. n. 57. Quia non contrahit malitiam secũdi gradus reservati.

8 Excusatur (ut dictum est in casu 5. cum censura, *n.* 8.) qui inculpabiliter ignorat, esse consanguineam, vel affinem, illam, cum qua peccat. Quia sicuti excusatur a malitia incestus, utpote incognita, & involuntaria; ita a reservatione, quæ illi speciali malitiæ est annexa. Nam licet talis coitus ex natura operis sit incestuosus, non tamen ex intentione operantis ex qua humani actus speciem desumunt. vide etiam dicta disp. 1. q. 3. cap. 4. n. 7.

9 Idem est resolvendum de illo, qui in ebrietate, somno, vel amentia commisit incestum. Quia in dictis non adest voluntarium, & consequenter neque culpa, & reservatio.

10 Etsi in casu nõ excludatur feminæ non incidunt fæminæ consanguineę, quæ unã ad instar masculi supergrediente alterã, ita se polluunt, (pro pollutione mulierũ intelligitur hodie simplex motus oscillatorius oris uteri; sicuti pro semine earum vide cap. 10. n. 7.) ut fiat seminis commixtio. Cum tunc potius *sodomia*, quam *incestus* est dicenda talis actio, ut vult Graff. cum Tinellio, & Mazzuch.

11 Neque ligatur casu, qui peccat cum consanguinea in tertio, & primo gradu lineæ transversæ inæqualis distantiæ. Cũ tunc gradus computetur a remotiore, unde frater habens rem cum filia nepotis, non incidit in casum reservatum. Quia incestus sumit denominationem a gradu remotiore, nempe a tertio.

12 An verò ad incurrendum reservatum, ob copulam cum affine, sufficiat, si casu semen distillet intra vas fœmineum? Et probabiliter negativa pars est tenenda. Quia ad incurrendum reservatum incestum, requiritur copula perfecta, consummata intra vas mulieris, per seminis emissionem; non autem per extrinsecam defluxionem.

13 Non ligatur casu, qui commiscetur cum uxore fratris uxoris propriæ. Quia fœmina cognita, non cognoscentis, sed suæ ipsius uxoris est affinis. Affinitas autem non parit affinitatem.

14 Item statuendum de illo, qui ante consummationem matrimonii habet copulam cum uxoris consanguinea. Quia ex matrimonio rato nulla nascitur affinitas, sed publica honestas. Tamen quando consummat, ligatur, juxta dicenda n. 16.

15 Neque innodatur casu, qui se putas coire cum consanguinea in secundo gradu, reperit deinde, eam sibi tantum conjunctam in tertio. Quia incestus formaliter quidem, & affective esset in secundo gradu, sed materialiter, & effective in tertio.

16 Quamvis durum videatur, quod vir, qui post copulam incestuosam cum uxoris consanguinea in gradibus reservatis, innodetur casu, si rem habeat cum propria uxore. Quia tunc uxor efficitur viro affinis in eo gradu, quo fœmina à marito cognita, existit uxori consanguinea; Hæc autem, ut supponitur, existit in primo, vel in secundo gradu; ergo in eodem gradu existit affinis uxor marito. Secus dicendum si vir, suam, non uxoris consanguineam cognoscat, Cabrinus *de incestu*, & innumeri alii. Tamen oppositum etiam valde probabile est; Quia reservatio cum sit pænalis, & odiosa, restringenda est ad incestum undequaq; perfectum, qualis non est hic; cum non adsit malitia fornicationis Nec distus accessus est ita fornicarius, ut est ille inter solutos. Quartus *disp.3. de incestu*, & alii.

17 Qui coitum cum cachodæmone in forma consanguineæ primi, vel secundi gradus apparente habet, non efficitur casu, quia etsi in specie appareat consanguinea, revera talis non est.

CAPUT XV.

Casus decimus quintus sine censur. *Non solventes decimas servata forma præcepti.*

APOPHASIS.

1 *Quas pœnas incurrant non solventes decimas.*

2 *Quid sit decima?*

3 *Tria decimarum genera erant veteri in lege; decimæ, primitiæ, & oblationes. Quid sint primitiæ? quare fuerũt introductæ? & an hodie obligent?*

4 *Oblationes, quæ Ecclesiæ ministris ob honorem Dei fieri solent, in tres dividuntur species; & quæ illarum nunc obligent? ubi de quibusdam oblationibus, quæ alicubi adhuc sunt in usu.*

5 *Quatuor decimarum genera in veteri lege dabantur.*

6 *Decimæ, quas populus dabat Leviticæ Tribui, hodie tantum debentur; aliæ vero sunt tantũ voluntariæ, & in tres species dividuntur, nempe prædiales, personales, & mixtæ.*

7 *Agni, & fœtus animalium, quæ gregatim pascuntur inter decimas mixtas computantur.*

8 *Institutio decimarum, secundum determinationem partis exibendæ, emanavit a iure naturali: sed quod tanta pars, & non minus detur, hoc secundum quid dictat jus naturale.*

9 *Decimæ prædiales necessario ministris Ecclesiæ sunt solvendæ statim post collectos fructus.*

10 *Prædiales de jure communi sunt solvendæ illi Ecclesiæ, in cujus confinio sunt prædia. Personales autem debentur Parochiæ, ubi dantes audiunt divina, & percipiunt Sacramenta, si in illa habeant domicilium.*

11 *Qui habet domicilium in pluribus locis, tenetur decimam solvere ubi habet domicilium principale. At si in omnibus æqualiter habitet, tunc est dividenda, nisi aliter est. locorum consuetudo.*

12 *Decima deferri debet expensis villici, vel domini ad domum Ecclesiæ, vel Parochi, si talis sit consuetudo: & potest interdicere domino, ne fructus colligat, nisi eo, vel ejus nuncio præsentibus. Nec sunt dandæ deductis expensis.*

13 *In his partibus cuilibet Parocho cõstituta est quantitas decimæ, quæ in hac Diœcesi datur de frumento, & taxatur a Syndicis, vel a liis juxta consuetudinem loci, & statum personæ.*

14 *Ex decimis frumenti, quod a Parochis hujus Diœcesis accipitur ex jure communi, quarta pars vel minus, juxta usum cuiusque Parochiæ datur Episc.*

15 *Ubi decima datur in frumento, qui tenentur*

nentur eã solvere, non possunt cogi ad dandum frumentum melioris conditionis, quod fit in patria.

16 *Parochi pro decimis non solutis habent rei vindicationem, & nolentes solvere, ab Ecclesiastico iudice excommunicari debent.*

17 *Peccant graviter Ecclesiastici superiores, si Parochis instantibus, nolint cogere sub excommunicationis pœna nolentes solvere decimas.*

18 *Omnes personæ baptizatæ in spiritualibus subditæ, scilicet, quæ de manu sacerdotis sacramẽta suscipere debẽt, tenentur ad decimas persolvendas.*

19 *Religiosi iure communi, seclusis tamẽ privilegiis, ac contraria consuetudine, tenẽtur ad decimas. Hodie vero omnes religiosi utriusque sexus ex privilegio eximuntur.*

20 *Non ligantur casu clerici non solvẽtes decimas ex redditibus beneficiorũ.*

21 *Episcopi, & Parochi, etsi non sol ant obligari ad decimas solvendas, possunt tamen per Papam.*

22 *Pauperes existentes in gravi necessitate, sunt excepti a solutione decimarũ, donec ad secundam fortunam deveniãt.*

1 HAUD dubium est, subtrahentes, occupantes, retinentes, aut sibi appropriantes decimas, furtum sacrilegum committere, Trid. *sess.25. de ref. cap.12.* cuius decretum vide in Appendice Synodi, *pag. 68.* & nolentes solvere, cui iure debentur, nostra Synodus *de officio Paroch. cap.29. §.14. pag.258.* excommunicationis vinculo vult, eos obstringi debere; sicuti in cit. *Trid.* subtrahentes, aut impediẽtes, vult ut excõmunicẽtur, & nõ absolvãtur, nisi secuta plena restitutione. Et August. *serm.219. de tempore*, de illis habet: *Quia pie nos pascit omnipotens Deus, amplissime tribuit minus laboranti mercedem, sibi tantum decimam vindicans, nobis omnia condonavit. Ingrate fraudator, ac perfide, divina te voce convenio.* Et homil. 48. ait. *Maiores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cesari censum reddebant, modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci: Noluimus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.*

2 Decima, est omnium bonorum iuste aquisitorum pars debita Deo, sive in signum universalis dominii, sive pro remissione peccatorum, sive pro stipendio militum in Dei tabernaculo deservientium

3 Tria decimarum genera in veteri erant Lege, nempe *Decimæ*, *Primitiæ*, & *oblationes*. Primitiæ erant fructus primi anni terræ, vel pecorum, Domino offerẽdi, & pro ipso, Ecclesiæ ministris, *Exod.22* & 23. *vers.* 34. Fuerunt introductæ in signum rei iam factæ, nempe liberationis ab Ægypto per interfectionem primogenitorum, salvatis primogenitis Israel. vide Graff. *de d c.* Nunc autem nõ obligant nisi secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum, docet S. Th. 2.2. *q.86. art.4.* Ideoque plerisque in locis abolitæ sunt.

4 Oblationes vero, quæ Ecclesiæ ministris, ob honorem, & cultum Dei fieri solent, in tres dividuntur species. Una, quæ est donatio inter vivos Deo, vel Ecclesiæ facta. Secunda, facta causa mortis, quæ reducta est ad instar Legatorum. Tertia usualis, quam fideles faciunt ad altare, vel manus Sacerdotis. Prima non obligat cũ sit voluntaria. Secũda debetur: unde non solventes illam, sacrilegi dicuntur *12. q.2 c. nulli, & c. qui abstulerit, & 13. q.2. c. quæ oblationes.* Tertia, est voluntaria, & in consilio, non autem in præcepto, D. Th. *art.1. Exod.25. Matth.5.* Excipe nisi teneantur ex præcedenti conventione, promissione, necessitate, vel consuetudine approbata. *Conventio*, ut si concedatur alicui aliquis Ecclesiæ fundus, ut certis temporibus quasdam oblationes faciat, quod tamen habet rationem census. *Promissione*, ut cum aliquis inter vivos promittit, vel in testamento relinquit aliquid offerendũ Ecclesiæ, ut pro septimis, anniversariis &c. *Necessitat*, ut quando ex possessionibus, aut redditibus Ecclesiæ, non possit sacerdos sustentari, & tunc tenentur Parochiani (nisi sint pauperes) sacerdoti providere *Consuetudine* approbata, etiam fideles tenentur in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas, *cap. ad Apostolicam de simon.* Quæ oblationes sunt etiam voluntariæ quoad quantitatem, & speciem rei, quæ offertur. Quod autem sic offertur cedit Parocho: uti illa, quæ offerũtur in cappellis, aut ad sacras imagines intra Parochiam: nisi sit alicubi contrarius usus, *Laym. lib. tr.6. cap.7.*

Supradicta cõsuetudo offerendi aliquas

 obla-

oblationes ex usu in aliquibus solemnitatibus, vigebat in hac Parochiali Ecclesia S.Petri de *Scalambrice* hujus terrae *Roca Morfina*, in solemnitate *Circumcisionis*, vulgo dicta *La festa di Capo d'anno*, in qua, inter solemnia missarum, ante praefatium, antiquior, & primus ex tribus Rectoribus curatis, existentibus in dicta Parochia, qui canebat missam, versus ad populum ante altare, vel ex parte anteriori cancellorum altaris majoris, praebebat parochianis manus osculandas, qui proiciebant in sericam tobaleam (quae à duobus Clericis superpelliceo indutis tenebatur,) aereos nummos, juxta libertatem, & statum parochianorum. At ego circa annum 1725. in principio mei ingressus in *Rectoriam*, nolui amplius dictam consuetudinem frequentare; tum quia videbatur sapere turpem quaestum; tum quia, ex nostris redditibus, commodè sustentari valebamus.

Similiter usque modo est in usu, quod Parochiani in aliquibus Parochiis hujus Terrae, ex antiqua consuetudine, die 2. Novembris in anniversario omnium fidelium defunctorum, deferant panem, quatuor sextertiorum in circa, pro suis defunctis; quos panes accipiunt Parochi, qui pro dictis faciunt anniversarium. Sed etiam hanc consuetudinem, quasi ab omnibus Parochiis, ipsimet Parochi abstulere.

5 Quatuor in veteri Lege dabantur genera decimarum. Primum genus erat, quod populus dabat Leviticae Tribui; & sunt, quae hodie parochiani dant parochiali Ecclesiae; quia successerunt loco illorum. Secundum decimarum genus, quod ex illis receptis decimis a populo, Levitae dabant Sacerdotibus; & loco istarum, sunt partes, quas percipiunt Episcopi ab Ecclesiis parochialibus, 10.q.3.cap. *unio*; vel quae dantur Papae, vel alicui Principi Saeculari, de ejus mandato.

Tertium genus erat earum, quas unusquisque de populo Israel separabat ad Invitandum Sacerdotes; & loco illarum, sunt oblationes, quas multis in locis faciunt aliqui parochiani, qui singulis annis invitant sacerdotes ad anniversariū pro suis defunctis agendum. Quartum genus decimarum, illae, quas Parochiani recondebant pauperibus, seu reservabant ad usum pauperum; & modo loco istarum, dantur eleemosynae pauperibus, Gloss. in *cap. Ecclesias*, §. *is itaque*, 13. q. 1.

6 Hodie tamen, tantum primum decimarum genus debetur, aliae vero sunt voluntariae. Et species decimarum istius primi generis, nēpe quas populus dabat Leviticae Tribui, sunt tres, Praediales, Personales, & Mixtae. *Praediales* sunt, quae proveniunt ex ipsis praediis, ut triticum, vinum, fructus arborum, &c. *Personales* in rigore sunt, quae debentur ex opera personali, ut ex negotiatione, vel artificio, seu scientia, aut militia, venatione, &c. quae cum consistant in simplici labore, & industria, consuetudine iam abrogatae sūt. *Mixtae* sunt, quae partim praediales, partim personales sunt, quae proveniunt ex fructibus pecorum, concurrente personali industria; videlicet ex lacte, caseo, &c. pendūtur. Ideoque decimae personales, ex quibus solvitur decima, non consistit in simplici labore, & industria tantum, sed in rebus labore, & industria aquisitis.

7 An vero agni, & foetus aliorum animalium, quae in pascuis gregatim pascuntur, inter decimas animalium computentur?

Non conveniunt DD. Tamen multi tenent, quod sint mixtae, quia partim proveniunt a *praediis*; Cum ex eis animalia vivant: partim a personis, quae ea custodiunt. Igitur hoc verbum *decima* positum in definitione, comprehendit decimas *praediales*, *vel personales* aut *mixtas*, quas Parochiani dant Parochis.

Dantur etiam decimae *novalium*, & sūt quae percipiuntur de agris noviter ad culturam deductis; & ex Graff. *lib.3. de decimis cons.un.n.44.* tria requiruntur, ut terra dicatur *novalis*. 1. quod ager de novo ad culturam fit reductus. 2. quod de cultura non fit memoria. 3. quod de eo, ut inculto, modicum, vel nullum afferat fructū.

8 Decimarum institutio emanavit à iure naturali, secundum determinationē partis exibendę, puta, quia aliqua pars est exhibenda Deo, & ministris eius; dictat enim jus naturale, quod honoremus Deū de propria substantia, *Prov.3.* Sic patet de Abraham, & Jacob. Et ministranti spiritualia, debent temporalia ministrari, 1. *Chor. 2.* & *Luc.10.* *Dignus est operarius mercede sua.* Etiam ortum habent ex antiquo Testamento, *Gen.14.* & 28. *Exod.* 22. *Lev.* 27. *Num.* 28. Et de illis fuse tractat Petrus Le-

Leurenius, part. 1 *q.* 464. *& seqq.* sed quod tanta pars,& non minus detur, hoc *simpli. citer* non dictat jus naturale, sed *secundũ quid.*

9 Decimæ prædiales de jure Divino ministris Ecclesiæ necessario sunt solvẽdæ,& fructibus statim collectis, text. in c. *cum homines extra eodem*, hoc est quando frumentum est separatum a paleis, ex cõmuni consuetudine nostrorum temporum Pan. in c. *pervenit extra eodem*, Laym.&c Patet etiam ex c. *transmissa* 23. *de decimis* ubi habetur: *Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere , decimas erogare tenetur.*

10 Decimæ *prædiales* sunt solvendæ de jure communi illi Ecclesiæ, in qua sunt prędia, etiamsi non sit *matrix*, idest *baptismalis*. Personales vero dabantur illi Ecclesię parochiali, ubi dantes audiunt Divina,& recipiunt sacramenta; modo in illa Ecclesia habeatur domicilium, c. Ecclesias, 13. *q.* 1. *cap. cum homines,& cap. quoniam* eodem titulo.

11 Si vero quis habeat domicilium in pluribus locis, tunc illi Ecclesiæ solvet, ubi habet domicilium principale, arg. *C. ubi senat.* vel *Clar. l.* 2. At si in omnibus aqualiter habitet, tunc inter se divident, arg. text. in l. *assumptio, §. jurisprudentibus, ff. de municip.* Tamen indubitatum est, quod in solvendis decimis attenditur prius consuetudo, cap. *ab Apostolicę* in fine *de decimis*, Card. *conf.* 98. Et decimæ sunt dandæ juxta consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum Ecclesiæ; qui plura vult videre de *decimis*, videat cit. Graff. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. & Petrum *Leurenium* supra citatum.

12 Et probabiliter debent deferri expẽsis villici, seu domini usque ad domum Ecclesiæ, vel domum Ecclesiæ, vel Parochi & potissimum si talis sit consuetudo; (sicuti nos, nostris expensis facimus deferre decimam ad Episcopos spectantem) & potest interdicere Domino, ne fructus colligat, nisi eo, vel ejus nuncio præsentibus. Nec dandæ sunt deductis expensis, cit. Graff de *decimis*, n. 15. 16. & 17. text. cum *Gloss. in cap revertimini*, 16. *q.* 1. & ibi *Turrecremata* cum *Panor.* in dicto cap: *pervenit* . Et debentur statim, ac fructus sunt a solo separati, neque est opus, ut a Parocho petatur, Quia dies ipsa solutionis pro creditore interpellat. Tamẽ hic contrariũ servatur.

13 In qualibet Diœcesi, hodie istis subpartibus cuilibet Parocho est quantitas decimæ constituta; quæ in hac Diœcesi, tãtum in frumento datur,& a Syndicis, vel ab aliis, juxta locorum consuetudinem, taxatur pro qualitate,& bonis personæ . Et ubi sunt pauca focolaria,& decima est satis, communiter taxatur octava pars modii frumenti pro individuo , seu personag dummodo tamen sit capax Ss. Eucharistiæ Et ideo dicitur in casu: servata forma præcepti: Tamen prædicta decima non tota percipitur, partim ob paupertatem, partim quia nolunt , & quam dant malæ qualitatis,& mensuræ. Sed veh injuste retinentibus!

14 Ex his decimis frumenti, seu alterius rei, ex iure communi, c. *conquerente de officio ordinarii, C. de quarta de præscriptionibus*, c. *cum olim de censibus*, debetur quarta pars, vel minus , Episcopo (juxta cuiusque Parochiæ usum,& consuetudinem) uti primo Pastore , & Parocho Parochorum ; quæ Episcopi quarta , in hac Diœcesi, a Parochis defertur. Episcopo statim ac suus Epistates, seu procurator, certiores facit Parochos cuiusque oppidi, & Terræ Diœcesis , ut deferant frumentum ad palatium Episcopale,& bene cribratũ, bonæ mensuræ,& qualitatis, quod vulgo vocant *di semente.*

15 Sed apud omnes inconcussum est , quod frumentum pro decimis debeat esse bonæ qualitatis; tamen juxta qualitatem locorum,& communem usum illorum, qui tales decimas solvere debent. Et sic iniustum esset, si Parochi cogerentur ab Episcopis solvere triticum cribratum melioris mensuræ,& qualitatis, ac illius, quod accipiunt,& sit in patria,& ut singuli parochiani pro seipsis, in quantum possunt, purificant. Quia nemo tenetur ad dandam decimam frumenti exteri , aut melioris conditionis, quam quod fit in patria. Unde merito ex Abulensi in *C.*23. *Matth. q.* 207. habet Laym. *Tunc Decimam partem fructuum, seu proventuum, ad æqua nec minus, nec pejus offerri, quàm debeatur, si nõ de industria deteriora seligantur ad decimationem: Sed mediocria saltem, aut cum deterioribus meliora admisceantur*, Laym lib. 4. tr. 6. *de decimis*, cap. 1. n. 1.

16 Parochi pro decimis non solutis rei vindicationem, per officium Judicis, contra laicos agere possunt , ut docet Barb.

ia.

de offic.& poteft.Par.part.3.cap. 28. §.4. *n.6.* Et eas non folventes,excommunicari ab Epifcopo poffunt, & debent; text. *in cap.decima 16.q.1.c.pervenit,c.ad hæc,* c. *ex parte* 1. c. *tua nobis,* c. *fi aliquibus de decimis,*Clem.*difpendiofam,* 3.*de re iudic.*Aloyfius Riccius*in praxi,part.4.refol.* 500.& innumeri alii citati a Barb. §.3.*n.* 15.Graff. *n.27.* Et demum patenter declaratur a Trid.*feff.25.de ref.r.cap.* 12.

17 Ex quibus liquet, peccare graviter Ecclefiafticos fuperiores fi Parochi pro decimis non folutis recuperandis,ab ipfis petant, ut nolentes ea folvere cogantur fub pœna excommunicationis, & ipfi aut nolint,aut aliquid permittant accipi a Curialibus pro executione dictæ fententiæ; Imo etfi gratis, fi cum maximis precibus; Nam in l.nemo,C.*de thefaur.*dicitur *Precibus fruftra impetratur, quod iure communi conceditur*. Et potiffimum fi a talibus perterriti, potius eligant eas omnino amittere,quam tot laboribus,aut expenfis, recuperare.

18 Omnes perfonæ baptizatæ in fpiritualibus fubditæ,nempe quæ e manu Sacerdotis facramenta fufcipere debent, tenentur per fe,ac perfonali debito ad decimas perfolvĕdas:Quia decimæ dātur tāquā ftipendium pro fpirituali cura,& tenetur lucris,& proventibus,ut patet,cap.2.*de decimis*, ubi hæc habentur : *Illi profecto Clerici,qui a Clericis fpiritualiū minifteriorū labores accipiunt,decimas eis debent*

19 Etiam Religiofi, fpectato communi antiquo jure,& feclufis privilegiis,&contraria confuetudine,ad decimas tenentur conftat ex c.*multiplici*,c.*commiffum*, c.*ex parte de decimis*. Quia tales perfonæ etiam Parochis fubiectæ funt,nifi privilegio, vel confuetudine eximantur; ut eximuntur hodiè Religiofi utriufque fexus.Tamen ad decimas præftandas ex reali obligatione obligantur omnes cuiufcumque conditionis,Laym.*cap.* 3.

20 Non incurrunt refervatum Clerici qui non folvūt decimas ex Ecclefiaftici redditibus beneficiorum,quamvis teneātur,ex lucris,& redditibus fuis,temporali titulo acquifitis. Cum Pontifex velit redditus beneficiorum abfq; diminutione concedi;quod liquet Levitarum exemplo, qui Levitis decimas non præftabant.

21 Epifcopi,ac Parochi per fe,& debito perfonali non folent obligari ad decimas folvendas,etfi poffint per abfolutam poteftatem obligari a Papa,qui per fe, feu ex vi perfonæ nō poteft obligari ad decimas. Prima pars liquet; quia neque ex jure Ecclefiaftico, neque ex confuetudine,talis obligatio oftendi poteft.Secunda pars probatur;Quia in Epifcopis, ac Parochis adeft fubiectio erga fuum fuperiorem paftorem,propter quam ad decimas aftringi poffint.

22 Pauperes,qui gravi neceffitate premuntur, excufantur à folutione decimarum,atque ideo à refervatione, donec ad meliorem devenerint fortunam. Quia folutio debiti iufte contracti, differri poteft ob gravem neceffitatem; nec pia Ecclefia vult,ut cum tanto rigore, decimæ exigātur. Innumera alia, quæ poffent de *decimis* dici,omitto,cum poffint apud AA.videri, qui fere omnes de hac materia fusè, eruditèque tractant.

Nonnulla alia crimina, quæ quidem fub diverfis terminis iuxta Diœcesū ftylū refervari folēt,refolvi poffunt ex prædictis cafibus,infpectis tamen terminis, feu verbis refervatis; tum ut confulam brevitati; Tum etiam ne videar recoctā crābem recoquere,feu ab aliis dicta repetere Ideoque pro ipfis vide Cabrinū, & Graff. *in praxi*, qui de variarum Diæcesum refervatis agit.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De absolutione à casibus reservatis, & censuris ipsis annexis.

Agetur in hac tertia, & novissima disputatione, de modis tollendæ reservationis; quæ quia inter alios modos, evanescit absolutione, & hæc potest impendi, vel ab habente jurisdictionem ordinariam, vel delegatam; ideoque de utrisque agendum. Et ad extremum de facultatis cōcessione absolvendi à reservatis.

QUÆSTIO I.

De modis tollendæ Reservationis.

Quia Reservatio est actus jurisdictionis pœnalis, evanescit omnibus illis modis, quibus desinunt res à jurisdictione ortæ; ideo fit.

CAPUT UNICUM.

Quot modis Reservatio tollatur.

APOPHASIS.

1 *Reservatio tollitur revocatione, vel successione in jurisdictione.*

2 *Reservatio ab homine, & per edictum, tollitur morte, vel amoto ab officio reservante; secus, si sit facta per Synodum, vel constitutionem, seu à jure.*

3 *Quid sit Reservatio ab homine, & per edictum, seu preceptum, aut decretum.*

4 *Edictum aliud est Personale, aliud Locale.*

5 *Edictum quoad extensionem obligationis non differt à constitutione; & fuit institutum, ut facilior sit Episcopo gubernatio.*

6 *Reservatio ab homine desinit, si reservans, volens, vel nolens, jurisdictione privetur.*

7 *Non sufficit ad tollendam Reservationem excommunicatio per cedulonem.*

8 *Desinit etiam Reservatio, quando concurrit cum Divino præcepto, & non potest cum illo servari.*

9 *Demum omnis Reservatio evanescit absolutione.*

1 Primò tollitur Reservatio, revocatione facta ab eodem, vel ab alio alternantis auctoritatis Superiore, vel ab alio, qui reservanti successit in jurisdictione Episcopali, ex regula illa: *Quod res, ut fit, dissolvitur*. Et hoc valet etiamsi à Superiore confirmata, ad majorem splendorem, & favorem inferioris.

2 Extinguitur verò Reservatio ab homine, & per edictum, mortuo, vel amoto ab officio Reservante; quia non ultra se, extendit intentio, vel potestas Episcopi, Nav *cap. 27. n. 2.* Quaranta, *in summa Bullarii, verb. casus reserv.* Bellochius, Ciarlinus, Bord. Caram. Vingadht, &c. Non extinguitur verò si Reservatio sit facta per legem, Synodum, seu constitutionem: quia in eo casu Reservatio habet rationem legis. Unde meritò ab omnibus reicitur opinio *Prepositi, & Mazzucchelli* ajentium, legem reservantem Episcopali edicto latam, mortuo Episcopo non tolli. Quorum fundamentum est, quia Reservatio propriè non est pœna, sed negatio, seu limitatio jurisdictionis, quæ non censetur ampliari, neque restringi per mortem Episcopi; & id procedere, ajunt, tum quando est lata à jure, seu per Synodales constitutiones, quæ durant post mortem Episcopi, tum quando est lata ab homine, seu edicto Episcopali.

Dictam opinionem esse falsam, constat, tum ex dictis, *disp. 1.* tum etiam, quia lex reservans, ab homine lata, reservatur præcisè, & propriè reservanti, quæ vult ut dependeat à sua persona. Casus verò qui feruntur à jure, reservantur sedi Episcopali, saltem implicitè, & reperiuntur in eo inserti: Et ideo retinent suam vim, etiam post Episcopi mortem, Dian. Graf. Ugol. Lug. Trull. Piasecius, & alii.

Neque officit, quod reservatio, quia est *jurisdictionis negatio*, non restituitur per solam mortem Episcopi. Quia reservatio Episcopali edicto lata, est dispositio legis *ab homine*; quæ sua natura expirat post Episcopi mortem, sicuti expirat, in proposito casu, dispositio legis reservantis.

3 Est autem Reservatio ab homine, si superior reservet absque lege, & statuto, cum superior exprimat se ita reservare. Nam tunc exprimit, Reservationem pendere velle à sua persona, Grass. *lib. 2. cap.* 2. *n.* 11. Nald. ver. *cas. reser. n.* 10. ut quando reservat per edictum; quod idem valet, quod *præceptum*, seu *decretum*, ut notat Lexicon juris verbo *edictum*. Sic censuræ in decretis Visitationis Episcopalis, quia infliguntur per modum præcepti, ac decreti, & in tabulis particularibus Ecclesiarum Urbis, vel Diœcesis; ideo penitus, vim suã emittunt, mortuo, vel amoto conditore, ut nemo deinceps eas incurrere possit; quamvis si ante incurreret, iis innodatus maneat, donec absolvatur, Sair, Laym. *de censur. lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 2.

4 Edictum, seu præceptum duplex est Personale, & Locale. *Personale* dicitur, quod tendit ad personas. *Locale*, quod respicit locum, seu territorium. Edicta itaq; sunt præcepta localia, quæ per se, & directè respiciunt Diœcesim, eique sunt affixa atque ideo non obligant, ni existentes intra illam.

5 Edictum quoad extensionem obligationis, non differt à Constitutione, seu Statuto, quod obligat tantum subditos in Diœcesi existentes: Et edicta sunt instituta, ut facilior gubernatio sit Episcopo, dũ vivit, Ugol. *de Censuris*.

6 Tertio desinit Reservatio ab homine si reservans jurisdictione privetur volens, vel invitus, puta renunciatione, depositione, translatione ad aliud officium. Nam tunc eo ipso desinit esse superior loci; adeoque etiam factus Papa, desinit exercere subordinatam illam Episcopi jurisdictionem, à qua casus esse, ac conservari habebat; licet, ut Papa habeat majorem jurisdictionem.

7 Nec sufficit ad tollendam Reservationem excommunicatio per cedulonem, quia hæc non tollit, sed tantum suspendit jurisdictionem, quoad exercitium in futurum, *cap.* 1. *de supplenda negligentia Prælatorum*, Megala *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 16. Fabiena verbo: *excommunicatio*, *n.* 22.

8 Quartò evanescit Reservatio, quando concurrit cum Divino præcepto integritatis sigilli confessionis, & non potest cum illo simul servari, & semper ac concurrit divinum, & humanum præceptum, utrumque servandum, si possit. Si verò utrumque servari nequit, majus, ut est *Divinum* servandum. Hinc semper ac quis tenetur confiteri jure Divino, ut in periculo, & vel articulo mortis, vel quando alias decederet inabsolutus, & nequeat adire superiorem, urgente Divino præcepto Confessionis, & Charitatis erga seipsum, ne exponatur periculo damnationis Reservatio cessat. Quia præceptum nequit tolli nisi à Legislatore ejusdem, vel majoris potestatis; ergo nulla potestate humana, quæ est inferioris conditionis, valet tolli Divinum præceptum supremę jurisdictionis.

9 Demum cessat omnis Reservatio absolutione, quæ potest impendi, vel ab habente jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. De utrisque agendum est; Unde sit

QUÆSTIO II.

De iis, qui absolvere valent à Reservatis jure Ordinario.

QUia absolvens, ut absolvat, debet habere, vel ordinariam, vel delegatam jurisdictionem: *Ordinariam* habent omnes ex officio jurisdictionis potentes reservare, ut est summus Pontifex in toto Orbe, Legatus à latere in provincia legationis & quilibet Prælatus in suo territorio. *Delegata* iurisdictio, est quando à superiore habente ordinariam, committitur alicui inferiori, qui non habet facultatem absolvendi, ut absolvat à casibus reservatis pœnitentem. Ideirco primò de ordinaria secundo de delegata jurisdictione, erit sermo.

CAPUT I.

De Jurisdictione, & quinam absolvere valeãt Jurisdictione Ordinaria.

APOPHASIS

1 *Quid sit, & unde dicta Jurisdictio? quæ dividitur in Ordinariam, & Delegatam.*

2 *Insuper jurisdictio alia est contentiosa alia Voluntaria, ubi videri potest,*

unde,

unde dictæ sint?, & an possint exerceri extra proprium territorium?.

3 *Omnes habentes facultatem reservandi, habent jurisdictionem ordinariam ab illis absolvendi.*

4 *Eandem potestatem habent Successor reservantis, & capitulum sede vacante.*

5 *Item Archiepiscopi, non solum in sua, sed etiam in Diœcesi suffraganeorum, in aliquibus casibus, jurisdictionem ordinariam habent.*

6 *Quando Metropolitanus provinciam visitare potest?, & quid potest extra actum visitationis?*

7 *Hanc ordinariam potestatem habent etiam majores Pœnitentiarii.*

8 *Quid sit absolvere directè, & quid indirectè.*

1 JUrisdictio à jure dicendo, sive, ut docet *Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 5. de jurisdictione*, à sententia secundum æquitatem, jurisque regulas ferenda, tanquam præcipuæ potestatis officio dicta. Definitur, esse facultatem alicujus habentis publicam authoritatem, & eminentiam super alios ad eorum regimen, & gubernationem.

Jurisdictio, ut dictum est, dividitur in Ordinariam, & Delegatam. Ille habet Ordinariam, qui ex proprio munere, jurisdictionem exercet. Delegatus verò est, qui ex commissione facta sibi ab habente ordinariam, exercet.

2 Jurisdictio insuper alia est contensiosa, Voluntaria alia. Ad Contentiosam pertinet leges condere, præcipere, punire, causas, & controversias definire, &c. & dicitur *Contensiosa* à partium contennone. *Voluntaria*, est illa, quæ circa alia publicæ potestatis exercitia versatur, ut legitimare, dispensare, beneficia conferre, Sacramenta ministrare, &c. Dicitur *voluntaria*, quia non potest nisi in volentes exerceri, ad differentiam *contensiosæ*, quæ etiam in invitos exercetur. Et hæc non potest exerceri extra proprium territorium sine expresso, vel tacito Judicis proprii, & ipsarum partium litigantium cõsensu, cum ex *cap. 2. de constit. in 6. extra territorium jus dicenti, impunè non paretur*. Voluntaria verò extra proprium territorium valde, & plerumque licitè exercetur, V. G. dispensando in votis, juramẽtis Subditorum, assistendo eorum matrimoniis, absolvendo à censuris, peccatis, &c. Sed tamen privatim exercenda est, ne dicatur exercens invadere alienam jurisdictionem. Alias divisiones vide apud cit. Laym.

3 Quicumque reservandi casus potestatem habent, iidem, & Superior ipsorum (Quia inferior non potest limitare potestatem superioris) ordinariam habent jurisdictionem, & facultatem ab iis absolvendi. Tales sunt in primis, Pontifex in tota Ecclesia. 2. Episcopi in suis Diœcesibus, & cæteri Prælati, qui in utroque foro jurisdictionem quasi Episcopalem habent, quales sunt Abbates, quidem exempti, & Generales, & Provinciales Religionum, quoad sibi subditos regulares. Hi enim omnes potestatem ordinariam habẽt in sacramentali foro absolvendi ab omnibus reservatis, ut est Pontifex respectu quorumcumque Episcoporum, & Prælatorum; & Generalis alicujus Religionis respectu casuum reservatorum Provincialis, & Provincialis respectu reservatorũ Prioris, seu Guardiani Monasterii. Qui enim potest ligare, etiam solvere potest, *& res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur*.

4 Eandem facultatem ordinariam habet successor ejus, qui sibi reservavit, & Capitulum sede vacante, quod succedit Episcopo in sua jurisdictione ordinaria, licet non in dignitate, ita ut facultatem habeat absolvendi etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, si occulti sint, sicuti docet Abbas *in cap. cum olim de Major. & obed. qu. 5.* Rebuf. Suarez. Barbos.

5 Item Archiepiscopi potestatem ordinariam habent non solum in sua, sed etiã in Diœcesi suorum suffraganeorum; ideoque possunt absolvere subditos Episcoporum suffraganeorum ab omnibus reservatis, & etiam cum ipsis dispẽsare in Irregularitatibus occultis, in votis, juramentis, &c. *Avila Laym.* Sed tamen in sequentibus tantũ casibus. 1. cum Archiepiscopus Diœcesim suffraganei, jure sibi cõcedente, visitat. Quia tunc ratione officii jurisdictionem ordinariam in illos habet, atque exercet, & est illorum superior, ut docent communiter cum Sanch. Suar. Sair. Barb. 2. potest absolvere subditos suorum suffraganeorum quando ipsis subdũtur per viam appellationis, vel recursus, Nald. v. *Legatus, nu. 8*, Aversa *de Pænit.*

quaest. 14. sect. 3. Item potest absolvere cum suffraganeus injuste, & malitiosè absolutionem defert alicui ex suis subditis. Extra hos casus non potest subditos suorum Episcoporum suffraganeorum absolvere. Quia ipse est tantum Episcopus superior in dignitate, seu in ordine hierarchico, non tamen in foro Sacramenti pœnitentiæ, in quo non habet jurisdictionem.

6 Provinciam Metropolitanus tantum visitare potest, cum justa suadet causa in Concilio provinciali probata, & postquam Diœcesim suam plenè visitavit, Trid. *sess. 24. cap. 3.* Item potest extra actum visitationis absolvere suos Episcopos suffraganeos a casibus Bullæ cœnæ; & cum eisdem dispensare in irregularitatibus, votis, juramentis, &c. Si ad ipsum recurrant, ipsique subdantur, DD. & Barb. cit. *alleg. 39. num 19.*

7 Demum ordinariam habent facultatem absolvendi à reservatis Pœnitentiarii majores in Cathedralibus, ut infra dicetur. *cap. 5.*

8 Tales dicuntur absolvere directè, & per se, quia habent jurisdictionem super pœnitentem, etiam quoad reservata, quod est absolvere per se, & directè. Indirectè verò, & per accidens, dicitur sacerdos absolvere, quando nempe habet jurisdictionem super pœnitentem quoad non reservata, à quibus dum absolvitur directè, absolvitur per accidens, seu indirectè, & concomitanter etiam à reservatis; eo quod impossibile sit unum mortale remitti, altero remanente.

CAPUT II.

An Episcopi possint à reservatis Papæ occultis, etiam in Bulla Cœnæ, absolvere? Et an in aliquo casu, etiam à publicis in dicta Bulla reservatis?

APOPHASIS.

1 *Non possunt Episcopi, extra mortis articulum, absolvere subditos à casibus Bullæ cœnæ, etsi sint occulti.*

2 *At possunt ex facultate ipsis in jure Canonico concessa, in casibus tàm occultis, quam publicis, impeditos absolvere.*

3 *Quale sit impedimentum perpetuum, & quale temporale.*

4 *Quando datur impedimentum adeundi Episcopum, docent posse Confessarium simplicem, non solum à reservatis Episcopi, sed etiam Papæ absolvere.*

5 *Non tenetur pœnitens impeditus, ob Episcopo per epistolam, vel nuncium petere facultatem, ut absolvatur.*

6 *Possunt Episcopi, & alii Confessarii in variis aliis casibus, absolvere a reservatis Bullæ cœnæ, ac etiam ab hæresi.*

1 POssunt Episcopi ab occultis Papæ reservatis absolvere, exceptis illis Bullæ cœnæ, de quibus primitus controversum erat; tamen hanc controversiam sustulit Ss. Dominus noster Alexander 7. in generali Congregatione S. Romanæ, ac universalis inquisitionis die 18. Iulii 1659. quia damnavit hanc propositionem, quæ est tertia in ordine: *Sententia asserens Bullam cœnæ, solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogari facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est.* Igitur hodie non possunt Episcopi, nec ab hæreseos crimine, nec ab aliis casibus in Bulla cœnæ contentis, etsi sint omninò occulti, suos subditos absolvere, excepto articulo mortis, & cum oneribus infra dicendis, Viv. in dicta propositione *n. 4.* Quia per appositionem illius clausulæ generalis in Bulla cœnæ, nempe: *Non obstantibus cujusvis concilii decretis*, derogatum est facultati Trid. *sess. 24. cap. 6.*

2 Tamen per dictam Bullam non esse derogatum potestati, in jure canonico Episcopis concessæ, absolvendi ab omnibus casibus Papalibus, tam occultis, quam publicis, etiã Bullæ cœnæ, omnes impeditos adire Pontificem ob aliquod impedimentum perpetuum, sive longi temporis, docent communiter apud de Lugo *disp. 20. de Pœnit.* Quia alias reservatio esset in destructionem, & contra Charitatem, cit. Viv. *n. 5.* Nec Pontifex vult, nec potest ad impossibilia, & valde gravia obligare, Bon. *de cens. disp. 1. q. 3. pun. 2. n. 4.* Nav. *cap. ea noscitur, cap. mulieres, cap. quamvis, cap. de cætero de sent. excom. cap. eos qui de sent. excom. in 6. ubi cessante impedimento* temporali, debet se præsentari coram Pontifice.

3 Impedimentum perpetuum, ex Tab. *R. 2. in Decal. cap. 3. § 8.* dicitur, quod per-

perdurare potest per quinque, vel decem annos, quia tunc potest subesse periculũ mortis; Et in impeditis in perpetuum, datur absolutio sine onere se præsentandi. Impedimentum temporale dicitur, quoties non censetur adesse morale mortis periculum; ut si quis per unum, vel alterum diem deberet expectare absolventem; tamen tam modica expectatio non potest dici temporale impedimentum; atque ideo judicio prudentum judicandum est.

4 Et ob rationem, *n.* 2. dictam, docent quod sicuti potest Episcopus, in casibus, etiam publicis Bullæ cœnæ, quando datur impedimentum adeundi Pontificem; eodem modo potest Confessarius simplex, quando datur impedimentum adeundi Episcopum, tam à casibus Pontificii, quàm Episcopo reservatis, absolvere; ne pro dilatione immineat periculum animarum. Eadem enim ratio militat, ac de Episcopo, aliter ex Reservatione, quæ respicit salutem, sequeretur mors. Idem dicendum quando non patet accessus. Nec rigorosius Episcopalis, quàm Papalis reservatio obligat; & ut Papalis, ita Episcopalis, nõ est ad destructionem animarum. Vide dicenda *quæst.* 5. *cap.* 4. *n.* 1.

5 Nec tenetur, quamvis possit pænitens per epistolam, vel nuncium ab Episcopo petere facultatem, ut absolvatur. Quia textus, tantum obliget adire superiorem, non ad alias diligentias agendas. Neque obficit, quod aliqui legitimè impediti, etiam mittant ad curiam nuncium, aut scribant. Quia id faciunt, vel ob verecũdiam comparendi coram proprio loci ordinario, vel quia ad id se teneri putant.

6 Possunt etiam Episcopi, & alii Confessarii simplices absolvere à casibus Bullæ cœnæ, ac etiam ab hæresi. 1. si hæresis, vel alius casus reservatus, fuerit internus tantum. 2. si peccatum externum sit leve, quamvis internè grave. 3. in casu dubio. 4. quum invincibiliter quis ignorat excommunicationem illis annexam. At quando hæresis est externa, etsi sit occulta, non possunt Episcopi ab illa absolvere. Nam occulta, quando prodit in actus externos, adhuc cadit sub judicio Ecclesiæ.

CAPUT III.

Quinam censendi sunt habere justã causam, ratione cujus possint extra mortis articulum ab Episcopo à censura Papali absolvi?

APOPASIS.

1 *Possunt extra mortis articulum ab Episcopo à censura Papali absolvi laborantes longa ægritudine, etsi non sit periculosa; & senes sexagenarii.*

2 *Qui pubertatem nondum sunt assecuti, & pauperes.*

3 *Qui sunt in gravi periculo vitæ ob inimicitias, & fœminæ cujuscumque ætatis, & conditionis.*

4 *Claudi, & cæci, & servi, & filiifamilias, repugnantibus Dominis, vel parẽtibus.*

5 *Curatores animarum, & habentes temporale dominium, si illi sine præjudicio ovium commissarum, & hi sine detrimento subditorum, Papam adire nequeant.*

6 *Homines tam delicatæ complexionis, ut itineris incommoda ferre non possint, & qui judicio prudentum detinentur alio simili impedimento.*

7 *Omnes prædictos debent Episcopi absolvere cum onere se præsentandi; si impedimentum sit temporale; & prædicta impedimenta habent locum, etiã in censuris Bullæ cœnæ.*

8 *Supradictam facultatem aliqui extendunt ad alios inferiores confessarios.*

9 *Impeditus ire Romam, probabiliter non tenetur adire Nuncium, vel Legatum.*

10 *Probabiliter docent, quod pænitens potest absolvi ab inferiori confessario, si debeat necessario communicare ad vitandam infamiam, aut scandalum.*

11 *Episcopus, vel alius habens authoritatem Episcopalem, si in casum Papalem occultum incidat, potest à quocumque confessario sibi electo absolvi; quod extendunt etiam ad dispensationem.*

12 *Habens privilegium absolvendi ab omnibus reservatis Pontifici, non potest absolvere à casibus Bullæ cœnæ, & neque ab hæresi, etsi habeat casus in Bulla cœnæ.*

13 *Habentes facultatem absolvendi ab*

omnibus Papæ reservatis, non possunt absolvere à reservatis Ordinariis locorum, nisi fiat expressa mentio.

1 EXtra mortis articulum, possunt ab Episcopo à censura Papali absolvi, primò laborantes longa ægritudine, etiã si non sit periculosa, cap. *quod de his*, & c. *quamvis de sent. excomm.* Tamb. &c. Secũdo, qui in ætate senili sunt constituti; & senectus communiter contingit in anno sexagesimo.

2 Tertio qui pubertatem non dum sũt assecuti, hoc est, qui non dum decimumquartum annum complevere: quod verũ est, etiam si absolutio petatur tempore pubertatis, & censura sit contracta tempore impubertatis, cap. *Quamvis* cap. *pueris de sent. excomm.* Quarto, qui laborant paupertate, ita ut mendicare cogerentur, si curiam pro absolutione adire vellent, cõstat ex dictis, cap. *quod de his*, & *Quãvis*

3 Quinto qui graves inimicitias gerũt ita ut sine gravi periculo vitæ, itineri se committere non possunt, liquet ex cit. juribus. Sexto fæminæ cuiuscunque ætatis, ac conditionis, ob sexus fragilitatem, qualitatem, & conditionem, cap. *mulieres*, & cap. *quamvis eodem titulo*: quæ etiam a casu hæresis absolvi possunt, & multo magis moniales, tanquam personæ sedem Apostolicam adire non valentes, non obstante facultatis revocatione per bullam cęnę juxtà declarationem Alexand. VII. emanatam, die 2. Octobr. 1665.

4 Septimo, laborantes cæcitatis vitio, & claudi, ex cit. juribus. Octavo, qui subsunt alterius iuri, & voluntati, ut servi, filii familias, si ipsorum Domini, vel parentes repugnent, cap. *relat. de sent. excõ.*

5 Nono Animarum Curatores, vel temporale dominium habentes, si hi sine detrimento subditorum; illi sine præjudicio ovium sibi commissarum Papam adire nõ possunt, cap. *de cætero*, cap. *ne pro dilatione*, &c. Ex hoc capite excusantur etiam illi, qui habent curam administrandi familiam, ut sunt aliqui patres, qui soli totam familiam gubernare debent; illi, qui gerunt officium publicum, & illi, qui ob periculum scandali, vel infamiæ ad sedem Apostolicam accedere nequeunt.

6 Et demum, qui sunt adeo delicatæ, & debilis complexionis, ut itineris incommoda perferre non possint, cit. cap. *quamvis*, ut tradunt Diana, & alii, quos sequitur Barbos. *de offic. & potest. Episcop.* i, *alleg.* at. *n.* 7. Ac etiam quicumque alii detinentur simili impedimento accedendi ad sedem Apostolicam; quod judicio prudentis viri, est judicandum, Nav. Con. Sanch. &c.

7 Omnes prædictos, si forte censura Papali sint innodati, potest Episcopus absolvere; tamen cum conditione, quod si impedimentum sit perpetuum, absolvit sine onere se presentandi; secus si impedimentum sit temporale (Excipe mulieres, quæ dictum impedimentum perpetuum semper retinent) Sayr. Henr, Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 6. n. 2.* Bon. *de cens. disp. 1. quæst. 3 pun. 1. n. 15. Diana &c.*

Et prædicta relata impedimenta habent locum, etiam in censuris Bullæ cœnæ contentis. Quia, ut docent Ugol. Suar. & Thom. Delbene, Summi Pontifices in suis Bullis, censentur excipere casum necessitatis, & impotentiæ, ne quis ob eorũ reservationem exponatur periculo damnationis. Et quamvis in Bulla cœnæ exprimatur, quod reus non possit ab illis censuris absolvi, præterquam in mortis articulo; tamen benignè accipienda sunt verba illa, quæ semper excipere censentur casum magnæ difficultatis, moralisq; impotentiæ: sicuti intelliguntur excipere in aliis censuris extra Bullam Cęnæ reservatis, quamvis etiam in illis illa verba contineantur, Lugo, Sanch. Reginald. Homob. Bon. *de cens. disp. 1. qu. 3. pun. 1.* Et sicuti potest Episcopus in prædictis necessitatibus absolvere; ita eius Vicarius ex sua commissione, sine qua dubium est, an possit?

8 An autem hæc facultas possit extendi ad alios inferiores Confessarios? Suar. Tann. Delb. Ugol. &c. asserunt pœnitentem, qui ob impotentiam, vel magnã difficultatem, Papam adire non potest, à Parocho, vel alio confessario simplici absolvi posse, cum onere tamen comparẽdi coram Pontifice, sublato impedimento, si sit temporale. Alii verò cum Nav. Fel. Sanch. Sylv. Laym. *lib. 1. tract. 5.* par. 2. c. 2 *n. 5.* docent, non posse dictam facultatẽ extendi ad alios inferiores confessarios, Quia (ut ajunt) militat in omnibus eadem ratiõ, nempe difficultas adeundi Pontificem. Quare Doctores statuunt hanc regulam: *Casus, Papalis superveniente impedimento adeundi illum, fit Episcopalis.*

9 Sed rursum quæres, an impeditus ire Ro-

Romam pro absolutione casus Papalis, potens tamen adire nuncium, vel Legatū Apostolicum, ab Episcopo etiam possit absolvi? Affirmant supra relati DD. cum Suarez. Quia jura in signum specialis reverentiæ, & privilegii requirunt, ut pro absolutione casus Papalis, si ad eum aditus non pateat, casus devolvatur ad proprium ordinarium; & casus Papalis stricæ interpretationis debet esse, cum juri Episcoporū deroget. Non desunt tamen, qui contrarium docent cum Nav. Sanch. Conin. Lugo Bon. *de cens. disp. 1. quæst. 3. par. 2. n. 4.* Vide etiam, quæ ex Nav. docet Laym. *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 2.*

10 Similiter docent, quod potest pœnitens à confessario inferiori absolvi, si debeat necessariò communicare ad vitandam infamiā, aut scandalum, cum onere se præsentandi. Viv. in *dict. prop. 4. n. 7.* Quamvis contrarium sit valde probabile cum Vasq. Nav. Suar. *disp. 30. de Pænit. sectio 3.* & Bon.

11 Sed quæres modò, an Episcopus, vel alius habens auctoritatem Episcopalem, si incidat in casum occultum Papæ reservatum, possit à quocumque sibi electo absolvi, & dispensari, ut ipse potest in sibi subditos?

Affirmant Sajr. Henr. Ric. Sanch. Barb. *de potest. Episc. alleg. 34. n. 15.* Garz. *de benef. part. 2. cap. 10* & referunt, sic esse decisum à S. Cong. Con. teste Dicast. *n. 237.* qui *n. 27.* extendit non solum ad Penitentiarium, sed ad Episcopi Vicarium, Croix *lib. 6. p. 2. de ministro Pænit. n. 1633.* & 1687. Quia non debet esse deterioris conditionis, quàm sint eorum subditi. Idem dic de Prælato regulari, quia, ut docet Suar. *disp. 30. de pænit. sect. 2.* declaratum fuit à Sacra Cong. Card. his verbis: *si Episcopus in aliquod delictorū, de quibus in Trid. sess. 24. cap. 6. lapsus sit ad se absolvendum proprium Confessarium deputare potest cum eadem auctoritate, qua ipse posset ex eodem capite in suos subditos;* quæ declaratio in sola æquitate nititur, quia ut supra dictum est, non decet esse deterioris conditionis, quàm eorum subditi. Quod extendunt aliqui, etiam ad dispesationem, Sanch. Suar. Sayr. & Alexius *de cens. tom. 2. disp. 8. de suspensione cap. 4.*

12 Quæres denuò, an habens privilegium absolvendi ab omnibus reservatis Pontificiis, possit absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, & dato quod possit etiam ab illis in Bulla cœnæ, an possit à casu hæresis absolvere?

Ad utrumque dubium dico, non posse; patet ex reg. jur. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ non esset, quis verisimiliter concessurus in specie, si petiisset;* sed tales sunt casus, Bullæ Cœnæ, & hæreseos, ergo &c.

13 Ad extremum difficultatur, an habentes privilegium ab omnibus Papæ reservatis, possint etiam à reservatis Ordinarii loci absolvere?

Nullus prætextu cujusvis privilegii potest à casibus Episcopo reservatis absolvere, nisi in privilegio expressa fiat mentio casuum Episcopo reservatorum. Patet 1. ex *Bulla* Clem. 8. 9. Januarii 1601 2. ex decreto Cong. de mandato Pauli V. 2. Januarii. 1617. apud Tamb. *to. 2. disp. 13. n. 4. & 5.*

CAPUT IV.

De Vicario Episcopi, & ejus facultate circa casus reservatos.

APOPHASIS.

1. *Quid sit Episcopi Vicarius? qui duplex est specialis, & Generalis.*
2. *Vicarius Generalis triplex, scilicet alius in Pontificalibus, alius in spiritualibus, & alius in contensionis; & omnes hi tres habent jurisdictionem ordinariam.*
3. *Vicarius Generalis non potest mutare casus ab Episcopo reservatos.*
4. *Vicarius si in reservatum incidat, potest sicuti Episcopus alteri delegare facultatem, ut absolvatur.*
5. *Vicarius propriè non habet dignitatem.*
6. *Quando nam aliquis teneatur aliquid facere per seipsum, & quando possit per alium.*

1 Vicarius, est qui vicem alterius gerit, & generaliter duplex est specialis, & Generalis. Primus est, qui pro certis tantum locis Diæcesis, vices Episcopi gerit; talis est Vicarius Foraneus, qui foris, seu extra Civitatem aliqua gerit. Vicarius Generalis est, qui constituitur in tota Diæcesi ad aliqua, vice Episcopi gerenda.

2 Vicarius Generalis, alius est in *Pontificalibus*, qui ordinariè appellatur *suffraganeus*; Alius in *spiritualibus*, qui ordinariè venit nomine *Vicarii*, Alius in *Contensionis*, qui dicitur *officialis*, & est Præses Ecclesiastici judicii. Quæ pertinent ad singulorum officium, notat Ferdinandus Episcopus Coloniensis apud Croix *lib. 4. à n. 246.* Et omnes hi tres Vicarii Generales habent jurisdictionem ordinariam, ut clarè constat ex variis juribus, & Doctoribus,

quos

quos adducit cit. Croix n.248.

3 Vicarius Generalis non potest mutare casus ab Episcopo reservatos, Quia nihil potest in his, quae sibi competunt de jure speciali: Cum in his, opus sit mandato Episcopi speciali.

4. At an si dictus Vicarius in reservatū incidat (cum iuxta dicta Disp. 1. q. 4 cap. 2. n. 5. ligetur reservatione Episcopi, cuius vicem gerit) possit alteri confessario facultatem delegare, ut ab eo absolvatur?

Quamvis Graff. in Appendice ad decis. aur. lib. 3. cap. 8. n. 22. negativam sustineat sententiam, etiam de Priore, vel alio quocumque superiore, absolvendi a reservatis facultatem habente.

Affirmativa sententia utpote probabilior, & quae in praxi retinetur, tenenda est. tam pro Episcopi Vicario, quā pro quocūque alio superiore, non tantum absolvendi a peccatis, sed etiam subdelegandi facultate munito, posse nempe delegare facultatem alii confessario, & ab eo absolvi Quia facultas Vicarii est universalis, seu ad universalitatem causarum, & cum potestate subdelegandi sibi data: ergo ea uti potest etiam pro sua persona.

5 Nec Vicarius proprie habet dignitatem, cum deberet esse perpetua: nec expiraret per mortem Episcopi: sed improprie habet quādam praeeminentiam, non determinatam ad aliquam Ecclesiam, & coruscat radiis dignitatis Episcopi, quoad jurisdictionem, Benedictus Catra apud Graff de tēpor. Ordin. conf. 1. n. 4 Quid possit Vicarius Generalis, & de eius facultate, vide Croix de matrim. lib. 6. part. 3. n. 886. & 836.

6 Quandonam aliquis possit facere aliquid per alium, & quando teneatur facere per seipsum, aut industria persona censeatur requiri, fusè examinat Sperell. 106. ubi inter alia haec adnoto. 1. regulariter, quod potest quis per seipsū, potest etiā per procuratorem, nisi lex, vel canon aliter statuat l. 1. ff. de procurat. Hinc potest juramentum fidelitatis, si Dominus feudi cō. sentiat, fieri per alium habentem speciale mandatum: imo etiamsi in terminis requireretur proprium juramentum, posset per alium fieri: attamen testis non potest per alium jurare, cap. licet ex quadam de test. 2. requiritur, ut quis aliquid per se ipsum faciat in triplici negotio: vel ratione rei, uti in criminalibus: vel ratione personae, si actio ponenda, non conveniat alteri: vel quando electa est personalis industria personae, subdelegatio fieri non potest, l. a judice C. de judiciis, cap. ult. de offic. deleg. ut si dicatur: Personaliter exequaris, aut secundum alios cum Barb. si dicatur, super quo oneramus conscientiam tuam; si dirigeretur ad personam cognitam, & determinatam; & etiam probabiliter, si dicatur: De tua prudentia, & circumspectione plurimum confidentes: Haec proprio judicio cognoscas, & definias; ac etiam si dicatur: tu tu cognoscas: quia duplicatio denotat personam, sed quando in communi tantū aliquid committitur ratione officii, non censetur restringi ad hanc personā, quamvis remittatur prudentiae, & judicio illius &c. Quia, ut docet Aer. quando non in individuo, sed in communi tantum, aliquid committitur ratione officii, vel dignitatis alicui, non restringitur ad industriā personae, Croix de matrim. n. 492. & 104. vide etiam dicenda quaest. 4 cap. 3. n. 6.

CAPUT V.

De penitentiariis majoribus Cathedralium, & de eorum facultate circa Reservata.

APOPHASIS.

1 *De duplici Paenitentiarum genere, & eorum facultatibus, ac de Paenitentiariis Pontificis.*

2 *Tenetur episcopus constituere Paenitentiarum.*

3 *Paenitentiarius, qui modo fit per concursum, pot. st ab omnibus casibus Episcopo reservatis absolvere.*

4 *Etiam a censuris reservatis extra paenitentiae forum absolvere pot. dicit.*

5 *Aliud est forum conscientiae, aliud sacramenti Paenitentiae.*

6 *Paenitentiarius major, probabiliter potest suam facultatem delegare, sicuti quando est Delegatus ad universalitatem causarum.*

7 *Delegatus verò in casu speciali, & quando electa est industria personae, non potest subdelegare, nisi sit delegatus à supremo Principe.*

8 *Probabiliter Episcopo prohibente, Paenitentiarius adhuc subdelegare potest, si prohibitio sit sine clausula irritante.*

1 Duplex datur Paenitentiariorum genus; Alii in Cathedralibus constituti, qui Paenitentiarii majores appellātur, quibus conceditur facultas absolvendi à casibus & censuris reservatis, ut sit illis in privilegium

legium perpetuũ ratione dignitatis(Idem dicendum de Pænitentiario,seu confessario electo à Capitulo sede vacante) Alii sunt Pænitẽtiarii minores in Diæcesibus deputati,quibus ratione officii delegatur facultas absolvendi à casibus, & censuris reservatis pænitentes eorũ Vicariæ subjectos, qui alio nomine *Vicarii Foranei* solent appellari. Et hi possunt pœnitẽtes ad ipsos recurrentes extra Sacramentalẽ confessionem à censuris reservatis absolvere, quando tamen hanc facultatem ab Episcopis habent; Quia tantum peccata, non autem censura, sunt materia Sacramenti Pænitentiæ,D.Th.3.*par.q.84.art.* 2.Laym.*lib.5.tract.6.cap.*10.

Dantur etiam Pænitentiarii majores Papæ, ut docet. Graff. *de temporibus reservandorum, consil.*1.*n.*53. Alii dicuntur *Majores*, & alius dicitur *summus Pænitentiarius*, qui quasi Papalem habet potestatem, juxta summorum Pontificũ concessionẽ. Et hic cõstituit *Pænitẽtiarios majores*, & accipit Coadjutores sibi,prout vult, ut docet praxis,& stylus Curiæ Romanæ qui possunt absolvere juxta potestatẽ ab illo ipsis traditã;Sed pro potestate illius, & istorum,vide apud cit.*Graff.* Nam cum de his parum ad nos spectet,hæc pauca ad notitiam adnotavi.

3 Tenetur Episcopus, ex mandato summi Pontificis,constituere Pænitentiariũ, Sacr.Cong. apud Riccium *par.* 3.*praxis, resol.*8*t.n.*7., qui constituitur ad finẽ absolvendi à reservatis Episcopo,ut ita alleviantur pænitentes ad Sacramentũ pænitentiæ,Dian.*par.*9.*tract.*8.*resol.*12.Rota, in *una Neapol.* coram *Merlino* 5.*Julii.* 1631.

3 Pænitentiarius potest absolvere ab omnibus casibus Episcopo reservatis, & constat 1.ex Trid. *Sess.*24. *de refor. cap.*8. ubi declarat,debere Episcopũ constituere Pænitentiarium,qui sit magister,vel Doctor,aut Licentiatus in Theologia, aut jure Canonico, & annorum quadraginta si haberi possit, vel alias aptior pro qualitate loci. Et ex Concilio Romano celebrato sub Benedicto 13. anno jubilari 1725. conceditur per concursum, in quo debent interesse quatuor Examinatores, ut etiã in præbenda Theologali, sub pæna nullitatis;qui Pænitentiarius debet in foro conscientiæ absolvere;at si Pænitẽtiarius à reservatis absolvere nequiret, ad quid institutio Pænitentiarii?

Nec officit opinio Vgolini,& Barb. *al. l g.*66.*n.*22.qui volunt,nõ posse absolvere nisi in specie talis facultas ei concedatur allegantes declarationem aliam Congregationis, quæ non debet afferre admirationem,si circa eandem materiam duplex declaratio, una alteri contraria sit; Cum declarationum, varietas dependeat a casuum varietate, ob diversas fundationes statuta,consuetudines,& alias circumstãtias, quæ non semper sunt eadẽ in omnibus Ecclesiis. Et ut docent Doctores sententię affirmativæ,talis declaratio non est *authentica*;at si forte esset authentica,asserunt loqui non de Pænitentiario majori constituto cum præbenda; sed de aliis institutis ab Episcopo per Diæcesim, qui ad nutum Episcopi sunt amovibiles.

4. Circa absolutionem à censuris reservatis extra Sacramentũ Pænitentiæ, docent,etiam posse; Et quia facultas Pænitentiariorum majorum in Cathedralibus est ordinaria,adeoque ad utrumque forũ, conscientiæ nempe,& Pænitentiæ extendenda;privilegium enim eorum dignitatĩ annexum, latam interpretationem meretur;tum etiam quia censura, etsi culpam supponat, in se tamen culpa non est, sed pæna; & ut pœna ex natura sua non requirit absolutionem in Sacramento Pænitentiæ,neque ab ea dependet.Quod verum est etiam si delegata sit facultas absolvendi in confessione Sacramentali.

5. Sed pro majori claritate supradictorum, nota;aliud esse Conscientiæ forum, aliud Sacramenti Pænitentiæ. Conscientiæ forum est, in quo fit occultum animæ judicium,sed non sub Sacramentali sigillo, neque impenditur Sacramentalis, sed tantum judicialis absolutio; & quamvis aliquibus videntibus,detur absolutio,quoties tamen confertur sine testibus, & judicii forma,adhuc dicitur in foro conscientiæ impẽsa;ad distinctionem ejus absolutionis,quæ in foro externo datur, ut rectè docent Nav.Sanch.Av Con.&c.Forũ verò Pænitentiæ dicitur in quo sub Sacramentali sigillo fit peccatorum confessio, & impenditur Sacramentalis absolutio;Unde constat, quam longè à veritate deviet, qui opinatur, idem esse in foro conscientiæ tantum, & in foro Sacramenti Pænitentiæ. Quia per illa verba *in foro conscientiæ* significatur tantum, eam abso-

absolutionem nihil prodesse pro foro externo. Vide dicenda *quæst.6.cap.1.n.5.*

6 An verò Pœnitentiarius major possit dictam facultatem delegare?

Quamvis aliqui negent, Pœnitentiariũ posse delegare, adducentes decretum Congr. de quo Barb. ad *Trid. Sess.24.cap.8.n.* 28.& 29. Vgolinus verbo *Pœnitentiarius n.4.* Tamen posse delegare docent alii, ut constat ex Trid. id concedente, etiã Pœnitentiariis pro regularibus constitutis, dummodo tamen expressè ab Episcopo nõ prohibeatur, Homob. Zer. in *praxi Pœnitentiarii cap.8.* Aver. Dian. &c. Ratio est, quia Pœnitentiarius est veluti specialis Vicarius Ordinarii pro conscientiæ foro, & ideo ex vi officii, tamquam Ordinarius potest delegare. Et etiam quia, ut Vicarius Episcopalis pro foro externo; ita Pœnitentiarius debet, & potest pro aliqua causa, & in casu particulari, delegare: Cũ ipse dicatur Vicarius Episcopi in foro Sacramenti; Hostiensis de *offic. Vic. n.8.* Rebuff. Doctores in cap. *cum causa* verb. *delegatus de appell.*

Sic etiã quando est delegatus ad universalitatem causarum, qualis est potens judicare de genere censuræ, vel aliis causis pro omni tempore, vel loco, & pro aliquo tẽpore, & loco subdelegare potest, Ostien. in cap *finali de offic. ordinarii*, Sanch. *tom. 1. lib.3. de matrim disp.31. n.2.* & tunc sicuti Ordinarius, ita Delegatus subdelegare potest, *l.1.5. ab coff. qui & quibus*, Bass. Nald. Sylv. Kò &c.

7 Excipiunt tamen, si Pœnitentarius sit delegatus in aliquo casu speciali, quia tunc esset merè delegatus specialis, qui non potest subdelegare; quando tamen est delegatus à superiore inferiori, & maximè quando constituitur, & eligitur industria persona. Vide dicta *cap.4.n.6.* Secus dicendũ de delegato à Supremo Principe

8 An autem Episcopo prohibẽte, adhuc validè subdelegare possit, si prohibitio sit sine clausula irritante?

Affirmat Suarez *lib.3. disp.25.* asserens, matrimoniũ factum coram delegato à Parocho, vel subdelegato à delegato ad universalitatem causarum, quamvis Episcopus prohibuerit dare hãc licentiã, adhuc validè esse subdelegatum; sic à pari, in casu nostro, nisi sit electa industria persona.

CAPUT VI.

De Regularibus, & aliis privilegiatis.

APOPHASIS.

1 *Prælati Regulares nequidem suos subditos ab hæresi occulta, nec ab occultis Bullæ cœnæ absolvere possunt.*

2 *Nec possunt audire confessiones sæcularium sine approbatione ordinarii loci.*

2 *Non possunt Regulares, & alii, prætextu cujusvis privilegii, absolvere à censuris, & peccatis reservatis, nec in eorum Ecclesiis, etsi exemptis, sæculares. Nec approbati in una Diœcesi, possunt in alia audire sine approbatione ac licentia ordinarii, illius loci confessiones.*

4 *Nec possunt deferre pœnitentes extra territorium, ut illos absolvant.*

5 *Regulares non possunt absolvi à reservatis, aut eligere sibi confessarios.*

1 Prælati Regulares modò, ut docet, Viva in *prop. 4. damnata ab Alex. 7.n.2.* non possunt absolvere ab hæresi occulta ne quidem suos subditos, ut asserit Mendo in *Epitome* verbo *Prælatus regularis*, asserens decretum Cong. sub die 17. Novembris 1628. sicuti neque ab aliis casibus occultis in Bulla cœnæ, esto non sint tam arctioris reservationis, ut hæresis, docet Peyr. quia expressè fuit à Clem.8.& Vrb. 8. prohibitum Regularibus absolvere à casibus Bullæ cœnæ,

2 Nec possunt dicti Prælati audire sæcularium confessiones sine Episcopi approbatione. Quia *Trid.* de omnibus regularibus sine exceptione Prælatorum habet. *Non posse confessiones sæcularium audire sine approbatione Episcopi*; quia quamvis curam animarum habeant, non tamẽ propriè dicuntur habere parochiale beneficium. Unde nec possunt eligi tẽpore Jubilæi, Suarez *disp.28.* de *Pœnit. Sess.8.* & alii communiter.

3 Nec possunt regulares, & alii prætextu cujusvis privilegii absolvere à censuris, vel à peccatis Episcopo reservatis, sicuti neque Mendicantes. Patet ex decreto S. Cong. apud Josephum Cabrinũ, in *Elucidario casuum reservatorum pa.5. resol. 4.* & in *una. Neapol. 7. Settembris* 1646. Idque etsi regulares audiant cõfessiones sæcularium in Ecclesia propria exempta, ex

que

quo nota, quod antea nec in propriis Ecclesiis valebat audire confessiones secularium; licet per privilegium deinde id obtinuerint; quod quia contra jus commune erat, & valde præjudiciale, odiosum, & onerosum Episcopis, & Parochis; Ideo à sacra Cong. Univ. Inqu. 30. Januarii 165 . & 24. Septembris 1665. apud Pagn. *tom. 1. consultatione 29. n. 6.* fuit decretum, quod regulares approbati in una Diœcesi non possunt in alia audire confessiones, nec à reservatis absolvere, sine licentia Ordinarii illius loci, Viva in *prop. 12. cōfixa ab Alex. 7.*

4 Et ex constitutione Alex. 7. nec possunt secum deferre pænitentes, ut illos absolvant extra territoriū Episcopi, sine licētia ordinarii illius loci, ubi absolvit.

5 Nec juxta Arriagam *tom. 8. disput. 45. n. 18.* cum Lugone, Diana, & Leandro, & triginta aliis Doctoribus, valent absolvi à reservatis, vel eligere sibi confessarios, quod etiam declaravit Urb. 8. 8. Junii 1630.

CAPUT VII.

De pæna præsumentis absolvere a reservatis Papæ, vel Episcopi censuris.

APOPHASIS.

1 *Pæna præsumentis absolvere à reservatis Papæ, vel Episcopi, etsi prætextu alicujus privilegii, est excommunicatio Papæ reservata.*

2 *Dicta excommunicatio afficit etiam absolventes prætextu privilegiorum, & non e contra.*

3 *Talis excommunicatio probabiliter nō obligat regulares absolventes regulares.*

4 *Si dicta censura sit occulta, probabiliter potest Episcopus ab illa absolvere.*

5 *Incurrunt ipso iure excommunicationē Papalem, non solum proponentes casus reservatos, sed etiam dantes pro pecunia facultatem absolvendi.*

1 Pœna præsumentis absolvere à censuris Papæ, vel Episcopi durāte reservatione, est excōmunicatio ipso jure reservata Papæ. Liquet ex decreto Clementis 8. 1. *Januarii* 1601 & 26. *Novembris* 1602. & Urb. 8. 19. *Novembris* 1628. & talis excommunicatio afficit etiam præsumentes absolvere prætextu privilegiorū, Pinellus de *reser. cap. 6. n. 8.* Unde non afficit ignorantes crasse, sive ignorantia sit juris, sive facti, licet Diana velit, ignorātes crasse non excusari *par. 3. tract. 4. re. sol. 37.*

2 Afficit etiam dicta excommunicatio absolventes prætextu privilegiorum, ut absolvunt regulares, & alii privilegiati; & sic non cōprehendit simpliciter absolventes *non prætextu* alicujus privilegii. Nam dispositio pænalis, est restringenda ad significationem verborum, Camerota de *reser. cap. 8. n. 12.* Bon. *tom. 3. disp. 1. quæst. 22. pun. 3. n. 9.* contra Homobonum.

3 An verò talis excommunicatio obliget regulares absolvētes regulares à reservatis superioris regularis?

Negant Homob. & Aver. cum Diana *par. 3. tract. 2. resol. 13.* & *tract. 8. resol. 25.* Quia pænalis dispositio exprimens à reservatis Papæ absolventes, non debet extendi ad regulares non expressos.

4 Quæres demum, an si dicta censura sit occulta, possit Episcopus ab ipsa absolvere

Affirmant Riccius, Pinellus, Homob. & Peregrinus *par. 1. examinis tract. 5. par. 4. quæst. 15.* Patet ex Trid. *sess. 24. cap. 6. de reser.* Quia cum hæc sit dispositio legis, comprehendit etiam futura; quod non placet adversariis tenentibus, censuram istā latam post *Trid.* non posse ab Episcopo absolvi.

5. Excommunicationem Papalem latæ sententiæ incurrunt non solum proponētes casus reservatos, sed etiam illi, qui pro pecunia dant facultatem absolvendi. Vide Bon. *tom. 3. disp... Quæst. 9. punct. 5.*

QUÆSTIO III.

De Confessione dimidiata ob reservata ab habente Jurisdictionē Ordinariam.

Non Superiorum occupationem, negotiorum multitudinem, dolorem capitis, vel aliam corporis indispositionem, ut nonnulli opinati sunt præbere justam causā dimidiandi confessionem, credendum est. Quia Superior in tali casu posset vel reservationem auferre, vel facultatem absolvendi delegare Nec magnus pænitentium concursus est causa dimidiandi, ut constat ex *prop. 56. ab Inn. 11.* proscripta; ideo sit.

CAPUT I.

An possit Superior, auditis solis reservatis, ab iis sacramentaliter absolvere, mittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reservatis; & de causis dimidiandæ confessionis

APOPHASIS.

1 *Non potest Superior absque justa causa absolvere pœnitentem à reservatis, mittendo ad inferiorem pro non reservatis.*

2 *Quænam autem sit justa causa dimidiandæ confessionis, Doctores non conveniunt.*

3 *Quid agendum sit, si pœnitens nullum à confessario damnum timeat, sed tantum si ob solam reservationis legem, non absolvatur, trucidaretur, &c.*

4 *Pœnitens justè obtinens à Superiore absolutionem reservatorum, non tenetur quando confitetur non reservata inferiori confessario, iterum reservata confessa illi confiteri.*

5 *In supradicto casu, duplex recipit pœnitens Sacramentum.*

6 *Confessio nequit dimidiari, sed servanda est Lex Divina simul & humana, si utraque servari possit; & quando urget necessitas, servanda lex illa, quæ servari potest; & in concursu potius Divina, quam humana servanda est.*

1 Docent communiter cum Suar. Vasq. Valen. De Lugo, & Pont. *tom. 1. disp. 5. quæst. 7. num. 5. §. 3. n. 2.* superiorē non posse sine justa causa, auditis solis reservatis, ab iis Sacramentaliter absolvere, mittēdo pœnitentem ad inferiorem pro non reservatis. Quia integritas confessionis tam facienda à pœnitente, quàm audienda ab eo, qui fungitur officio confessarii, est de Jure Divino, ut definit Trid. *sess. 13. cap. 5.* in quo non potest dispensari sine justa causa. Et etiam quia seclusa reservatione, non potest superior in Sacramentali foro graviora tantū peccata audire, & pro levioribus mittere ad inferiorem. Reservatio enim superiori reservanti non tribuit majorem potestatē. Immo non est necesse, ut ipse absolvat, quia potest tollere reservationem, & mittere absolvendum ad inferiorem.

2 Quænam autem sit justa causa, ut superior possit Sacramentaliter absolvere à reservatis pœnitentem, & pro non reservatis mittere illum ad inferiorem confessarium?

Magna est inter Doctores altercatio. Quidam enim putant, justam & sufficientem causam esse, si nimirū desit Sacerdos, cui possit pœnitentem reservata habentē superior committere, & ex parte illius urgeat moralis necessitas confessionem nō differendi; Superior autem gravioribus occupetur; nec tale delictum, inferioris judicio committere judicet expedire. Idē dicunt quando pœnitens justam habeat causam integrè non confitendi.

Lambier putat, justā causam esse si pœnitens bona fide accedat nō satis examinatus, qui discedere statim debeat, neque possit ob multitudinem pœnitentium satis examinari à confessario. Quod verum videtur, si accedat impossibilitas integrè confitendi, quia aliter superior ageret cōtra proprietatē Sacramēti Pœnitentiæ, ex Christi institutione, & præcepto omnium mortalium confessionem postulantis.

Tamen necessitas dimidiandæ confessionis etiam est, si pœnitens teneatur cōfiteri, alias periturus, vel diffamandus, & non possit, quia periculum ab *ipso* confessario imminet; puta, quia franget sigillū, vel absoluta confessione pœnitentem occidat, aut aliud delictum cum pœnitente deliquente committat; tunc pœnitens potest confiteri, omissis illis, & etiam non reservatis, ex quibus tunc urgens imminet discrimen vitæ, famæ, bonorum &c.

3 Cæterum si ab ipso confessario pœnitens nullum damnum timeat, sed possit ei integrè confiteri, & tamen si ob solā legē reservationis non absolvatur trucidaretur, vel aliunde sibi aliud enorme damnū immineat; Tunc videndū est, an cum tanto onere lex Reservationis obliget, ita ut sit potius dicta lex servanda, quàm Divina integritatis; et si confessarius nolit absolvere ad servandam legem Reservationis, videndum, an à lege Charitatis ad id astringatur, ut consulat pœnitenti, alias magnam pressuram in vita, honore, fama, bonis, &c. patietur.

4 An pœnitens, qui ex justa causa obtinuit absolutionem reservatorum, deinde quando non reservata confitetur inferiori confessario, teneatur illi etiā reservata superiori confessa manifestare?

Probabiliter partem negativā, esse tenendam, docent non inferioris notæ Do-

Ctores

ctores. 1. quia peccata semel legitimè clavibus submissa, & directè remissa, nulla lege sunt iterum clavibus subicienda. 2. quia in omni alio casu, in quo pœnitens materialiter dimidiat confessionem, vel propter obliviont mortaliter non culpabilem, vel per aliam notabilem causam, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte ministri provenientem, non cogitur amplius confiteri illa, à quibus fuit per se, & simpliciter absolutus; & pœnitens coram Deo, & Ecclesia fuit directè per superiorem à reservatis absolutus.

Neque obstat, quod confessio peccatorum non sit integre eidem Sacerdoti facta, Quia in aliquo casu extraordinario, & per accidens (ut in eo, qui unum, aut plura peccata confiteri oblitus est) pluribus Sacerdotibus explicantur.

5 An verò in dicto casu pœnitens duplex recipiat Sacramentum?

Dicendum, duplex Sacramentum recipere; quia utraque confessio, tam reservatorum, quā non est integra formaliter; & in utrāque vera absolutio cadit. Ergo sicuti duplex constituitur confessio, & absolutio, ita duplex Sacramentum. Quia in utraque confessione cuncurrunt omnia ad constituendum Sacramentum requisita nempe sufficiens materia ex parte pœnitentis, & sufficiens jurisdictio ex parte absolventis, Vasq. Lug. Laym. Bon. de *Sacram. Pœnit. disp. 5. quæst. 7. pun. 5. 5. n. 4.*

6 Ex dictis sequitur, quod confessio nequit dimidiari, nequidē coram superiore; Sed servanda est lex Divina *integritatis* confessionis simul, & humana *Reservationis*; cum utraque servari possit, & in cōcursu potius Divina, quàm humana, servanda est.

CAPUT II.

An urgente necessitate confessionis, & deficiente confessario, qui possit à reservatis absolvere, possit dimidiari confessio, confitendo non reservata, omissis Reservatis?

APOPHASIS.

1 *Tres adsunt circa dictam difficultatem sententiæ Prima; affirmat esse omnia peccata confitenda.*

2 *Secunda, tenet tantum reservata esse fatenda.*

3 *Tertia demum opinio asserit pœnitentem posse communicare elicito prius actu contritionis.*

4 *Non potest absq; justa causa dimidiari confessio.*

1 AN in defectu confessarii, qui à reservatis possit absolvere, possit dimidiari confessio confitendo non reservata, omissis reservatis, si urgeat necessitas? In triplicem classem dividuntur Doctores. Aliqui enim cum Divo *Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. ad 2.* Gabr. Almainus, Palud. Med. Silv. Ang. Mar. Suar. & Bon. *de Pœnit. q. 4. punct. 5. 5. 3.* asserunt, omnia peccata esse confitenda, sed tantum absolutionem dandam a non reservatis; & sic indirecte pœnitens remaneret absolutus a reservatis confitendis deinde legitimo cōfessario.

Sed contra istam sententiam instant dicendo: Quod confessio jure Divino sit instituta in ordine ad absolutionem; ergo si nequeunt omnia absolvi, nihil est fatendum; si verò pars nequit absolvi, pars non est confitenda.

2 Alii autem cum Arriaga, Palao, Dian. Leand. Aver. Divo Antonino &c. docent, fatenda tantum non reservata, a quibus directe pœnitens absolvi valet, relictis reservatis, à quibus indirecti rectè absolvitur.

Et adversus istos, dicendum: Cur tunc non servandum potius præceptum Divinum integritatis confessionis, concurrens cum lege humana Reservationis, quod est majus, ut dictum est, *ca. antec. n. 6.* Quod autem præceptum integritatis confessionis sit Divinum, patet ex Trid. *sess. 14. c. 5. & can. 7.* & demum ex Flor. *sess. ult.*

3 Tertia demum opinio tenet, pœnitentem posse se cōmunicare elicito actu contritionis, omissa confessione, dummodò desit confessarius. Nam deest, qui ipsum absolvere valeat, cum præsenti nequeat confiteri integrè ob reservata, & nequeat dimidiare confessionem, urgente Divino precepto integritatis confessionis, ut patet ex citatis Conciliis.

Et hæc sententia etiā suas patitur difficultates; Quia præceptum præmittendæ confessionis ante communionē etiam Divinum est, ut docent communiter Doctores apud Leandrum *disp. 7. q. 12.* ac etiam Vasq. Arriaga, & Aversa; & probatur ex Trid. *sess. 13. cap. 7.* ex ex Apostolo 1. *ad Cor. 11.* ergo cur ut observetur præceptum humanum Reservationis, non ser-

vatur perceptum Divinum confessionis præmittendæ ante Eucharistiæ susceptionem.

Si dicas, id nasci, quia tunc deest confessarius, & ideo urgente necessitate potest quis præmissa contritione accedere ad communionem.

Denuo peto: Si deest ut servetur præceptum humanum Reservationis, cur non adest, ut revera adest, ut servetur præmittendæ confessionis preceptū. At quia hæc difficultas adhuc sub judice est, non audeo quidquam de ea discutere; ideo relinquo illam sapientioribus lectoribus discutiendam.

4 Ex dictis modò, & cap. ant. sequitur cum Adr., Silv. Lug. Conin. Suar. Vasq. Tamb. Aversa, Quarti, Fon. &c. non posse absque necessitate dimidiari confessionem. 1. quia, ut dictum est, integritas etiam materialis est de jure Divino; & sic sine causa non esse ei derogandum. 2. quia si esset verum contrarium, satis vilesceret reservatio; Nam semper absolveretur non adeundo superiorem habentem potestatem; ideoque absolveretur a simplici confessario directè a non reservatis, indirectè a reservatis, quæ confessio sufficeret pro recipienda Euharistia. 3 Quia si hoc modo posset simplex confessarius absolvere reservatione detentum, vana esset dispositio *Trid.* ubi a reservatis, in articulo mortis, tantum omnes Sacerdotes absolvere possunt, nam etiam extra mortis articulum directè sine causa, quilibet confessarius absolveret. 4. Quia semper ac potest, debet, ex dictis, servari lex humana, & Divina, si simul concurrant: sed in casu nostro potest servari Divina lex integritatis, & humana Reservationis; Ergo utraque servanda est. Minor patet, quia nulla adest causa non servandi utraque; & si qua esset magis Divina, quam humana servanda est. Quænam autem sit justa causa dimidiandæ confessionis dictū est *cap. ant. n.* 3.

QUÆSTIO IV.

De iis, qui absolvunt a reservatis jure Delegationis. Quia confessio facultatis absolvendi a reservatis potest variis personis a superiore habente ordinariam potestatem in illis concedi; Ideo agemus in hac quæstione De *Delegante, Delegato, & Delegatione*, diversis confessariis inferioribus concessa.

CAPUT I.

De Delegante potestatem circa reservata.

APOPHASIS.

1 *Quid sit Delegans.*

2. *Superior potest denegare facultatē absolvendi a reservatis, quando non est expediens. Si verò sit expediens, tenetur ex lege Charitatis concedere.*

3 *Peccant graviter superiores concedendo facultatem aliquibus in amicitia iunctis, prætermittēdo doctiores; sicuti in concessione beneficiorum prætermittendo digniores.*

4 *Episcopus, aut Vicarius non habent votum decisivum in concursibus, nisi examinatores fuerint pares in votis suis; secus si vota fuerint singularia.*

5. *Episcopus non potest prohibere curatis, ne accedant ad concursum.*

6 *In dubio, an expediat, vel sit licitū superiori concedere subdito facultatem confitendi alteri, standam est pro subdito.*

7 *Non potest superior licentiam negare, si penitētes magis impellantur in delinquendū ob difficultatem confitendi superiori.*

8 *Si difficultas penitentis proveniat ab intrinseco, ita ut grave malum timeat ob confessionem superiori factam, tenetur superior concedere facultatē; Secus quando difficultas est penitēti profutura.*

9 *Non potest superior denegare confessarium verè penitenti.*

10 *Nec potest penitens cogi, ut longo tēpore non confiteatur.*

11 *Quale sit longum tempus, dubium est inter Doctores.*

12 *Si superior iniustè denegat absolvere fo-*

pœnitentem, non ideo potest ab inferiori absolvi, nisi urgeret gravis necessitas; Sa us dicendum de Regularibus.

13 *Non sufficit ad absolvendum licentia petita, & non concessa.*

14 *An verò collatio iurisdictionis absolvendi à reservatis collata per metum sit valida, utrãque, ut probabile docēt.*

15 *Si licentia extorquetur per dolum, vel fraudem est valida; si dolus, fraus, aut error sit circa causam impulsivã; Secus si sit circa finalem.*

1 Delegans, seu potens jurisdictionē à reservatis delegare, est omnis habens potestatē ordinariam, scilicet, qui pot est ex officio jurisdictionis delegare, ut dictum est de absolvēte à reservatis jure ordinario *quæst.*2.

2 Superior potest denegare facultatem absolvendi à reservatis quādo non est expediens illam cōcedere. Quia nemo tenetur ad non expedientia. Immo quandoque erit expediens illam non concedere, si inde magis avertantur à delinquendo; Quia tunc usus jurisdictionis est in ædificationem, ut loquitur *Trid.* Nav. in *c. placuit de Pænit. dist.*5. Quando vero facultas absolvendi à reservatis hic & nunc est expediens, tenetur ex lege Charitatis dare. Quia aliter non esset in ædificationem, sed ad damnum Ecclesiæ, contra *Trid.* & maxime si licentia petatur à confessario, qui debet eam petere, non nominato pœnitēte, nec indicato casu, ne pænitens extra confessionem prodatur Tunc enim expedit ut superior annuat petitioni, & fidei prudentiæ confessarii, qui statum animæ pænitentis melius novit, quàm superior.

3 Aliter injustè agerent superiores citam licentiā negando confessariis, & maximè doctioribus, quando est expediens; & eò magis si illam concedant confessariis amicitia conjunctis, qui sint minus docti, & sit expediens, prætermittentes eos, qui doctrinā, vitā, & moribus cōmendati existūt; sicuti si ad beneficia curata eligant minus dignos, prætermissis dignioribus, contra mentem *Trid.* & non obstante *propos.*47. *proscripta ab Inn.* XI. quæ electio, cum non pertineat ad hunc tractatū, transeunter aliqua tangam de illa, ut si fortè, quod non credo, sint aliqui superiores, qui hoc agant, videant, quàm scandalizēt, & aberrent à justitia distributiva, & commutativa, contra quos S. Thom. *quæst.*185, *art.*3. in *Op.* adducit sequentia D. Hieronymi verba: *Quidam non quærunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus e g. ofcunt Ecclesiæ prodesse, sed quos plus, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus majorum quispiam r gaverit (& ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent muneribus impetrarunt; hæc autem pertinet ad acceptionem personarum, quod in talibus est grave peccatum.*

Unde certum est 1. quod qui ad beneficium curatum promovent minus dignum, prætermisso digniore, peccant mortaliter, ut docent. S Th. Gutt. Barb. Rebel. Less. Gar. Castr Luca, & Petrus Leurenius *par.* 1. q. 211. qui de hac materia fusè scripsit, anno 1703. Ratio est quia Trid. *Sess.* 24. *cap.*1. & 18. graviter id præcipit; & *propos.* damnata ab *Inn.* XI. intelligitur etiam de beneficiis curatis, quando fit concursus. Viv. in dicta *propositione n.* 9.2. quia sic videtur declarare Inn. 3. c. un. qui loquēs de beneficio simplici dicit: *Discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium, & beneficiū in persona magis idonea dispensare*

Tertio. Quia hoc esset acceptio personarum in re gravi, quod est vitium, quo id, quod ex debito justitiæ conferendum est uni personæ, confertur alteri. Et etiam quia in electione ad officia, & dignitates illi sunt præferendi, qui virtuosi sunt; ideo inquirendum non solum de vita, sed potissimum de doctrina; licet vita sine doctrina, inutilem faciat; & è converso doctrina sine vita arrogantem reddit. Quia finis primarius instituendi beneficia fuit major cultus Dei, & majus bonum Ecclesiæ: Finis autē secundarius, fuit remuneratio benemeritorum, ut cum aliis docuit Card. *n.*7. Sed si excludātur digniores, uterque hic finis impeditur, qui omnino magni momenti est. Ergo &c. vide cit. Trid. *Sess.*24. *de refor. cap.*1.

Quinto. Quia excludens digniorem fecit contra fidelitatem debitam ex officio. Ecclesia enim commisit huic, vel illi potestatem providendi de beneficio, ea tantum conditione, ut utatur tanquè fideli dispensator secundum fines ab Ecclesia in electione beneficiorum, intentos; & hi finis est aliquid in se grave; violare aut fidem ex officio debitam, in re gravi, est mortale, ut docet Fill. *n.*178. Ergo &c. Atque ideo, ut docet Croix *lib.*4. *de benef. Eccl. §.*7. *n.*629. & communiter omnes cu

Lugo *disp.8.n.107.* & Castrop. *disp.2.n.5.* qui cum multis addit §.3.n.2. tale provisione ipso iure esse irritā, quamvis Garz. Lott. Lug. *disp.35.n.* Leur. *quaest.19.* probabilius esse irritandam. Et idem Croix loc. cit. §.18.*n.628.* docet, quod post concursum adest obligatio de iustitia dandi beneficium illi, qui adiudicatus est dignior, et si non fiat, debetur huic restitutio, seu compensatio damnorum, Mol. Gutt. Vasq. Less. Fernand. Rodr. Nav. & Castrop. §.4.*n.6.* Ratio est quia dignior habet ius ex lege ut ait Nav. cum Less. *n.72.* & etiam quia hic intervenit quasi cōtractus inter illos, qui indicunt concursum, & qui concurrunt, adeoque tenentur dare praevalenti, cum tunc intercedat contractus innominatus: Facio ut des; Si ille me, ut conferas, si praevaluero; aliter everteretur ratio concursus.

Confirmatur; Nam si concursus fieret sub promissione eligendi digniorem, ut certum est, evidens est, inquit Castrop. tum fore ex iustitia obligationem illi cōferendi; Atqui hoc ipso, quod indicitur concursus, sēper aequivalenter fit promissio conferendi digniori, sicut aequivalenter fit promissio non conferendi alteri extra concursum, ut fatentur omnes cum Gar. *par.7. cap.16. n.58.* Ergo &c. Accedit, quod S. Pius V. concedat ius appellandi ab iniqua electione minus digni; Ergo fit cōtra ius, & est iniuria respectu dignioris.

4 Demum obiter hic noto primò cum Barb. in *collectanea Bullarum* verbo *Episcopus*, quod Episcopus, aut Vicarius in concursibus, votum decisivum non habet, nisi examinatores fuerint pares in votis. Nam si plures examinati obtinuerunt vota paria ab examinatoribus, accedēte Episcopo, vel Vicario unitis erit approbatus. Secus si vota fuerint singularia; sicuti etiā quando examinati; licet accedente voto Episcopi, vel Vicarii, non habuerunt ultra dimidiam votorum partem.

5 Noto secundo, Episcopum non posse prohibere Curatis ne accedant ad concursum aliarum Parochiarum, ut Episcopo Civitatis Castelli rescripsit S. Congr. Con. negotiis Episcoporum, & Regul. die 26. Augusti 1591, Barb. *de offic. & potest. Parochi par.1. cap.2. n.48.* Sed redeamus ad nostram semitam.

6 In dubio autem, an expediat, vel licitum sit Superiori concedere subdito facultatem confitendi alteri, docet Delugo *disp.20.n.236.* apud Croix *de minist. Poenitent. lib.6. par.2. n.1666.* tenendum esse pro subdito, adducunt sequentia D. Thomae verba: *Praelati, qui sunt nimis solliciti, ut conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis.*

7 Nec potest licentiam denegare, si pœnitētes sentientes difficultatem nimiam confitendi Superiori, magis impellatur in delinquendū. Quia non esset opitulari saluti fidelium, sed devastare pietatem, quādo non est expediens denegare licentiam absolvendi. Unde meritò S. Cong. ut alibi diximus, voluit, ab Episcopo esse constituendum Pœnitentiarium pro reservatis, maximè in solemnitatibus, ut facilitate absolutionis alliciantur fideles, non autem exterreantur à confitendo, Riccius *par.3. praxis resol* 81.n.7.

8 Ideoque quam bene Cabrinus *part.1. resol.71.* cum Dian. Till. Cor. Bas. &c. distinguit, quod si difficultas pœnitētis proveniat ab intrinseco, ut si pœnitens tali confessione meritò grave damnū, vel nocumentum timeat sibi ab ipsomet Superiore inferendum, vel alias non sit idoneus ad ferendum iudicium in tali causa, vel quia sit ignarus, aut improbus; tunc Superior ex iustitia tenetur facultatem concedere: Quia non potest iustè cogere, pœnitentem, ut gravis alicuius incomodi, sive nocumenti periculo se exponat. Idem docent Suar. *disp.30. sect.4. n.3.* Regin. Coninc. Quia iurisdictio non est data Superiori propter authoritatem, vel utilitatē eius, sed propter bonum ipsius pœnitentis; ergo quoties pœnitens non vult confiteri ob aliquam causam, vel etiam ob solam voluntatem ortam ex intrinseca difficultate confessionis, tenetur superior facultatem concedere; Aliter peccaret graviter superior denegans sine iusta causa licentiam; Unde S. Th. *in suppl. q. 2. art. 4. ad 6.* habet. *Peccaret Sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licētiam alteri confitendi: Quia sunt multi adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur.*

Si enim difficultas procedat ex erubescentia, quae probabiliter sit pœnitenti profutura, tanquam frænum, quo à peccato retrahatur; vel si talis concessio, sit occasio scandali, vel recidivę; tunc Superior

non

non tenetur facultatem pœnitenti, per se, vel per alium ab ipso petenti concedere.

9 Nec potest superior denegare Confessarium verè pœnitenti; quia debet se conformare Divinæ voluntati volenti, *omnes homines salvos fieri*, & continuo postulanti, ut convertantur. Et à Deo est, ut quis petat absolutionem; & ideo Dei voluntati resisteret, qui absolutionem negaret vere pœnitenti; ergo multo magis denegans Confessarium. Unde tunc Ecclesiam supplere defectum negligentis Prælati, vel tyrannidem exercentis, habet Caramuel *fundam. n.* 3175. Et ideo optimè sancitum, impeditos superiorem adire, volentes converti, absolvi posse ab illo superiore, quem adire possunt, cum onere comparendi, remoto impedimento, *cap. eo nos itur, cap. Quamvis, cap. de cætero de sent. excom.* &c. Suar. Sanch. & Eonac. *disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 5. *n.* 11.

10 Similiter non potest quis cogi ut longo tempore non confiteatur; quia hoc esset velle non converti ad Deum, & labi in deteriora, ob onus ipsorum peccatorum, contra Divinam voluntatem volentem peccatores statim resipiscere, nec differendum de die in diem; Ad hoc enim est Sacramentum Pœnitentiæ institutum, ut volens converti, habeat à quo absolvatur: ideoque si quis sit impeditus pro aliquo tempore adire Superiorem, nõ potest cogi, ut non confiteatur usque dum tollatur impedimentum; & maxime si longo tempore perduret; sed debet ei dari confessarius, quem possit adire, quia dare illum, quem adire nequit, pœnitens est non dare, & velle impossibile, Caram. *fund. n.* 3173.

11 Quale autem sit longum tempus? Hur. 2. 2. *disp.* 88. §. 190 Caram. *fund. n.* 3174 nimis rigide, longum tempus, non solum dicunt, quod sit una dies, aut nox, sed etiam una hora. Quia in illis potest homo decedere, ideoque non debet cogi hærere in crastinum. Nam hodie Deus vult illum converti, & potest esse, ut in crastinum mutetur voluntas pœnitentis, ideo ei succurrendum est hodie, ut habetur *ps.* 101. *In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me*; nec est animæ in crastinum pœnitentiam prorogãda, *Luc.* 12. ibi. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*, D. Aug. *to.* 4. *cap.* 12. & *tom.* 20. *homilia* 48.

Oppositum tamen probabilius tenendũ cum Dian. *par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 4. & Gobat *experim. tract.* 7. *n.* 382. Quia aliter etiam quadrans, seu instans esset gravis mora, cum in omni quadrante, & instanti posset homo decedere, quod nullatenus est admittendum; sed potius judicio prudentum pensatis circumstantiis, & statu personæ, judicandum est.

12 Si superior injuste deneget absolvere pœnitentem, aut, ut à Confessario inferiori absolvatur, an tunc possit ab inferiori absolvi?

Affirmarunt aliqui cum Syl. Nav. Fol. Fag. tum quia pœnitens censetur sufficienter superiori se præsentare. Tum etiam quia sic jure petita licentia, præsumitur jure concessa, ex tacita commissione majoris Prælati. 5. Et defectus superioris negantis; ajunt suppleri à summo Pontifice, sive à jure Ecclesiastico Universali, ita ut saltem tollatur reservatio, & consequenter à quolibet Confessario potest absolvi. Idem dicunt Henr. Rodr. Dian. Avers. & c apud Bussemb. *lib.* 6. *Med. tract.* 3. *cap.* 2. *nu.* 4. Quorum ratio est, quia potestas jurisdictionis, est ad usum, non ad abusum, tunc enim cessat finis reservationis, qui ex Tr est in *ædificationem*, non ad *destructionem* boni Ecclesiæ.

At hoc est verum de Regularibus. Nam Clemens 8. 29. Maii 1693. decrevit, quod Superiores regularium non possint reservare alios casus præter ibi annotatos, & quod Superiores in singulis comitiis deputent duos, tres, aut pluries Confessarios pro numero subditorum, qui à reservatis absolvant; quod decretum postea fuit cõfirmatum ab Urb. 8. 21. Septembris 1724. addente sequentia: *Sanctitas sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi regularium casus alicujus reservati facultatem petentibus, superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes regulares etiam non obtenta à Superiore facultate absolvere*, Felix Potestas *tom.* 1. *à num.* 3301. Dian. Aver.

Verum negativa sententia utpote communior, est amplectenda: probatur hoc enthimemate: Superior, vel justè denegat pœnitentem absolvere, aut facultatem alteri committere, vel injustè. Si justè V. G. quia pœnitens non præsumitur recte dispositus: vel quia recidivi occasionem non vult deferere, aut debitam cautionem

pra-

præstare, & tunc certum, & planum est, Reservationem non tolli. Si verò injustè, ut in casu præsenti neget pœnitenti absolutionem, aut facultatem ut alteri confiteatur, tunc nisi urgeret gravis necessitas, non potest ab inferiori Confessario absolvi. Cum Reservatio nihil aliud sit, quod jurisdictionis negatio, quæ adhuc perdurat. Idem ut certum docent Tamb. *lib. 5. de pœnit. cap. 4. §. 9. n. 6.* Layman. cum Lugone apud cit. Bussemb. Quia tunc potest adiri Superior reservans, nec licet à reservatis extra mortis periculum, absolvere, Pon. *de Sacram. Pœnit. disp. 5. quæst. 7. sect. 5. pun. 5. §. 2. n. 20.*

13 Unde resolves, nō satis esse ad absolvendum licentia petita, & non concessa, ut patet ex decr. S. Cong. in una *Neapol.* 7. Settembris 1646. ubi oppositum nequit publicè doceri, nec practicari sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus.

Neque officit, quod dicit Glossa in *Clem. dudum §. si vero de sepulturis*, nempe quod quando Prælatus negat licentiam, tunc debet peti usque tertio ad idem, cap. *omnes decimæ 16. q. 17.* cap. *sacro*, cap. *constitutionem de sent. excomm.* Etenim ut per monitionē convincitur contumacia subditi, sic per trinam requisitionem convincitur duritia, seu pertinacia Prælati. Debet tamen esse intervallum inter primam secundam, & tertiam, ne videatur superbè cū Prælato agere Jo: And. Gemin. & alii. Si verò audacter, & pensatè dixerit, se *nolle concedere*; tunc sufficit semel petisse; Quia in manifestis nō est opus conjecturis, Jacobus Graff. de *cas. reser. lib. 1. append. aur. cap. 7. n. 38.* & 39. Quod si Prælatus malitiosè se absentet, ut non det licētiam, tunc sufficit requirere præsentiam Prælati in loco debito, & protestari, arg. text. in *cap. cupientes §. quod si per viginti de elect.* in 6. Vide cit. Graff. *n. 40.*

Nam, cum Trid. mortis articulum excipiat, firmat regulā de non exceptis; & cōsequenter quando extra mortis articulū impeditur absolutio à reservatis, à quibus non potest, absolutio est nulla.

14 Petes an collatio jurisdictionis absolvendi à reservatis per metum gravem collata, valida sit?

Collationem jurisdictionis per metum gravē collatam, validam, esse, docet Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 39. n. 13.* Castrop. & alii. Quia gesta per metum sunt absolutè voluntaria, licet indirectè dicantur involuntaria; Sed Pontius cum aliis cit. à Tamb. *lib. 5. de Pœnit. cap. 4. §. 5. n. 2.* negat. Quia concessio jurisdictionis est quædam donatio, quæ quando est meticulosa, invalida quoque est, ut idem Tamb. *cap. 4.* docet, adeoque etiam invalida erit confessio & absolutio, sicuti absolutio ab excommunicatione, suspensione, & interdicto per metum data.

15 Sed quid si dicta licentia extorqueatur per dolum, vel fraudem V. G. per fictā commendationem Principis?

Cit. Tab. *n. 4.* etiā putat esse validā. Quia habet ipse, *talis commendatio non est causa finalis, sed impulsiva, ut supponitur; Secus si dolus, aut error sit circa causam finalem, vel aliquid substātiale, ut si Episcopo submittatur unus pro alio, tunc prorsus est invalida.*

CAPUT II.

De Delegato.

APOPHASIS.

1 *Quid sit Delegatus?*

2 *In delegato, ut possit absolvere a reservatis, requiritur expressa superioris licentia, quæ debet esse Delegato nota.*

3 *Confessarius, non tenetur dictam licentiam patere.*

4 *Obtinens licentiam absolvendi a reservatis, tenetur in conscientia dispositum pœnitentem absolvere; si pacto se obligavit.*

5 *Si obtinens licentiam absolvendi, pacto non se obligavit, tunc si tenetur ex proprio officio, peccat non absolvendo, dummodo sit suus subditus.*

6 *Si verò obtinens licentiam, teneatur ex lege Charitatis; tunc sive sit subditus, sive non, peccat lethaliter non absolvendo.*

7 *Quando confessarius incœpit audire pœnitentem jam dispositum, & obedire paratum, tenetur sub lethali perficere.*

8 *Non peccat tamen non absolvendo, si pœnitens non incœpit jam confiteri, & leviter ferat adire alios, & præcipuè si nolit obedire, ubi tenetur.*

1 Delegatus, est, qui caret officio absolvendi, sed ei à superiore committitur, ut absolvat penitentem. Hinc facultatem delegatam extra tempus Jubilæi absolvēdi à reservatis habet ille, cui facultas data est à superiore habens ordinariam, ut

est

est Papa, Episcopus, vel alius Prælatus.

2 In delegato requiritur expressa superioris licentia, ut possit absolvere pœnitentem reservatis obstrictum, ut constat ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. & docet Aver. *de Pœnit. quæst.* 17. *sect.* 7. in principio. Quia reservata habent quamdam specialitatem, & specialia non censentur concessa, nisi exprimantur. Et talis concessio licentiæ, ex Tamb. *lib.* 5. *de Pœnit. cap.* 4. §. 5. *n.* 7. cū Con. & Sanch. debet esse delegato nota. Quia debet acceptari; quod fieri nequit nisi à sciente, aliter nullum parit effectū.

3 Nec confessarius tenetur hanc licentiam petere. Patet 1. ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. ibi: *Pœnitentibus persuadere nituntur, ut ad superiores, & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.* 2. quia impeditus absolvi valet; si autē confessarius teneretur adire superiorem, nō posset absolvi; Quia tunc cessaret impedimentum adeundi superiorem per confessarium. 3. Quia hoc onus non est imponendum cōfessario, nisi sit evidens.

Neque dicas, confessarium teneri ex Charitate, ut evitet damnum spirituale proximi, ut ait Pellizzarius *manuali tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 21. & Bussemb. *lib.* 6. *Medullæ tract.* 4. *cap.* 7. *dub.* 4.

Nam peto, cur Charitas ligat confessarium, & non superiorem, & ipsum pœnitētem; Ergo confessarius poterit moveri ex Charitate, sed non tenetur sub pœna peccati adire superiorem, si ipse pœnitens potest sibi succurrere, superiorem adeundo.

4 An obtinens licentiam à reservatis, teneatur in conscientia dispositum pœnitentem absolvere?

Pro hujus difficultatis resolutione, distinctio adhibēda est. Vel enim pacto voluit in conscientia se obligare sub gravi, vel non. Si primum, peccat non absolvendo; quia transgreditur pactum servandum l. 1. ff. *de pactis.*

5 Si autem pacto non se obligavit, tunc videndum est an aliqua lege sit obligatus quæ non potest esse nisi Charitatis, vel proprii officii. Hæc obligat Parochos, & Pœnitentiarios salariatos, & hi peccant contra officium non absolvendo, quando debent absolvere. Non peccant tamen si nolint audire, & absolvere alienum si pro illo non fuerunt destinati.

6 Lege Charitatis, teneretur absolvere constitutum in necessitate gravi animæ, vel corporis, & tunc sive sit subditus, sive non, ille, qui est in necessitate constitutus, potens, & non absolvens, peccat lethaliter contra Divinum Charitatis præceptum.

7 Si verò desit necessitas pœnitentis, sed tamen incæpit iam confiteri; tunc tenetur confessarius judicium absolutione perficere: Quia ex natura judicii, quando incæpit confiteri, quasi contraxit pœnitens cum confessario, ut illum dispositum, & obedire paratum, absolvat; et si nolebat absolvere, non debebat incipere audire, nec gratis vexare pœnitentem; maximè quia pœnitenti quādoque est grave onus alium adire, eique suam propalare miseriam, seu quia intenso profunditur rubore, ita nō se alteri explicare in confessione. Unde in hoc currere debet regula illa: *Ubi cœptum est judicium, ibi finem accipiat*, ut patet ex l. *ubi cœptum* ff. *de judiciis*, Suar. de *Pœnit. disp.* 32. *sect.* 5. Aversa, & alii.

8 Si vero pœnitens non incæpit confiteri, & leviter ferat adire alios, vel nolit obedire Confessario, ubi necessarium est; tunc nunquam est lethale non absolvere. Quia cedit juri suo pœnitens, nolēs Confessario obedire, vel habens alios adire.

CAPUT III.

De Delegatione Reservatorum facta Parocho.

APOPHASIS.

1 *Quid sit Delegatio?*

2 *Parochi, quia habent jurisdictionem ordinariam, possunt absolvere ab omnibus peccatis, & censuris, nisi ab Episcopis, ex justa causa, eorum potestas restringatur.*

3 *Parochus potest suos parochianos absolvere extra diœcesim, etiam a reservatis, si facultatem habeat, Et si deleget jurisdictionem alteri confessario in illos, potest etiā extra Diœcesim audire*

4 *Parochus, cui concessa est facultas absolvendi a reservatis in sua Parochia, potest etiā extra illam, ac etiam extra Diœcesim suum subditum absolvere.*

5 *Parochus habens authoritatem absolvendi a reservatis quoscumque recurrentes ad suam Parochiam, potest absolvere alienos Parochianos ad illum concurrentes.*

6 *Parochus, cui delegata est facultas absolvendi a reservatis, non potest illam alteri subdelegare, nisi sit illi delegata ad Universalitatē causarū, vel facta commissio generalis cum cognitione causæ; sicuti nec quando privilegium est personale, seu esset electa industria personæ.*

7 *Quando cognosci potest, industriam personæ esse electam?*

8 *Parochus potest dictam facultatem probabiliter subdelegare, ut ipse met a peccatis reservatis absolvatur, quamvis habeat facultatem per se tantum absolvendi.*

9 *Quando verò Parochus habet generalem faculatem absolvendi ab omnibus reservatis, potest illam subdelegare, ut ipse met absolvatur, nisi alia sit superioris voluntas.*

1 DElegatio, est jus dicendi, seu ferendi sententiam Sacramentalem circa pænitentem sibi confessum; Et delegata jurisdictio, ut diximus *q.* 2. est quando à superiore habente ordinariam, committitur alicui inferiori non habenti facultatem absolvendi, ut absolvat à reservatis pænitentem. Quid autem sit jurisdictio, unde dicta, & quotuplex, vide in dicta *qu. cap.* 1.

2 Curati habent jurisdictionem ordinariam ratione proprii officii, ideo nisi ab Episcopo impediantur, ab omnibus possunt absolvere. Nec possunt Episcopi, nisi bono communi id viderint expedire, illis suam potestatem restringere; Quare adhibenda est ab ipsis prudentia in reservando ne fine causa subditi inobedientes judicentur, Sotus in 4.*dist.* 18. *q.* 2. *art* 5. apud Graff. *de cas. reserv. lib.* 1. *append. aur. cap.* 6. *n.* 16. Et ideo docent, quod tantus esse potest abusus Reservationis, ut Parochi non tenerentur superiori obedire, sed eo inconsulto, possunt à reservatis illos absolvere; potissimum cum nimiæ reservationes sint in gravamen populi. Sic etiam aliquando sine justa causa restringitur ab Episcopis ordinaria potestas Parochorum prohibendo V.G. illis ne dent licentiam aliis Sacerdotibus ministrandi baptismum suis parochianis, aut, ut ipsi ministrent parochianis alterius Parochi, etiam cum licentia illius: & sic de innumeris aliis.

3 Parochus sicuti potest à peccatis non reservatis absolvere etiam extra Diœcesim suos parochianos, imo, & subditos aliorum Parochorum suæ Diœcesis (ut ex consuetudine, Parochis, & Episcopis permittentibus, servatur in his partibus; licet de jure communi jurisdictio Parochorum sit tantū intra limites cujusque propriæ Parochiæ) ita habens potestatem absolvendi à reservatis potest extra Diœcesim etiam ab illis absolvere. Quia facultas absolvendi à reservatis eo usque extēditur, quo usque extenditur jurisdictio ad peccata; Atqui jurisdictio absolvendi in Parocho respectu parochiani, extendit ur communiter extra Diœcesim; Ergo etiam facultas absolvendi à reservatis. Minor patet, quia jurisdictio (hoc est, quæ absque strepitu, & figura judicii exercetur) potest extra proprium territorium, & Diœcesim exerceri. Cum in iis, quæ spectant ad jurisdictionem voluntariam non attendant locum, sed jurisdictionem in personas; talis est absolutio à reservatis in foro Sacramentali ergo &c. Et si alteri Confessario approbato non Parocho deleget jurisdictionem in suos, potest illos audire, etiam extra Diœcesim, & absolvere; non tamen à reservatis; neque confessario alienæ diœcesis potest illā delegare. Secus dicendum de contentiosa jurisdictione, quæ versatur inter partes contendentes, cum strepitu, & figura judicii: Hæc enim non potest exerceri extra territorium, ne aliter videatur invadere alienam jurisdictionem. Sanch. Laym. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *n.* 4. & dicendum est *quæst.* 2. *cap.* 1. Croix *de minist. Pænit. lib.* 6. *par.* 2. *n.* 1516.

4 Parochus, cui concessa est authoritas absolvendi à reservatis cum hac clausula: *in sua Parochia*, probabiliter potest absolvere suum parochianum, non solum in sua parochia; Sed etiam extra; immo & extra Diœcesim. 1. quia per illam clausulam non limitatur facultas Parocho quoad locum, sed tantum quoad personas, ut Sensus sit in *sua parochia*, hoc est in *suos parochianos*, seu in subditos suos; et talis est praxis. Nā usus illius delegatæ facultatis, est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ immediatè, & per se respicit personas, & non locum, nisi demonstrativè, hoc est ad demonstrandos pænitētes, in quos debeat exerceri. 2. quia sicuti jurisdictio ordinaria, quam Parochus ratione beneficii habet, etiam limitatur quoad Parochiam, & tamen, ut dictum est potest is exercere illam in suos subditos extra Diœcesim; Ergo etiam facultatem delegatam extra

Pa-

Parochiā; non obstante illa clausula, quæ non sumenda *limitativè*, sed *demonstrativè*. Quod procedit, etiā si facultas delegata esset cum clausula: *In Parochia tantum*, Laym. Sanch. Dian. &c. Non secus ac si confessario delegata sit facultas absolvendi quoscumque ad se accedentes, hac clausula: *In Diæcesi tantum*.

5 Similiter Parochus habens facultatē absolvendi à reservatis quoscumque recurrentes ad suam parochiā, potest absolvere alienos parochianos ad suam Ecclesiam concurrentes. Quia talis est cōsuetudo: In diem enim videmus, ut tam iter agentes per propriā Diœcesim, quàm exeuntes à propria parochia, & ad aliam se transferentes, absolvantur à Parocho loci, ad quem recurrunt, etiam si accesserint causa se subtrahendi à jurisdictione proprii Parochi. Excipe nisi aliud sit in aliqua Diœcesana *synodo* statutum, Basilius Pontius *lib. 5. de matrim. cap. 9. n. 6.* cui adhæret Diana *par. 3. tract. 6. resol. 28.* Etsi quod non possit absolvere toto marte pugnet Mazzuch. *de cas. reser. disp. 1. q. 3. difficult. 14. n. 43.*

6 Parochus cui delegata est facultas absolvendi à reservatis, non potest illam subdelegare; Secus si delegata sit ad universalitatem causarū; vel si sit facta cōmissio generalis absolvendi suos parochianos ab illis cum cognitione causæ. Tunc in aliquo speciali casu potest subdelegare, nō obstante, quod talis facultas, quoad causas sit illimitata, & limitata quoad tempus, vel locum; quo casu censetur potius subdelegari reservata absolutio, quàm absolvendi à reservatis jurisdictio; quod etiam habet locum in Guardiano, vel alio monasterii superiore, si Provincialis committat facultatem. Vide dicenda *cap. seq. n. 1.* Excipe nisi alia sit superioris voluntas, & nisi privilegium sit personale; quod semper N. B. Laym. & alii.

7 Docet Graf. *decis. aur. par. 1. lib. 6. de potest. confess. cap. 13. n. 17.*, quod variis modis potest cognosci, industriā personæ electam esse 1. quando cōmittitur aliquid alteri ratione confidentiæ. 2. quando alicujus conscientia oneratur, & propriū nomen exprimitur. 3. quando præstatio cōsilii requiritur in certo actu, ad certum tempus. 4. quando negotium non determinatum mandatur. 5. quando expressio proprii nominis esset facta à parte. 6. cū gravia, & ardua mandantur. 7. Quando agitur de controversiis determinandis, quæ ingenium & hominis peritiam requirunt.

8 An autem possit Parochus dictam facultatem subdelegare, ut ipsemet à peccatis absolvatur?

Dubitant DD. Graff. *tom. 1. de Pænit. consil. 14.* Ricc. Pasq. Genuensis, Quarti, Azor. &c. negant; quia cum sit delegatus, subdelegare nequit, cap. fin. *de offic. deleg. ati.* Alii verò magis communiter cū Aver. *§. 7.* docent posse. Quia non debet esse deterioris conditionis, quàm alii. Si autem habens potestatem per se tantum absolvendi, adhuc aliqui putant posse ob dictā rationem absolvi, quod Aver. *§. 5.* non admittit, quia habet, quod dum dicitur *per seipsum*, negatur potestas substituendi alium, Croix *lib. 6. par. 2. de minist. Pænit. n. 1687.*

9 Sed communiter tenent, quod quando Parochus ab Episcopo, seu Guardianus à Provinciali generalem obtinuit facultatem absolvendi subditos ab omnibus reservatis tunc si ipsemet incidat in aliquod reservatum, potest confessario suo potestatem absolvendi, seipsum committere; dummodo tamen non constet aliam esse delegantis voluntatem.

Hanc sententiam constat, esse veriorē, ex declaratione S. Cong. relata à Suar. *disp. 30. de Pænit. sect. 2.* & Garz. de *benef. par. 2. cap. 10. n. 13.* quæ declaratio nititur hac æquitate. Quia non debet Episcopum pejoris conditionis esse, quā subditos suos ut supra dixi. Sed hæc ratio eodem modo urgèt, si Episcopus Parocho generalem conferat potestatem absolvendi suos parochianos à casibus Episcopalibus; Ergo

Adde quod Episcopus tribuens Parocho generalem facultatem absolvendi parochianos à casibus Episcopalibus, censetur auferre reservationem respectu talis Parochiæ; Ergo potest absolvi à confessario tanquam si eo loco Reservatio non sit, Sanch. *lib. 8. de matrim.* Rodriq. Suar. Laym. *lib. 5. tract. 6. cap. 10. n. 17.* Bon. *de Pænit. disp. 5. quæst. 7. pun. 5. §. 2. n. 7.*

Tamen Ludovicus Beja *par. 4. casu 5.* concedit posse dictam facultatem subdelegare particulatim in certo casu, vel ad certam personam; sed negant posse committere potestatem absolvendi seipsum. Cujus ratio est, quia jurisdictio delegata

non extenditur ultra personas in delegatione expressas, ut in cap.1. *de offic.deleg.* & notat Gloss. in cap.1.vers. *processus de rescriptis in6.* Atque in hac delegatione, seu privilegio exprimuntur tantum subditi; Ergo non debet extendi ad eorũ Pastorem, puta Parochum, Guardianum &c. cui tale privilegium concessum est.

Sed ad dictam Beiæ rationem respondent, quod potestas delegata respectu certarum personarum, non est extendenda ad alias; Potestas verò delegata respectu omnium subditorum, seu respectu totius communitatis, ex quadam æquitate, extẽditur etiam ad ipsum, favore communitatis.

CAPUT IV.

De Delegatione absolvendi à reservatis, facta aliis Confessariis inferioribus; ubi de reservatis oblitis in confessione valida, & invalida.

APOPHASIS.

1 *Confessarius, cui delegata est facultas absolvendi à casibus Episcopo reservatis illam alteri subdelegare in certo casu, vel certa persona si ea sit in privilegium. Secus si illam obtinuit tantum ad aliquem, vel aliquos absolvendos pro aliquo tempore, vel vice.*

2 *Discrimen inter delegare iurisdictionẽ à reservatis cum iurisdictione, & delegare nudum absolutionis ministerium.*

3 *An confessarius possit alium subdelegare, ut ipsemet absolvatur?*

4 *Peccata reservata oblita in confessione valida facta confessario habenti facultatem illa absolvendi, remanent indirectè absoluta, & non reservata; tamen pœnitens tenetur, si venit in mentẽ, oblitum confiteri, ut directè ab illo absolvatur.*

5 *Si confessio sit facta non habenti facultatem, tunc postquam oblitum venerit in mentem, tenetur pœnitens adire superiorem, ut directè ab illo absolvatur tamen non tenetur repetere cum illo non reservata.*

6 *Pœnitens, qui obtinuit iubilæum, etiam post transactum illud, potest absolvi à reservatis oblitis.*

7 *Reservata confessa Confessario habenti facultatem in confessione invalida probabiliter remanent reservata, si sit facta dolosè; Secus si bona fide. & si in Jubilæo contrarium sentiant. Tamen contrarium valdè probabile est.*

8 *Confessio invalida facta non habenti facultatem ex quacumque causa fuerit nunquam tollit reservationem; quod à fortiori valet de oblitis.*

9 *Reservata oblita in confessione invalida facta habenti facultatem, valdè dubium est, an de illis tollatur Reservatio?*

1 CONfessarius, cui delegata est facultas absolvendi a casibus Episcopo reservatis, & ea sit illi in privilegiũ perpetuũ, ratione dignitatis, vel officii, potest eandem alteri subdelegare; non tamen ita generatim, sicuti ipsi commissa est, sed particulatim in certo casu, vel ad certam personam absolvendam; quia talis jurisdictio censetur quasi ordinaria, Gloss. super cap.fin.extra *de offic. judic. ordin.* Covar. Sanch. Laym. *de Sacr. Pœnit. tract. 6. cap.11.n.12.* si verò confessarius obtinuit facultatem, aliquem, vel aliquos absolvendi a delictis reservatis pro aliquo tempore, aut aliqua vice, ut solent Episcopi concedere, tunc non potest facultatem alteri subdelegare. Tum quia talis concessio, est privilegium merè *personale*, quod alteri concedi non potest. Tũ quia eo casu censetur potius delegari reservata absolutio, quàm absolvendi a peccatis jurisdictio.

2 Hinc vide, quomodo inter se discriminentur: Delegare jurisdictionẽ a reservatis cum jurisdictione; & delegare nudũ absolutionis ministerium. Nam *delegare cum jurisdictione absolutionem a reservatis* sine causarum cognitione, est generaliter alicui demandare, ut pro arbitrio suo possit absolvere pœnitentes casibus reservatis obstrictos quotiescũque casus occurrerit cum facultate arbitrandi pœnitentiam, & onus illi imponendi; & hoc casu potest subdelegare. *Delegare verò nudum ministerium absolutionis*, est committere alicui absolutionem à reservatis in certis casibus; & sic delegatus subdelegare non potest.

3 Sed an Confessarius simplex possit dictam facultatem subdelegare, ut ipsemet absolvatur, discurre sicut dictum est cap. *ant. n.8.*

4 Peccata reservata oblita in confessione

ſione valida facta confeſſario habenti facultatem, remanent indirectè abſoluta,& abſque reſervatione,ut docent communiter; Quia abſolvens præſumitur ſaltem implicitè,& virtualiter(ſi non intenderit explicitè)velle abſolvere, & prodeſſe pœnitenti quantum poteſt;ergo cum poſſit Reſervationem tollere, non eſt, cur non tollat. Tenetur tamen pœnitens peccatũ oblitum,quod fuit indirectè abſolutum, quando venit in mentem,iterum fateri alii confeſſario,ut directè abſolvatur, Caſtr. Aver. Dian. de Lugo, Viva de *Jubilæo qu. 11. art. 4.*

Confirmatur,quia ſicuti cenſura, cujus pœnitens abſolutionem petere in confeſſione ſit oblitus, tollitur per generalem Superioris abſolutionem, quæ communiter ante abſolutionem à peccatis præmitti ſolet,ut docet de Lugo; ita etiam Reſervatio peccatorum, quæ pœnitens, ex oblivione,ſubiacere clavibus omiſit, tollitur per formam confeſſam, & abſolutam. *Ego te abſolvo, &c.*

Et hæc doctrina tenet (contra Suarez)', etiam ſi pœnitens non petat expreſſe abſolutionem non petat,cenſetur tamen, & præſumitur interpretativè petere:atque ideo ad Superiorem acceſſiſſe,ut ab omnibus, in quæ inciderit peccatis quantum fieri poterit,abſolvatur; & ſimiliter ſuperior cenſetur, ſaltem implicitè, velle eum ab omnibus peccatis,quibus obſtringitur,liberare.

5 Si verò confeſſio pœnitentis ſit facta confeſſario non habenti facultatem abſolvendi à tali reſervato oblito, tunc poſtquam peccatum oblitum venerit in mentem,tenetur adire Superiorem,ut abſolutionem obtineat. Nam directè non fuit ab illo abſolutus. Tamen non tenetur ſuperiori cum reſervato oblito repetere alia non reſervata confeſſa. Quia ab illis fuit directè abſolutus.

6 Itaque reſolves cum Viva *de Jubilæo quæſt. 11. art. 4. n. 2.* quod qui obtinuit jubilæum,etiam illo tranſacto; poteſt abſolvi à peccatis reſervatis oblitis. Quia,ait, licet pœnitens non petat *explicitè* abſolutionem reſervatorum,petit *interpretativè*,quia cum veniat diſpoſitus, peteret ſine dubio, ſi menti reſervata occurrerent;& Confeſſarius vult conferre abſolutionem quoad fieri poteſt. Et etiam quia pœnitens,ex eo quod coram Superiore comparuit, eique peccatum integrè aperuit,& convenientem ſatisfactionem a confeſſario obtinuit, cenſetur ſuæ obligationi ſatisfeciſſe, quantum ſpectat ad Reſervationem,Con. Baſſ.& alii.

7 Quod graviter controvertitur, eſt, an peccata reſervata confeſſa in confeſſione invalida remaneant reſervata?, & quid de oblitis in illa?

Dicta confeſſio(ut ſupra diximus)poteſt fieri,& confeſſario habenti, & non habenti facultatem abſolvendi à reſervatis. Ex parte verò pœnitentis poteſt confeſſio fieri invalida,vel doloſe,& malitioſe; vel inadvertenter, & ex ignorantia, ſive vincibilis,ſit, ſive craſſa, vel ſupina. Si confeſſio Reſervatorum ſit facta ſuperiori, ſeu alii confeſſario habenti facultatem,& confeſſio fuit invalida *doloſè* V.G. quia tacuiſti aliquod peccatum;tunc de Lugo docet, non ceſſare Reſervationem ab eo,qui doloſè ſe geſſit. Idem docet Viva *de Jubilæo n. 11. art. ult. Quia fraus* (habet)*non debet cuiquam ſuffragari, nec lucrum de ſacrilegio reportare.*

Non deſunt tamen, qui partem affirmativam teneant,ut Cajet. ver. *caſ. reſer.* Regin. Sil. Rodriq. Bord. Henr. Boſſ. probant, quia Confeſſarius vult prodeſſe pœnitenti quantum poteſt,& ſic vult tollere onera pœnitentis, quæ poteſt,ut eſt reſervatio; idq; ex eo patet,quia vult ſe conformari juri, ex quo habetur quod actus,qui non valet ut ſit, valet quantũ valere poteſt:Ergo ſi non tollitur peccatum ob indiſpoſitionem pœnitentis,tollitur Reſervatio;ad quam obtinendam,non eſt indiſpoſitus, ſi pœnitens impleat pœnitentiam injunctam ob caſum reſervatum. Imo ajunt, quod quando caſus eſt reſervatus, tantum ratione cenſuræ ei annexæ; hæc ſententia eſt quaſi certa. Quia excommunicatio poteſt tolli, etſi ratio ſacramenti ſit invalida; cum reſervatio non dependeat à validitate Sacramenti; cum pœnitens, ex eo quod comparuit coram delegato,cenſeatur menti reſervantis, & fini reſervationis ſatisfeciſſe. Idem docet Bonac. *to. 1. de Sacram. Pœnit. diſp. 5. quæſ. 7. punt. 5. §. 5. n. 9.* de invalidè abſoluto ob incurſionem cenſurarum virtute jubilæi, ſi intentionem habebat, iterum valide confitendi ad obtinendum jubilæum,quia abſolutio cenſurarum, per ſe loquendo, poteſt etiam extra confeſſionem obtineri;

Quamvis

Quamvis neget de reservatis; sicuti negant aliqui ex supradictis Doctoribus, re nulliter à reservatis absoluto vi jubilæi, Quia in bulla jubilæi solent apponi verba illa: *verè penitentibus*.

Itaque, qui vult tenere cum hac sententia, utpote magis penitentibus favorabili; ad rationem tenentium, quod fraus, & dolus non debent cuiquam suffragari; Dicat, quod fraus non illi prodest, quoad reservationem culpæ, & consecutionem indulgentiarum, cui opponitur; sed suffragatur, & prodest quoad absolutionem reservationis, cui non opponitur.

Ad rationem verò tenentium, in peccato reservato nulliter absoluto, virtute jubilæi, remanere reservationem, quia non sunt verè pœnitentes, ut requirit bulla jubilæi: Dic quod ly *vere penitentibus*, quod solet in bulla apponi, tantum excludit non verè penitentes à consecutione indulgentiarum, & remissione culpæ, quæ nequit ab indignis obtineri, si alia opera jubilæi ponant.

Si autem bona fide, alia de causa fuit invalida, puta ob defectum doloris, propositi, examinis, intentionis Confessarii, &c. & confessio fiat confessario jurisdictionem in reservata habenti, tunc probabiliter docent cum Tamb. §.5. & Vingadht, quod tollatur. Quia licet ab illorum reatu absolutus non fueris, jam Superiori te præsentasti (etsi sit delegatus) & pœnitentiam, seu satisfactionem pro illis recepisti; ergo videtur, quod reservatio sit ablata (quod docent cum cit. Viva) & à fortiori si confessio fuit valida, sed informis. Quamvis contrarium teneant in jubilæo, in quo volunt requiri confessionem validam, ut supra dictum est: quia aliter non lucrabuntur jubilæum, & consequenter nec jubilæi beneficiis frui poterit; & maxime si in illo apponantur illa verba: *Verè pænitentibus*, Vide dicta *disp.1.quæst.5.cap.1.n.9.*

Quando autem confessio invalida, fuit facta confessario non habenti facultatem absolvendi à reservatis, ex quacumque causa fuerit invalida, nunquam tollitur reservatio. Quia tunc Confessarius, etsi bona fide illi confessus fuisses, non poterat tollere reservationem; ob jurisdictionis defectum; quod à fortiori valet de oblitis.

9 Reservatorum oblitorum in confessione invalida, facta habenti facultatem in reservata, valde dubium est, an tollatur reservatio? Quia ex una parte valdè difficile videtur; ut peccatum, de quo quis in confessione invalida oblitus est, tollatur reservatio; cum non accepit de eo penitentiam, vel remedium. Ex alia parte, jam ipse se presentavit Superiori, vel delegato, paratus illa peccata enarrare, si oblitus de illis non fuisset; Ergo videtur quod tollatur reservatio.

CAPUT V.

De Confessario absolvente cum jurisdictione dubia, aut probabili.

APOPHASIS.

1 *Confessarius dubitans de aliqua lege reservante aliquod peccatum; potest absolvere ab eo pænitentem, non solum in dubio juris, sed etiam probabiliter in dubio facti.*

2 *Confessarius dubitans de aliqua lege reservante, non potest absolvere, quando adest præsumptio in contrarium, aut aliter decernatur in jure. Et dicta, sunt intelligenda de dubio proprie dicto, non de dubio cum opinione probabili conjuncto.*

3 *Quando confessarius dubitat de sua jurisdictione circa reservata, non potest absolvere, nisi in premente necessitate, aut justa causa, & tunc indirectè, & cum onere comparendi coram superiore.*

4 *Confessarius habens de sua jurisdictione probabilem opinionem, probabilius potest absolvere.*

5 *In dubio positivo, an aliquod peccatum sit reservatum, probabiliter absolutio à quocumque confessario dari potest; secus in negativo, secundum aliquos.*

6 *Et moraliter certum, quod Ecclesia dat jurisdictionem confessariis absolventibus ex opinione vere, & practicè probabili circa jurisdictionem. Etiam si sit tenuiter tantum probabilis.*

1 QUi dubitat dubio juris, nempe latam esse aliquam legem reservantem aliquod peccatum, potest, ut docet Bon. *de sacram. Pænit. disp.5. qu.7. sect.5. pun.5.§.4.n.5.* absolutionem impendere; Etsi, adhibita sufficienti diligentia, adhuc perseveret dubium, illudque confessarius practicè deponat. Cum possessio stet pro Confessario. Quid autem sit dicendum in du-

dubio facti; ut si pœnitens dubitet, an blasphemaverit hæreticaliter cum advertentia, seu, an commiserit Raptum? Citatus Bon. *n.* 1. docet etiam posse Confessarium absolvere. Tum quia *in dubio melior est conditio possidentis*; Tum quia reservatio utpote *odiosa*, est restringenda. Et etiam quia sicuti in foro externo; ita in foro Pœnitentiæ, non est judicandum contra pœnitentem, nisi contra ipsum extet præsumptio, & sufficientes conjecturæ

2 Ideoque quando adest præsumptio in contrarium, ut si quis exterius proferat hæresim, & dubitet, an eam ax animo protulerit; tunc præsupponitur incurrisse excommunicationem Papæ reservatam; ut etiam incurrit quando sic est decretum in jure, ut in percussione Clerici; nempe quando dubitatur, an percussio sit levis, mediocris, vel enormis, quia tunc præsumitur semper enormis. Et hæc omnia supradicta intelligenda sunt de dubio propriè dicto, nedum de dubio conjuncto cum opinione probabili; Quia qui probabiliter judicat, peccatum non esse reservatum, potest sequi suam opinionem, relicta contraria etiam probabiliori.

3 Si verò Confessarius dubitet de sua jurisdictione circa casus reservatos: tunc dico, non posse absolvere. Quia possessio in tali casu, stat pro delicto, quod constat esse reservatum, dubia manente jurisdictione. Unde quando ipsius intellectus anceps hæret circa facultatem reservatorum, non potest sine lethali, extra mortis articulum, directè absolvere; Quia se exponeret periculo invalidè impendendi absolutionem, ut constat *ex propositione damnata ab Inn. XI.* Tamen, ut supradictum est, potest aliquando indirectè absolvere, & cum onere comparendi coram Superiore, ut in casu præmentis necessitatis, vel concurrente justa, & rationabili causa, Suar. *3. par. tom. 4. Filliuc. Conin. & Bont. n. 1. de Sacram. Pœnit. disp. 5. sectio 5. punt. 5. §. 4. n. 4.*

4 Si verò Confessarius non propriè dubitet, sed potius probabilem habeat de jurisdictione opinionem, potest absolvere; & eo fortius in casu præmentis necessitatis. Quia tunc Ecclesia supplet jurisdictionem (& præcipuè si illam aliquando habuit) cum sit tunc in certa possessione, quam non eldit superveniens dubium. Et etiam quia, etsi non liceat sequi opinionem probabilem, in materia, & forma Sacramentorum, ut constat ex *prop. Jat. 1. damnata ab Inn. XI.* licet tamen probabilius in jurisdictione. Quia jurisdictio dependet ab Ecclesia; & ideo eam pro Animarum salute, censetur dare in casu necessitatis. Tum etiam, quia sic est consuetudo universalis Ecclesiæ, ex qua omnes Sacerdotes absolvunt cum jurisdictione probabili. Ecclesia enim censetur tacitè consentire, ne tot actus irriti sint, Tamb. *lib. 4. de pœnit. cap. 4. §. 8. n. 3.* Felix Potestas &c.

Non desunt tamen alii cum Jo: Sanch. Suar. De Lugo, & aliis apud cit. Tamb. *n.* 2. qui contrariū tenent: Ideo vide Vivam in dicta *prop. Inn.* XI.

5 In dubio autem, an peccatum sit reservatum, absolutio probabilius à quocumque confessario dari potest, si dubium sit positivum. Secus secundum aliquos in dubio negativo.

6 Igitur pro absolvente cum jurisdictione probabili, sciendum, esse moraliter certum, Eccelesiam supplere, & dare jurisdictionem confessariis absolventibus ex opinione verè, & practicè probabili circa jurisdictionem, etsi talis opinio esset falsa, uti constat ex consuetudine; & ex multis juribus probat Cardenas apud Felic. Potestatem *pag. 3. §. 8. à n. 3279.* Unde ex cit. Bon. sequitur, quod validè absolvit à reservatis, qui probabiliter putat habere jurisdictionem, aut privilegium, quod habet adhuc non esse revocatum, aliter innumera sequerentur incommoda.

Tamen Ecclesia non dat jurisdictionē confessario absolventi ex opinione tenuiter probabili: Cum tunc *impropriè* nō *verè*, dicatur probabilis: quia cum tenui innitatur ratione, non potest ex ea quis sufficienter prudens judicium efformare. Et circa absolutionem peccati reservati dubii, Vide dicta *disp. 1. q. 5. c. 3. à. n. 6.*

CAPUT VI.

De Confessario simplici absolvente à reservatis sine jurisdictione; ubi de Sacerdote ex errore communi, & titulo Colorato putato Confessario, vel Parocho.

APOPHASIS.

1 *Confessarius invalidè absolvit pœnitentem a reservatis sine jurisdictione, si pœni-*

pænitens confiteatur sola reservata. Secus si ignoranter, & pænitens cum reservatis alia non reservata confiteatur.

2 *Confessarius culpabiliter absolvens pænitentem a reservatis, probabiliter tenetur obtenta a superiore facultate monere, & inducere pænitentem eum ejus licentia ad repetendam confessionem, si poterit sine gravi scandalo, infamia, sigilli fractione & taliter pænitentiam agat de culpabili errore.*

3 *Quando vero sine culpa, & culpabili errore, atque bona fide id egit, etsi nil mali ipsi confessario immineat, non tenetur monere.*

4 *Confessarius non potest extra confessionem monere pænitētē, quē validè quidem, sed illicitè an reservatis absolvit. Secus docent si idem pænitens ad confessionem rediret.*

5 *Confessarius, qui ex culpa lata, seu ex ignorantia crassa, aut scienter suasit pænitenti, ne restitueret, cum teneatur, tenetur ipse restituere si verò negative se habuit, & solū neglexit monere, aut obligare; tunc probabiliter docent, quod ipse non teneatur.*

6 *Confessarius, qui certè scit extra confessionem, pænitentem commisisse reservatum, & rogatus neget, nullo modo ei potest impendere absolutionem.*

7 *Si confessarius delictum reservatum pænitentis sciet ex confessione complicis, debet eum interrogare, non nominando complicem; & si pænitens delictum non fateatur, tunc permulti docent, esse absolvendum, alii verò non esse.*

8 *Ad acquirendam jurisdictionem, requiritur actualis consensus delegātis signo externo manifestatus, neque sufficit ratihabitio in futurum, nec præsens consensus rationabiliter præsūptus. Secus si ratihabitio fit aliquo signo physice, aut moraliter externato.*

9 *Certum est, Sacerdotem absolventem ex errore communi, & titulo colorato absolvere cum jurisdictione, & probabiliter etiam deficiente titulo*

10 *Etiam est certū, quod si nullitas jurisdictionis sciretur a paucis, adhuc respectu horum adest jurisdictio.*

11 *Non requiritur bona fides in illo, qui actū ponit, nec in illo circa quem actus ponitur, ut in errore communi cum titulo dispenset Ecclesia.*

12 *Peccat lethaliter, nisi excuset aliqua causa, qui scienter accipit Sacramentum a Parocho tali putato ex errore communi, & titulo colorato; et si accepit Sacramentū Pænitentiæ, nullū est.*

13 *At quando probabiliter dubito, an se habilitaverit, tunc possum me illi confiteri.*

1 Confessarius simplex absolvens pænitentem sine jurisdictione à solis reservatis, invalidè absolvit ob defectū dictæ jurisdictionis. Immo docent, quod quando adest mera probabilitas, quod habet jurisdictionem in pænitentem, vel ejus peccatum, non est confessario licitum absolvere, nisi aliunde accedat certitudo practica, ut patet ex 1. *prop. damnata ab Inn. XI.* Si verò ignoranter absolvit pænitentem, qui bona fide ei confiteatur cum reservatis, etiam non reservata; tunc validè absolvit, directè à non reservatis, indirectè, & concomitanter à reservatis. Quia non potest unum mortale remitti sine altero. Et hoc est verum, etiam de reservato excommunicatione affecto, vi cujus excluditur pænitens à sacramentorum participatione. Quia jura, quæ à Sacramentorum participatione excommunicatum excludunt, utuntur verbis prohibentibus, non autem irritantibus: Neque obstat reservatio; Quia hæc tollit jurisdictionem solum pro reservatis.

2 Ad quid autem teneatur confessarius, qui culpabiliter ob defectum jurisdictionis absolvit pænitentem, qui cum reservatis, confessus est non reservata, ad quæ confessarius certò nō habet jurisdictionē?

Non conveniunt Doctores; Nonnulli enim cum Valero *de differentia utriusque juris ver. pænit. difficul. 9. n. 2.* & Henr. docent, confessario nihil esse agendum, neque petendam à superiore facultatem, sed in bona fide relinquendum esse pænitentē, maximè si ignorantia laboret. Quia tunc pænitens remanet ab omnibus peccatis absolutus, directè quidem à non reservatis, indirectè à reservatis. Unde confessarius in tali casu ad aliud non tenetur, quàm ad pænitentiam agendam, si culpabiliter erraverit.

Alii distinctionem adhibent; nam ajunt: Vel confessarius tunc potest sine scandalo infamia, vel alio gravi nocumento, & sine fra-

fractione sigilli, extra confessionem monere pænitentem, puta cũ ejus licentia: Vel non potest sine prædictis incommodis; si primũ confessarius, tenetur obtenta à superiore licentia, pænitentẽ monere, & inducere ad repetendam confessionem. Quia tenetur consulere saluti pænitentis quantum potest. Fol. Suar. Con. Lug. Dian. Laym &c. Et ut docet Vingadht, tunc cõfessarius, non debet defectum absolutionis pæniteati extra confessionem manifestare, sed suaviter potest ei dicere: *Libens viderem, ut adhuc semel mihi confitearis; habeo enim, quæ dicam pro salute animæ tuæ.* Quia sic confessarius non arguitur reus fracti sigilli, & suaviter agit cũ pænitẽte.

Si verò confessarius, non potest sine scãdalo &c. pænitentẽ monere, vel ad repetẽdam confessionem inducere; tunc tenenda arbitror sententia Valeri. Quia tunc censetur moraliter impossibile adimplere defectum absolutionis. Nec tunc potest eum absentem absolvere; cum absolutio sacramentalis non possit conferri absentibus; secus verò absolutio à censuris; sicuti etiã potest tolli reservatio. Nam, qui facit legẽ potest eam abrogare, & res per easdẽ causas dissolvitur, per quas nascitur.

3 Quando verò confessarius bona fide, & sine culpa pænitentem à reservatis absolvit, si inde nihil mali in fama, honore &c. sibi immineat, potest monere, sed nõ tenetur. Quia cum bona fide processerit, non peccavit, & ad nihil tenetur; nec tenetur consulere pænitẽti; cum saltem indirectè sit absolutus.

4 Unde docent, quod quando confessarius valide quidem, sed illicitè absolvit pænitentẽ, etsi possit eũ extra confessionẽ monere, cum judicium sit finitum; Si tamẽ idem pænitens ad confessionem rediret, dicunt, quod utique deberet eum monere de defectu commisso, ut talis confessio fiat integra, & absolutio non illicitè impensa, Fill. Dian. De Lugo &c.

5 Sed incidenter quæras, an confessarius teneatur restituere, quando pænitentem non obligavit ad restitutionem faciẽdam; vel quia neglexit; vel quia commodè non potuit; aut ex alia causa.

Distinguunt: nam vel confessarius ex lata culpa, seu ex ignorantia crassa, aut scienter dixit, vel suasit pænitenti, ne restitueret cum teneretur; & tunc tenetur ad restitutionem. Quia confessarius suo culpabili consilio, & injusta actione, fuit causa positiva & efficax damni, quod tertius patitur. Si verò confessarius negativè se habuit, solumque neglexit admonere, vel obligare ad dictã restitutionem; tunc probabilius nullam restituendi obligationem contrahit; licet graviter peccet contra suum officium. Quia nullam actionem exercuit injustam contra tertium, sed tantum contra Charitatẽ, non autem contra justitiam peccavit, Suar. Laym. Bon. &c.

6 Utrum verò confessarius simplex possit absolvere pænitentem, quem scit peccatum reservatũ commisisse, illudque non esse confessum, & rogatus negetẽ

Communis sententia tenet, quod quando confessario evidenter constat extra confessionem, penitentẽ commisisse reservatum, & ab ipso rogatus negat, tunc nullo modo impendendam esse absolutionem: Quia pænitens eo casu præsumitur indispositus accedere, indigneque petere absolutionem; ergo non debet illum absolvere; alioquin confessarius sacrilegæ pænitentis confessioni cooperari censeretur.

7 Quando verò delictum reservatum pænitentis, confessarius scit ex confessione complicis, debet pænitentem in genere interrogare, num conscientiam alicujus peccati habeat, aut etiam in particularĩ petere, num tali reservato crimine sit obstrictus; modo complicẽ non nominet, nec sit periculum, ut pænitens in suspicionem veniat, complicem hoc ipsum in confessione aperuisse. Quod si pænitens tali interrogatione præmissa, delictum non fateatur, permulti docent debere illum absolvere. Tum quia dubium in hoc casu favet pænitenti. Tum quia non potest uti scientia confessionis cum periculo [illegible] gendi peccatum complicis, Graff. Facund. Regia. Dian. &c Tamen Croix *lib. 6. par. 2. de minis. Penit. n. 1969.* in casu simili docet, quod non debeat eum absolvere sed dissimulando, dicere super eum *misereatur* &c. Quia tunc nec revelatur peccatũ complicis, nec hoc affert aliquod damnum pænitenti, qui deberet de illis peccatis iterum confiteri; supposito tamen, quod certò sciat de illo non esse confessum.

8 Insuper nota cum Laym. *lib. 5. tract. 6. cap. 10. de minist. Penit. n. 15.*, quod ad acquirendam jurisdictionem requiritur actualis consensus delegantis signo externo manifestatus. Quia jurisdictionis dele-

gatio, est actus voluntatis ejus, qui potestatem habet; ergo sine actuali voluntate ipsius non confertur alteri jurisdictio, sine qua est irrita in foro Pœnitentiæ absolutio. Nec ratihabitio in futurum sperata, neque consēsus in præsentiarum rationabiliter præsumptus, si reipsa non adsit, sufficit ad conferendam confessario jurisdictionem. Secus si ratihabitio sit de præsenti, & sit aliquo signo physicè, aut moraliter externata, ut si signa complacentiæ, gaudii, super illis confessionibus expresserit, ut rectè docet, & probat cit. Laym. n. 16. Quia ad valorem huius actus, requiritur actualis consensus superioris, nempe actualis approbatio.

9 Antequam autem ad difficultatem jurisdictionis Sacerdotis ex errore cōmuni, & titulo colorato putati confessarii, vel Parochi respondeamus, secernamus certa ab incertis oportet. Sicque certum est primò, quod quando Sacerdos ex errore communi, & titulo colorato absolvit; tunc non dicitur absolvere sine jurisdictione. Quia tunc dat Ecclesia jurisdictionem, l. Barbarius ff. de offic. Prat. ne errore communi turbentur fidelium conscientiæ. Immo valde probabile est, quod suppleat, etiam si deficiat titulus, Tamb. lib. 4. de Pœn it. cap. 5. §. 7. n. 16. Felix Potestas &c. Et idem servatur in judicibus sæcularibus, de quibus apud Juristas adest hoc axioma: communis error, facit jus.

10 Secundò docent communiter cum Sanchez, quod si nullitas jurisdictionis sciretur a paucis, adhuc respectu horum paucorum adest in tali Sacerdote æstimato Parocho, jurisdictio, quia ad conferēdā jurisdictionem, non requiritur error universalis, sed communis in loco. Tamb. n. 13. Idem docet Bon. de matrim. quæst. 2. pun. 8. n. 35. & 39. qui docet, quod sicuti requiritur error communis, & non sufficit error particularis ut sint valida alicujus gesta; ita etiā requiritur cōmunis scietia, & nō sufficit particularis caretiæ veri tituli, ut sint valida alicujus gesta per habentem titulum coloratum, cum errore communi.

11 Nec requiritur (ut docet Croix lib. 6. par. 1. de Sacram. n. 114) bona fides, ut in errore communi cum titulo, dispenset Ecclesia in illo, qui actum ponit, nec in illo, circa quem ponitur, quia jura ex motivo utilitatis publicæ ita disponunt in errore communitatis, non autem ob errorem huius, vel illius hominis.

12 Sed peto, quid dicendum sit in hoc casu, qui mihi accidit circa annum 1727. tempore Jubilæi concessi a Benedicto XIII. Fel. Record. in quo mihi confessus fuit quidam Parochus, ex cujus confessione cognovi ipsum non esse verum Parochū (licet ex errore communi, & titulo colorato, talis estimaretur) ex eo quia antequam obtineret beneficium curatum commiserat irregularitatem, à qua tamen obtinuerat dispensationem, sed cum hac conditione, nempe quod inhabilis imposterum existeret ad obtinenda beneficia Ecclesiastica; qua prohibitione non obstante, ipse absque alia dispensatione à multis annis acceperat beneficium curatum. Hoc audito, monui, ut denuò rescriberet Romæ, ad hoc ut redderetur habilis ad dictum beneficium, qui respondit, hoc esse suæ curæ, quod ipse providebat. Sed tamē quia ego in dubio eram, an ipse iterum rescripsisset Romæ, ut redderetur habilis; ideo quæro modò 1. an possem licitè confiteri dicto cōfessario, supposito, quod certè non obtinuerit habilitatem. 2. quid si dubitem an ipse rescripserit pro dict. habilitate?

Non dubito, quod ego peccarem lethaliter (nisi excusaret urgens necessitas, vel alia causa, aut si ipse suspicaretur, vel cognosceret, quod ego ob talem causam ipsi nō confiterer. Nam tunc ob periculū, ne judicaret quod id fieret ex notitia cōfessionis, & revelaretur confessio saltem indirectè, nullo modo liceret abstinere) sciens, hunc non esse verum Parochum, & illum conveniens, ut sacramentum administret. Quia cooperarē peccato illius usurpantis jurisdictionem, quam non habet; Imo quia accederē cum actuali peccato ob dictam cooperationem, nulla est absolutio.

13 Quando verò probabiliter dubito, an denuo obtinuerit dispensationem circa habilitatem, an tunc possim eligere illum pro confessario, & maxime si possim confiteri alio confessario?

Dicerem non solum validè, sed licitè posse, etsi possim alium eligere. Quia ex una parte, juxta dicta, ob errorem communem, retinet ipse jurisdictionem, etsi nullitas sciretur à paucis, ex altera parte mihi etiam est probabile, quod ipse obtinuerit habilitatem, & in dubiis, quilibet censendus est bonus, & potissimum quia tunc credendum est, ideo se de illo accusasse,

fasse, ut provideret, & se liberaret ab illo peccato; Ergo &c.

CAPUT VII

De Absolutione à reservatis, à simplice confessario per metum Collata.

APOPHASIS.

1 *Inferior confessarius, potest ob metum mortis, vel alterius gravis mali absolvere a casibus, & censuris reservatis.*

2 *Metus non excusat a peccato, si transgressio legis sit intrinsecè mala, nec si sit contra bonum commune.*

3 *Absolutio collata ob metum est valida,*

4 *Non potest confessarius ob metum gravem simulare administrationē Sacramentorum; quod est quasi certum circa simulationem formalem.*

5 *Simulatio materialis, probabiliter neque licet.*

6 *Probabiliter potest confessarius fingere, si pænitens sit indispositus, & non verba absolutionis, sed alias orationes proferat.*

1 Inferior confessarius ex metu mortis, vel alterius gravis mali potest à casibus, & censuris reservatis pænitentē absolvere, ut cum communi contra Cajetanum docet Suar. Vasq. Becc. Dian. Laym, & Bon. Ratio est 1. quia leges humanæ, licet aliquando obligare possint cum periculo vitæ, quando nempe observatio legis humanæ plus confert bono cōmuni, quàm conservatio propriæ vitæ, ordinariè tamen non obligant cum tanta severitate. Quia observatio legis humanæ ordinariè plus nō confert, & prodest bono communi, quam conservatio vitæ. 2. quia nemo obligatur ad impossibile: quod autem fit ex metu gravis mali, ideoque valde difficile est, censetur moraliter impossibile.

2 Adverte tamen, quod metus non excusat à peccato, si transgressio legis sit intrinsecè mala, ut sunt mendacium, idolólatria, odium Dei &c. Quia ab actione intrinsecè mala, nullo modo malitia tolli potest, nec, ut supra dictum, excusat, si transgressio legis sit contra bonum cōmune, tunc enim nō excusat metus particularis damni: Quia bonum particulare, non prævalet bono communi, vide dicta *disp. 1. quæst. 4. cap. 3. à n. 9.*

3 Et talis absolutio, ut docet Tamb. *lib. 5. de Pænit. cap. 4. 5. 5. n. 3.* per metum collata est valida: Quia baptismus, sicut & alia sacramenta sic collata, validа sūt; nec ullibi in jure irrita inveniuntur. Cū enim absolutio, sententiæ naturam imitetur, sicut ipsa non est irrita, quamvis metu collata, ita & illa, De Lugo, Castr. Azor. &c. Idem dicunt de Irregularitatis dispensatione.

4 Attamen quàvis Diana *par. 5. tract. 3. resol. 39.* addit, quod si metus gravis mali inferatur ab ipso pænitente, possit cōfessarius absolutionis verba proferre sine intentione, tanquam circa indispositū; At modò neminem latet, non licere in sacramentorum administratione, ut constat ex *prop. 29.* ab *Inn.* XI. proscriptas *Urgens metus gravis, est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.* Enim nec simulatio formalis, scilicet, quę fit cum voluntate directa decipiendi, seu quando quis per facta externa intendit aliud significare, quàm in animo sentiat, & circa hanc omnes fatentur, non esse sufficientem causam simulandi sacramētorum administrationem, cum sit realissimum mendacium.

5 Alia simulatio est materialis, quæ fit ob justam causam permittendo aliorum deceptionem, seu quando quis externè facit aliquid, prævidens ab alio habendum pro signo alicujus rei, quam ipse non intendit, *Croix lib. 6. par. 1. n. 297. & 198.* Et circa hanc materialem simulationem, quia colligi non potest, an comprehendatur in dicta *propositione*, ut patet ex dictis decreti verbis, dissentiunt Doctores.

Tamen communiter cum *Viva*, in dicta *propositione* & *Croix de Sacramentis lib. 6. par. 1. à n. 149.* docent, neque hanc simulationem licere, ob quemcumque gravem metum, etsi mortis (exto facta tam verbis, quā aliis signis exterioribus, in aliis materiis, liceat) ut constat ex scriptura *Jos. 8. Luc. 24.* Quia abuti verbis à Deo institutis, est illudere Deo, & reale mendaciū in re gravissima; exercitè enim, & in suo facto dicit confessarius, se nomine Christi absolvere, sicuti neque licet aliqua simulatio externa, quādo est Deo injuriosa docet *Viva* in *propositione* 18. & 19. n. 7.

6 Potest tamen confessarius ob gravē metum, quando pænitens est indispositus, fingere, si non formam absolutionis proferat, sed alias orationes, vel preces oraret.

ret. Vide in dicta *prop.19.* & dictam *disp.* *1.q.4.cap.3.*

QUÆSTIO V.

De Potestate simplicis Confessarii in articulo, vel periculo mortis, in impedimento perpetuo, vel longi temporis, & in aliqua urgenti necessitate.

Inferiores Confessarii possunt absolvere quoscumque pœnitentes à quocumque peccato, & censura reservata. 1. in articulo, & periculo mortis proximo, & probabili, imo etiam dubio, à quo etiam potest omnis simplex sacerdos. 2. impedimento perpetuo, vel longi temporis. 3. urgente aliqua necessitate, & quidem cũ quibusdam oneribus. 4. quando tollitur censura, ratione cujus peccatum reservabatur, ut est reservatio Papalis, ut alibi diximus. Ideo sit.

CAPUT I.

Quid sit articulus, vel periculũ mortis, an inter se distinguantur, & quinam censeantur in articulo, vel probabili periculo mortis constituti?

APOPHASIS.

1 *Quid sit articulus, & periculum mortis?*
2 *Non differunt inter se articulus, & periculum, quoad potestatem absolvendi Sacerdotibus concessam.*
3 *In sancii sententia absolutio a casibus, & censuris reservatis impendi potest a prima die lethalis ægritudinis.*
4 *Periculum mortis reputatur etiam quoad effectum absolutionis a censuris, & reservatis, si timeatur diuturna superventura amentia.*
5 *Ut possit pœnitens a reservatis absolvi, debet esse periculum tale, ut regulariter in tali casu mors contingere soleat*
6 *Qui ob periculum vitæ, aut ob aliam causam omittit, aut obliviscitur alicujus peccati, tenetur in sequenti confessione explicare.*
7 *Sacerdos in probabili mortis periculo, absolvit directè quæcumque peccata, a censuris verò sub conditione.*
8 *In articulo, aut probabili periculo mortis, sunt primo omnes infirmi.*
9 *Secundo Fœmina partui proxima, quæ alias non peperit, aut experta est, se parere cum difficultate; imo extendunt ad omnes partui proximas, & doloribus illius correptas.*
10 *Tertio aggredientes periculosum iter, vel navigationem.*
11 *Quartò milites conflictui propinqui.*
12 *Quinto banniti, qui ubique impunè possunt occidi. Secus si habeant salvum conductum.*
13 *Sexto damnati ad mortem.*
14 *Septimo damnati ad triremes.*
15 *Octavò lethaliter vulnerati.*
16 *Nonò peste infecti.*
17 *Decimò etiam sani existentes in loco pestis.*
18 *Undecimò laborantes Apoplexia, pleuritide &c.*
19 *Duodecimò habentes perpetuam, vel diuturnam amentiam.*
20 *Tertiodecimò senio confecti, quibus imminet mors.*
21 *Decimo quartò omnes innodati censuris, & casibus reservatis, si probabiliter timeant, se ante mortem confessarii copiam non habituros.*

1 Aliqui cum Soto, Valentia, Grass. Hurt. &c. apud Dianam *par.3. tract.4. de sacram. res. 81.* aiunt, articulum mortis tunc adesse, cum mors est ita proxima, ut videatur inevitabilis, moraliter certa, & quasi instare ultimus vitæ spiritus. Periculum verò cum in tali casu hominibus mors soleat frequenter accidere; ideoque dicunt valdè inter se differre.

2 Alii communiter docent periculum mortis non differre quoad potestatem cõcessam omnibus sacerdotibus absolvendi quoscumque in talibus necessitatibus cõstitutos, ideoque privilegium concessum cuicũque sacerdoti absolvendi ab omnibus casibus, & cẽsuris reservatis pœnitentem in articulo mortis constitutum, extẽdi etiã ad eum, qui in propinquo, & probabili mortis periculo versatur; Quia, ut docet *De Lugo*, articulus, & periculum mortis pro eodem accipiuntur à summis Pontificibus, & sacris Canonibus. Patet ex *cap. eos de sent. excomm. in 6.* ubi confuso vocabulo usurpatur *articulus*, & *periculum* mortis; Quia necessitas extrema, etiam periculosa censetur. Constat secũdò, quia Divinum præceptum urget non

solum

solum in articulo; sed etiam in periculo mortis: ergo cessat humanū Reservationis incompatibile cum Divino.

Liquet tertio, quia ut quis tenetur cavere mortem naturalem, ita tenetur periculum mortis; & ut damnationem, quæ, est in articulo, ita damnationis periculū, quod est in periculo mortis; & sine absolutione expositum velle, esset abuti, non uti potestate; esset destruere, non ædificare Ecclesiam; ergo ut cessat reservatio in articulo mortis, ita etiam in periculo, *Riccius part. 3. praxis res. 92. n. 1.* citans 14. Doctores.

Ostenditur demum ex uniformi Doctorum placito, à quibus pro eodem accipitur *articulus, & periculum.* Et jure optimo; cum enim plerique cōfessarii experti non sint, & nesciant distinguere articulum à periculo mortis, ferè semper in dubio versarentur, num infirmum tamquā in articulo mortis constitutum absolvere ipsis liceret? sicque sæpius infirmus damnationis periculo exponeretur.

3 Imo, ut docet *Sancius disp. 22. n. 5.* absolutionem à casibus, & censuris reservatis impendi posse à prima die lethalis ægritudis V. G. doloris laterum, pleuritidis &c.

Tandem, ut docet *Delbene, & Sanchez*, articulum mortis reputatur etiam quoad effectum absolutionis à censuris, & casibus reservatis, si timeatur perpetua, vel diuturna superventura amentia, licet mors non timeatur.

5 Dixi supra: si *pœnitens in propinquo, & probabili mortis periculo existat*, eo quod regulariter mors, in tali casu contingere soleat. Secus si periculum non sit in mora, ideoque possit interim copia cōfessarii occurrere, facultate absolvendi præditi. Quia tunc, sicut cessat necessitas utendi privilegio, sic etiā privilegii concessio, *Sanch. & Zambr. de cas. art. 1. prælud. 1. n. 7.*

6 Si quis ob instans periculum vitæ, aut aliam ob causam omittit, aut obliviscatur alicujus peccati in confessione, tenetur in alia sequenti exprimere. Quia pœnitens ex lege Divina deferre debet ad Pœnitentiæ tribunal omnia peccata, in quæ inciderit, nisi sit legitimè impeditus; Ergo cessante impedimento illa lex urget. Liquet hoc ex *propositione* XI. *damnata ab Alex. 7.*

7 Tamen docent nonnulli apud *Diam. disp. 21. quæst. 8. n. 203.* quod sacerdos in probabili periculo mortis possit directè absolvere à quibusvis peccatis, etsi reservatis, a censuris verò reservatis, sub conditione; ut nempe elapso periculo, pœnitens se præsentet pro satisfactione, ut pareat ejus mandatis, ac etiam pro absolutione ex dispositione sacrorum canonum, *Felix Potest. in examine confessariorum tom. 1. par. 4. n. 3246.*

8. Multi à Doctoribus numerantur cōstituti in articulo, vel probabili periculo mortis, ut videri potest apud *Dianam part. 3. tract. 4. resol. 72. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 12. n. 13. Bass. Thomas Delbene* &c. Primò omnis graviter infirmus, quamvis gravis infirmitas nunquam censeatur, sine desit periculum mortis, & sic à prima die talis periculosæ infirmitatis absolvi valet etiam à censuris Papæ reservatis.

9 Secundò fœmina partui proxima, quę non dum alias peperit, vel si peperit experta sit, se parere cum difficultate, & periculo. Imo, ut docent *Camb. Nav. Sot. Graff. Bell. Pinell. Dian. & Sanch. lib. 2. moralium cap 13. n. 4.* Hanc concessionem extendūt ad omnes fęminas partui proximas, & iam doloribus partus correptas. Quia partus, suapte natura vitæ periculum involvit. Et hoc tenet, etiā si experta fuit, partum non fuisse alias difficilem. Quia potest esse, ut ille partus, qui alias ei non fuit difficilis, nunc sit talis, vel geminatione, tranversatione &c.

10 Tertio aggredientes etiam libere periculosam navigationem, vel iter, prædonibus, vitam eripientibus, aut inimicorum insidiis expositum, *Dicast. Dian* &c.

11 Quarto milites in bello, si propinqui sint cōflictui, vel hostes aggressuri, *Bass.*, & *Delbene.*

12 Quinto banniti, qui ubique impunè possunt occidi; ideoque ubique, semperque in probabili mortis periculo versantur; quia ab omnibus, etiā inter se, occidi valent. Et ut plurimum trucidantur ubi, & quibus non timent, & magis confidunt, *Nald. Bass. Floron. Bell. Dian.* & hoc dicunt procedere, dummodo salvum conductum non habeant.

13 Sextò damnati ad mortem, qui licet possint, nō tenētur, nec illi, nec cōfessarius superiorem adire, *Mennozza, Floron. Fienell. Dian. par. 5. tract. 3. resol. 61.*

14

14 Septimò damnati ad triremes, ut vulgus *sit ad ...* *portatilem*; isti enim nequeunt superiorem adire. Nam semper in statu miseriæ, & afflictionis & in periculosa navigatione sunt, ut ex multis vix pauci ad suos redeant, *Jo: Hen. Sà Durän. Mázzuch. & Dicastil.* contra *Sanch.*

15 Octavò lethaliter vulnerati, si periculum sit in mora, eo quod tale vulnus celerem soleat afferre mortem; *Sanch.*

16 Nonò peste infecti, qui morbus nempe sua natura dirus, et virulentus, subitò, & præter intentionem, tali lue correptos enecare solet, teste *Capeaville de modo ministrandi sacram. tempore pestis*, quem sequitur *Laym. lib. 7. tract. 12. n. 13.*

17 Sed quæres, an existentes in loco pestis absolvi valeant à censuris, & reservatis, etiamsi sint sani?

Affirmativè resolvendum, si adsit periculum mortis, quod semper adest in loco infecto, plusquam in periculosa navigatione, & conflictu belli, ubi omnes valent cap. *pastoralis de offic. ord.* In loco enim peste infecto semper adest pro sanis periculum, & pro infectis mortis articulus, ut docet *Cornelius Ripa de peste, in rubrica de privilegiis ultimarum voluntatum*; *Hieron. Marchinus de bello Divino, par. 2. cap. 1. n. 22. & par. 3. cap. 3.* dicens, *tempore pestis reservationes cessare*. *Et Quarti de cas. reser.* ait, tales esse in periculo; Quia difficile evitare possunt consortium aliorum. Et etiam quia, vel pestis emanat ex lethali syderum influxu; & tunc nemo potest esse tutus de immunitate à tali influxu; Vel nascitur ex contagio rerum; & nemo potest esse tutus, rem non esse contagiosam; cum variis indigeat vita humana. Serpit namque clandestinè malum, hoc, ut nostri senio confecti, in strage hujus Divini belli, anno 1656. in hac Terra Roccæ Monsinæ facta; miseranda, luctuosa, & periculosa experientia experti fuere, ita ut vana sit diligentia humana, licet valde prodesse possit, Deo volente. Vide *Petrotta* pro Historia dictæ Pestilentiæ *lib. 2. ... Auruncorum cap. 7.*

Liquet clarum, quia ratione tanti periculi sub lethali tenentur confiteri existentes in tali loco. Et hic debet dari copia confessarii, ne reservatione Divinum præceptum omittatur, *Dian. par. 9. tract. 7. & par. 3. tract. 4. resol. 57.*

18 Decimò à *Suar. Sancio*, & *Delbene* numerantur, qui apoplexia, pleuritide, nephritide, seu dolore renum, aut alio gravi morbo laborant, ex quo brevi putantur è vita discessuri.

19 Undecimò numerantur à dictis Doctoribus illi, quibus timetur superventura perpetua, vel diuturna amentia, licet mors non timeatur. Quia usum rationis amittens ante absolutionē talium criminum, ita est in periculo mortis, & damnationis constitutus, ac si quis absque absolutione moreretur.

20 Duodecimò veniunt, qui ita senio sunt confecti; ut mors ipsis imminere videatur, quamvis forte lecto non decumbant, *Suarez.* &c.

21 Tertiodecimò numerantur omnes illi, qui casibus, & censuris reservatis innodati, probabiliter timent, se ante mortē confessarii copiam non habituros, nisi nūc confessario simplici confiteantur DD. cit. Quia omnes, & singuli prædicti censentur in proximo, & probabili vitæ periculo constituti; Alios vide apud Doctores.

CAPUT II.

De Potestate simplicis Sacerdotis in articulo, vel periculo mortis.

APOPHASIS.

1 *In articulo, vel periculo mortis, potest quilibet Sacerdos validè, licitè, & directè ab omnibus casibus excommunicationibus reservatis, & si ob hæresim contractis, absolvere cum onere tamen pænitenti comparendi coram superiore, si sit absolutus ab excommunicatione.*

2 *In articulo, vel periculo mortis, simplex Sacerdos, potest absolvere tantum ab illis censuris, quæ Sacramentorum susceptionem, & Ecclesiasticam sepulturam impediunt.*

3 *Simplex Sacerdos aliquando potest extra confessionem absolvere constitutum in articulo mortis.*

4 *Si certū sit, hominem antequam in amentiam inciderit in statu peccati mortalis, aut in excommunicatione extitisse, non est ei administranda Extrema Unctio, neque communio.*

5 *Quilibet Sacerdos etiam excommunicatus, suspensus, irregularis, degradatus, & hæreticus, in articulo, vel periculo mortis, potest ab omnibus casibus, & censuris absolvere.*

6 *In omni reservatione, censetur exceptus mortis articulus ita ut Pontifex illicitè, sed alii superiores etiam invalidè reservent casus pro tali articulo.*

7 *Valdè probabile est, quod simplex Sacerdos possit in articulo, vel periculo mortis absolvere ab omnibus casibus, & censuris etiam præsente confessario, quamvis contrarium teneant alii cum communi.*

1 Communiter docent, quod in articulo, vel periculo mortis simplex Sacerdos ob absentiam legitimi Confessarii, potest validè, licitè, & directè absolvere ab omnibus casibus, & excommunicationibus, etiam ob hæresim contractis, excepta suspensione, & interdicto; tamen cum onere comparendi cessante articulo, vel periculo mortis, si absolutus fuit ab excommunicatione reservata, ob peculiarem sacrorum Canonum dispositionem.

2 Dubitatur modò, an ab omnibus omnino censuris, non solum excommunicationis, vel interdicti personalis, sed etiam suspensionis ab ordine, officio, & beneficio, imo, & ab irregularitate possit simplex Sacerdos in articulo, vel periculo mortis pænitentem absolvere?

Affirmant *Ugol. Maxzuch. Cajet. Bess.*, & alii, quorum ratio est. Quia *Trid. sess. 14. c. 7.* absolutè ait: *à quibuscis peccatis*, & *censuris*. Quæ verba cum sint generalia, nec ullam exceptionem faciant, inde est, ut omnes comprehendant: Ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Cœterum sententia communior est, quæ asserit censuras, a quibus quilibet Sacerdos in articulo mortis potest absolvere, tantum esse, quæ Sacramentorū susceptionē, & Ecclesiasticā sepulturā impediunt, cujusmodi est excommunicatio, personale interdictum, suspensio a receptione Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura; non autē suspensio ab ordine, officio, vel beneficio, & multo minus irregularitas. Quia licet cit. Trid. expressis verbis, nullam limitationem faciat; at ratio ab ipso concilio, data nempe: *ne hac occasione aliquis pereat*, apertè hanc limitationem designat; ideo simplex Sacerdos non potest dispensare in votis, irregularitatibus, vel juramentis; Quia ea cum non sint peccata, aditum ad Cœlum non impediunt, neque salutis viam præcludunt, *San. h. Lug. Laym.*

3 Et simplex Sacerdos aliquando potest extra confessionem in articulo mortis constitutum absolvere, puta si ob amentiam confiteri, vel signa doloris ostendere non valeat. Quia licet cit. *Trid.* videatur cuiuscumque Sacerdoti concessisse facultatem absolvendi a censuris, eo quod absolutio a censuris sæpè numero, fit ad absolutionem a peccatis, necessaria; cum censuris innodatus ex præcepto Ecclesiæ; non possit accedere ad Sacramentum Pænitentiæ, antequā a censuris absolvatur tamen cum absolutè, & sine dependentia a Sacramento Pænitentiæ eam concesserit, inde est, ut cuilibet Sacerdoti integrū sit, in casu proposito moriturum a censuris absolvere, etiā si a peccatis ob carentiam rationis, & defectum debiti doloris, eum absolvere non valeat.

4 Ubi nota, quod si notoriū, & certum sit, hominem antequam in amentiam inciderit in statu peccati mortalis, aut in excommunicatione extitisse, no est ei administranda Extrema Unctio. Quia semel malus, semper præsumitur malus, nisi de emendatione constiterit. Idem dic circa administrationem communionis.

5 Utrum verò quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, suspensus, irregularis, degradatus, & hæreticus in articulo, vel periculo mortis possit absolvere ab omnibus casibus, & censuris, etiā summo Pontifici reservatis?

Certū est, quemcūq; Sacerdotē quacūq; culpa, vel cēsura innodatū, posse quoslibet pænitētes ab omnibus casibus & censuris reservatis per se, & directè absolvere, quando non patet aditus ad superiorem, cui hujusmodi casus, & censuræ sunt reservatæ, *Trid. sess. 14. cap. 7.* & docent communiter DD. *Quia* in tanta necessitate, animarumque discrimine, ne quid earum saluti deesset, Ecclesia voluit perpetua consuetudine Sacerdotibus plenissimam jurisdictionem concedere.

6 Et ideo docet *De Lugo*, quod in omni reservatione semper censetur exceptus mortis articulus, ita ut Pontifex saltem illicitè potest sibi reservare casus pro tali articulo: Alii verò præfati non solum illicitè sed etiam invalide; Quia non possunt auferre, nec limitare jurisdictionem a summo Pontifice, pro mortis articulo, Sacerdotibus datam.

7 Quod autem graviter controvertitur,

tur, est, an possit simplex Sacerdos absolvere pœnitentem in articulo mortis ab omnibus casibus, & censuris reservatis, præsente legitimo confessario?

Partem affirmativam toto maste sustinet, cum aliis, *Tamb. de cas. reser. cap. 12. §. 1.* Probat primò ex cit. *Trid.* quod sic habet: *Piè admodum ne hac ipsa occasione reservatorum, aliquis pereat, in Ecclesia Dei, custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes omnes pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere poterunt.* Ex quibus verbis clarè patet, ait *Tambur.* nullibi esse dubiũ, quod possit simplex sacerdos, etiã præsente confessario, ab omnibus peccatis, & censuris reservatis, pœnitentes absolvere.

Probat secundò, quia *Trid.* non addit: *si desit copia confessarii*; cur igitur nos addere velimus, cum solĕnia sint axiomata: *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: quod voluit, lex expressit. beneficiũ Principis, ubi nullum est præjudicium alterius, est latè interpretandum: Quæ sũt in favorem animæ non sunt restringenda.*

Probat tertio, quia negatio est malignantis naturæ, omnia removens; Cum igitur Trid. dicat: *Nulla est reservatio*, omnem omnino, & in quibuscumque circumstantiis reservationem tollit pro illo articulo. Idem docent *Nav. Regin. Marchesius*, citans novem DD. *par. 3. Belli Divini cap. 3. n. 13. Lug. Dian. Quar. &c.* Quia pro illo, jam omnes sunt approbati absolute, non sub conditione, si desit aliquis approbatus; Quia, ut dictum est, *Tr.* hoc non limitavit.

Nec obstat (ajunt) cap. *præsbyter 26. q. 6. ibi: nisi absente Episcopo, extrema necessitas cogat.* Nam textus loquitur de publica peccatoris reconciliatione, non verò de Sacramentali, de qua nos loquimur.

Cæterum communior est opinio, quæ sustinet, non posse simplicem Sacerdotem, præsente approbato, sive ordinariam, sive delegatam jurisdictionem habeat, in mortis articulo constitutum absolvere. Ratio est, quia Sacerdos simplex potestatem habet absolvendi à quibuscumque peccatis, in mortis articulo, iure extraordinario ob causam necessitatis, nimirum, ne hac occasione, ut ait *Trid. aliquis pereat*; ergo cessante necessitate, cessat hæc extraordinaria potestas, juxta regulam Abbatis *in cap. Venerabilis de consensu, in fine: Cum aliquod conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus solum urget necessitas.* Et cur quæso Ecclesia permittet, ut morituris, qui maxime spirituali instructione, & auxilio indigent, non proprii pastores, aut ab his commissionem habentes, sed quicumque, etiam imperiti, non idonei, neque approbati Sacerdotes, Sacramentum Pœnitentiæ ministrent? *Cov. Zambr. Val. Mol. Suar. Sanch. Conin. Fag. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 14. de Lugo, Bon. de Sacr. Paxit. disput. 5. q. 7. punct. 1. n. 10.*

CAPUT III.

De Potestate inferioris Confessarii pro pœnitente perpetuò, & ad longum tempus impedito, & in aliqua urgenti necessitate.

APOPHASIS.

1 *Simplex confessarius potest absolvere pœnitentem a reservatis perpetuò, vel ad longũ tempus impeditum, & in alia urgenti necessitate, & in omnibus aliis, in quibus ex justa causa possunt Episcopi a reservatis Papæ absolvere.*

2 *Necessitas urgens, & gravis qualis sit?*

3 *Ob aliquã ex dictis necessitatibus potest inferior confessarius absolvere pœnitentem a reservatis, dummodo cum istis alia non reservata confiteatur, & cum onere, ut postea reservata confiteatur superiori, ut directè ab illis absolvatur.*

4 *Potest etiam pœnitens, premente necessitate, elicere actum contritionis, & postea confiteri, ad quod tenetur quamprimum, si sit Sacerdos.*

5 *Pœnitens in aliqua ex dictis necessitatibus, tenetur confiteri simplici confessario tam reservata, quàm non, nisi excuset gravis, & justa causa.*

6 *Non licet extra casũ necessitatis simplici confessario absolvere pœnitentem a non reservatis, & pro reservatis mittere ad Superiorem.*

7 *Confessarius simplex potest absolvere pœnitentem habentem reservata, quando longo tempore inabsolutus remanebit.*

1 Simplex Confessarius non solùm potest pœnitentem perpetuò, & ad longum tempus impeditum, & in omni alia urgenti

urgenti necessitate absolvere ab omnibus reservatis,& censuris,sed etiam in omnibus casibus,in quibus ex justa causa possunt Episcopi à censura Papali absolvere, juxta dicta *quæst.a.cap.3.* Nam quilibet impeditus perpetuò, seu longo tempore, in quo prudenter timet de morte, antequam di?um periculum habeatur,absolvi potest à simplici confessario,cum onere comparendi, ut infra dicetur. Quia is reputatur, ac si esset in articulo mortis.

2 Necessitas gravis est, primò periculũ amittendi famam, honorem, faciendi bonorum ja?uram &c. Secundò quando urget præceptum adimplendi annuam confessionem,vel communionem, aut sacrum faciendi;ita ut ea omittere non possit sine gravi scandalo, vel infamia, nec aditus ad superiorem pateat.Quia cum jure Divino requiratur, ut cõscius peccati mortalis ante cõmunionem confiteatur, melius est ut confiteatur prædi?o modo,quã quod omninò omittat;Ut mihi in confessione cuiusdam infirmi habentis casum reservatum,à quo non habebam facultatẽ absolvendi accidit.quem ne infamiæ notam apud suos domesticos, qui me vocaverant,incurreret,absolvi, debebat enim se in sequenti die communicare.

3 Aliqua ex di?is necessitatibus præbet facultatem simplici confessario re?è absolvendi pænitentẽ, dummodo(ut mox dicemus *num. 5.*) cum reservatis alia non reservata confiteatur; ita ut absolutio *directè* tunc cadat super non reservata; *indirectè* super reservata, cum onere,ut ea soli superiori postea cõfiteatur, ut dire?è ab eis absolvatur. Ratio est quia ad valorem sacramenti non est simpliciter jurisdi?io necessaria super omnia mortalia; sed quoties servatur integritas formalis, sufficit ad valorẽ sacramenti jurisdi?io circa aliqua peccata. Et hoc valet, etiam si pænitens habeat reservata quibus annexa sit excommunicatio; cum excõmunicatio non reddat personam inhabilem ad recipiendum Pænitentię Sacramentum, neque irritet illud, si ex parte suscipientis sit bona fides,debitaque dispositio; & ex parte ministri adsit jurisdi?io.Quia licet excommunicatio privet hominem jurisdi?ione a?iva in alios, si sit denunciatus,& non toleratus excõmunicatus: Non privat tamen subjectione passiva ad alios sibi superiores, hoc est, alii non privantur jurisdi?ione in seipsum. Alioquin excommunicatio non esset pæna pænitentis excommunicati,sed confessarii absolventis, *Nav.Fol.Card.C.n.Ios.ph.de Januario de cas.res.r.resol.4.n.2.*

4 Verum pænitens premente necessitate,si nolit inferiori confessario confiteri, potest elicere a?um contritionis; sicque communicare, vel sacrum facere,si sit sacerdos: Hoc enim in eius potestate positũ est,& postea confiteri habenti facultatem Imò tenetur *quamprimum*, si sit sacerdos, ut ex *propos.38.* proscripta ab *Alex. 7.*

5 An verò urgète aliqua ex di?is necessitatibus, teneatur pænitens confiteri simplici confessario,tam peccata reservata, quàm non, an verò sufficiat confiteri sola non reservata?

Docent *Ugol. de offic. & potest.Ep.cap. 4.§.5.Fill.Mazzucch. & Dia.* posse à pænitente reticeri reservata; quia non sunt materia huius confessionis; Et etiam quia pænitẽs non tenetur idem peccatũ duobus confiteri. Sicut igitur confessarius simplex non potest à reservatis absolvere, quia caret jurisdi?ione; ita nec reservata cognoscere.

Tamen quasi communiter alii docent, teneri tam reservata,quàm non reservata confiteri.Ratio est primò,quia debet confessario innotescere status, & dispositio pænitentis, ut si fortè spiritualis ægritudo,pro tali tẽpore, aliquo indigeat remedio,id ei à confessario, qui fungitur officio tum judicis, tum medici, præbeatur. Quomodo autem confessarius id præstabit,si morbus sibi nõ innotescat, vel vulnus non detegatur,& ratione talis dispositionis indagandæ,confessarius habet jus cognoscendi omnia peccata pœnitentis.

Secundò, quia confessio debet esse integra non solum *formaliter* (hoc est si confiteatur aliqua peccata, sed non omnia, quæ memoriæ occurrunt, & hæc integritas,saltẽ, est necessaria necessitate sacramenti) sed etiam *materialiter* (hoc est si pænitens confiteatur omnia peccata, quæ post diligens examen memoriæ ipsius occurrunt, & hæc integritas est tantum necessaria necessitate præcepti) nisi legitimum impedimentum excuset, hujusmodi nõ censetur defe?us facultatis in confessario dire?è absolvendi à reservatis, vel ne pænitens bis teneatur confiteri reser-

vatum. Præponderat enim obligatio servandi integritatem confessionis, quæ est de jure Divino; Ergo non potest pænitens sine gravi, & justa causa reservata reticere; & præcipuè quia cōfessor realiter absolvit à reservatis, licet ab istis *indi ectè* à non reservatis *directè Bon. de sac. Pœn. dis. 5. q. 7. sect. 5. pun. 1. §. 3. n. 9. S. Th. 3. par. q. 8. art. 3. Suar. Conin. Reg. Tamb. Vega, Laym. &c.*

6 Ex dictis sequitur, quod extra necessitatis casum, simplici confessario qui in cōfessione alicujus pœnitentis, audit aliquod peccatum esse reservatum, non licet illum absolvere à non reservatis, & pro reservato mittere eum ad superiorem. Quia confessio, est accusatio corā legitimo judice, qui potestatem habeat de integra causa cognoscendi; confessio autem reservatorū facta inferiori, non est accusatio corā legitimo judice, quoties pœnitens præcisa necessitate, confitetur simplici confessario, ergo &c. Tum quia sicuti confessio non non est dimidianda sine justa causa (qualis est hæc) ita nec absolutio, *Suar. Laym. Fincl. Con.* & vide etiā dicta *quæst. 3. cap. 1.*

7 Demum quæres, an habens reservata, absolvi valeat à simplici confessario, si lōgo tempore inabsolutus remanebit?

Affirmant *Suar. Gab. Granad. Dian. Caram. fund. 3172.* Quia Divina voluntas est, ne quis differat se convertere ad Dominū. Quam Divinam voluntatem secundare, non retundere, debet superior; aliter cogeret peccatorem insordescere, in lethalibus durescere, & non sentire onera conscientiæ, vel etiam illa contemnere; Cum enim peccator in profundum venerit, spiritualia contemnit, in atheismum labitur, nec facilè contritione se Deo conciliabit; Nam perditis, vitiorum conspurcatione innutritis, difficilis est contritio; quia isti magis terrore inferni, mortis, infirmitatū &c. quàm amore summæ Trinitatis movetur. Ideò sunt alliciendi ad confessionem (quia non erit ipsis difficilis attritio) non autem exterrendi difficultate absolutionis, *S. Cong. Trid.* apud *Riccium part. 3. praxis resol. 81. n. 7.*

QUÆSTIO VI.

De conditionibus servandis ab absolvente sine facultate à censuris reservatis in articulo, vel periculo mortis, in aliquo impedimento, aut in alia urgenti necessitate.

Tres conditiones sub pœna lethalis culpæ regulariter sunt servādæ à confessario simplici, aut alio Sacerdote, antequam pænitentem a censuris reservatis absolvat, ex supradictis causis: Satisfactio partis Læsæ: Juramentū de parendo mandatis Ecclesiæ; & obligatio comparendi corā superiore reservante, cessante impedimento. De singulis singillatim agendū.

CAPUT I.

De satisfactione partis Lesæ.

APOPHASIS.

1 *Quid veniat nomine satisfactionis, & partis læsæ?*

2 *Non potest Episcopus, aut Vicarius tempore jubilæi impedire absolutionē a censura canonis si quis suadente, aut ab alia in foro interno; si pænitens partem immediatè offensam satisfecit.*

3 *Absolutus in foro interno, debet in foro externo se gerere ac si nullatenus absolutus fuisset.*

4 *Quid prosit absolutio in foro interno?*

5 *Quid sit jus Poli, & jus Fori, & quomodo differant inter se?*

6 *Judex Ecclesiasticus potest in foro exteriori imponere laico pœnam; sicuti Ecclesiasticis, & debet applicare illam locis piis delinquentium. Et pariter potest laicis pœnam imponere delegatus ad universitatem causarum, qui, si sit delegatus ab inferiore, potest sed magis moderatè, & juxta causæ qualitatem.*

7 *Compositio pœnæ pecuniariæ, tunc est facienda, quando magis timetur, quàm alia; & est applicanda locis piis, non autem in propriam utilitatem, aliter graviter peccant.*

8 *Triplex datur forū: Contentiosum, Pœnitentiæ, & Conscientiæ.*

9 *Confessarius non debet absolvere pœnitentem, qui tenetur ad satisfactionem partis, nisi satisfactione præmissa, quòd si facere tunc non possit, debet præstare,* pigno-

pignorantiam cautionem, & in defectu huius, fidejussoriam, aut demum juratoriam.

10 *Dictus cautionis ordo, saltem est servandus in delictis Bullæ cænæ, quia in aliis sufficit promissio satisfaciendi.*

11 *Quando debitū est honoris, aut doctrinæ, sufficit, si juramento promittat, quamprimum se restituturum.*

12 *Si pænitens potest satisfacere parti læsæ, & non satisfaciat, probabiliter, non reincidit in eandem excommunicationem, nisi fuisset absolutus ad reincidentiam. Sed si pænitens falsò dicat, se satisfecisse, absolvitur invalidè.*

13 *Pænitēs dubitās de satisfactionis obligatione potest pro foro externo absolvi; tamē pro foro interno, si certū sit, se dānum intulisse, & dubitet, an satisfecerit, tenetur prius satisfacere. Secus si dubitat an damnum intulerit.*

14 *Impotentia satisfactionis præsens, & moraliter certò semper futura, absque spe potentiæ, non est exigenda. Dictaque impotentia tripliciter contigere potest.*

1 Nomine satisfactionis in censura, intelligitur debita restitutio honoris, famæ, bonorum &c., quæ parti lesæ debetur, *Tamb. de Bulla Cruciata, cap. 11. §. 7. à n. 1.* Nomine verò *partis læsæ*, tantum intelligi debet persona immediate offensa, nec venit Prælatus præcipiens, quamvis etiā ipse offendatur universim per qualemcūque censuram; est communis cum *Viva de jubilæo quæst. 10. art. 2. n. 1. Suar. disp. 7. de cens. sect. 5. La Croix de Indulgentiis, & Franciscus Bellagambe* S. I. qui novissimè de *Jubilæo* scripsit, Unde.

2 Non potest Episcopus, aut Vicarius, tempore jubilæi, absolutionē (quoad forū internum) impedire à censura canonis *si quis suadente*, aut ab alia, si partem immediatè offensam, illa innodati satisfecerint; etsi fortè aliqua pena pecuniaria debeatur Fisco, & non dum sit satisfacta. Nam, ut ait cit. *Tamb. n. 2. si fortè aliqua pæna pecuniaria debeatur fisco, judici, aut Tabellioni illa non venit in hanc præsentem considerationem.* Quia prædicti hic, & nunc, nō sunt pars læsa; sicuti in percussione religiosi, non est religio, seu Prælatus. Qui enim percussus fuit, ipse est pars læsa.

Quod confirmat, quia quando in Bulla Jubilæi dicitur *satisfacta, seu concordata parte*, non intelligitur Respublica, sed persona particularis; Quia si *pars læsa*, esset publica potestas seu Prælatus, certe esset Pontifex, qui excommunicationem tulit; Atqui Pontifex dum concedit, ut quis absolvatur, iam ipse condonat; ergo pro *parte læsa* intelligitur persona particularis immediatè offensa.

Unde malè egit olim quando Vicarius, qui tempore Jubilæi epistolam scripsit ad confessarios cujusdam loci, ne auderent quosdam obstrictos cēsura canonis *si quis suadente*, ajens, esse malè absolutos (quia ipsi Vicario noluerunt se obligare ad solvendam certam pecuniæ summam, valde excessivam) ut sic, transacto jubilæo, posset eos cogere ad dictam solutionem: & omnes dicti percussores partem immediatè offensam plenè satisfecerant, quod requiritur in jubilæo, in quo possunt omnes excommunicati, & publici Clericorū percussores absolvi, etsi res sit deducta ad forum contentiosum, & non dum finita.

Nec benè egerunt dicti confessarii, qui panico, seu vano Vicarii timore correpti (ut mihi relatum) inabsolutos reliquere dictos percussores, qui iam habebant jus ad absolutionem in foro interno; quia iam partem immediatè offensam satisfecerant. Debebant enim, ut habet *Eccl. 4. 33. usque ad mortem pro justitia certare*, nec timere ne scilicet, ut dici solet, *gratiam Cæsaris offenderent*, & ut habet D. *Greg. Humanā amittere gratiam formidantes*; Cum non homines sed Deus sit pertimescendus: agūt enim vices Christi, qui sacramenta Pœnitentiæ instituit eo fine, ut prosit pænitentibus. Nec tam rigidè est cum ipsis procedendum, & præcipuè ubi rigore non est utendum; Aliter hoc esset imponere jugum super cervices hominum, quod neque *nos, neque patres nostri portare potuimus*, ut habetur *Act. 15. v. 10.* Et tales essēt similes exploratoribus, *Num. 14.* qui exagerantes difficultatem vincendi gigantem Palestinæ populum, in tantum terruerunt Israelitas, ut prope conjecissent in desperationem. Hinc *Gerson. de vit. spir. par. 3. lect. 4. C. coll. 10.* ait: *Fit ut per tales assertiones nimis duras, generales, & strictas in non certissimis, nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius immerguntur.*

3 Non nego tamen cum veriori sentētia apud cit. *Tamb.* quod talis absolutus in

foro interno; in foro externo, seu quoad actiones externas, & præsertim quoad subeundum judicium Judicis Ecclesiastici liber non erit, & sit perinde ac nullatenus absolutus fuisset, aliter eluderentur, & contemnerentur Tribunalia Ecclesiastica; Ideoque potest Iudex Ecclesiasticus contra eos procedere; cum semper remaneat, quoad forum externum, salvum jus superioris cognoscendi de delictis, & pro eis pænam, & satisfactionem imponendi. Et ex Bulla *Clem.* X. nec possunt regulares, etiam satisfacta parte, absolvere pænitentes à censuris, quoad externum, & judiciale forum. Vide etiã dicta *quæst.2.cap.5.n.5.*

4 Absolutio tamẽ in foro interno prodest coram Deo, & operatur, ut absolutus in foro conscientiæ, valdè, & licitè ministret, & recipiat sacramenta, & nullam irregularitatem incurrat. Prodest etiam, quia quando excommunicatio est occulta potest excommunicatus in omnibus actibus, tam publicis, quam privatis se gerere ut non excommunicatum. Secus si deducta sit ad forum contentiosum, & adsit scandalum; quia tunc non potest se immiscere neq; in humanis neque in Divinis. Vide *Vivam de jubilæo quæst. 10. art. ult.* & *Laym. lib. 1. tract. 5. cap. 7. n. 7. de cens.*

5 Pro majori intelligentia nota, quod habetur jus *poli*, quod interpretatur *jus Cæli*, quod est *forum conscientiæ*; Et jus *fori*, quod est jus contentiosum, & externum, quæ valdè inter se differunt. Nam primò *jus poli* innititur veritati; *Jus* verò *fori* præsumptioni, & in eo oportet servare scripturas. Secundò differunt, quia absolutio in *foro conscientiæ* non prodest in *foro exteriori*, sed potest accusari, & puniri, *Gloss. in cap. de his de accus. Covar. in cap. Alma mater, §. 2. n. 6. de sent. excomm.* Cum sẽper remaneat salvum jus superioris &c. ut dictũ est *n.3.* Et ut docet *Tamb. de Bulla Cruciata cap. 11. §. 8. n. 4.* intentio Pontificis concedentis, per bullam jubilæum, absolutionem censurarum, est, ut cum pura conscientia possint fideles ad sacram Eucharistiam accedere, & indulgentiam acquirere; ad quod obtinendum sufficit absolutio pro foro interno; vide *Bon. de excomm. disp. 1. q. 3. pun. 10. n. 1.* qui *n.2.* docet quomodo possumus cognoscere facultatem absolvendi esse datam tantum pro foro interno, vel pro utroque.

6 Sed quæres hac occasione, an Judex Ecclesiasticus possit pænam pecuniariam laico imponere?

Dico, quod Judex Ecclesiasticus potest in foro exteriori imponere laico pænam pecuniariam, nisi imponeret illam, ut posset eam sibi imbursare. Etsi accipiat ab Ecclesiasticis, neque potest sibi imbursare, sed debet illam applicare locis piis, ut liquet ex *Trid. sess. 25. de refor. cap. 3.* ut evitent suspicionẽ cupiditatis, *Jo: Andreas in cap. 1. de homicidio, lib. 6.* Est enim res scandalosa pænas in proprios usus expendere, & maximè si pro quolibet delicto mulcta pecuniaria inferatur. Et debent applicari, & præferri loca delinquentium Nam quando *Trid.* permittit, reos puniri per mulcta pecuniarias, habet: *Quæ locis piis ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignẽtur*; Tũc ex locis piis, sẽper debent præferri illa, quæ sunt ex loco, & habitatione delinquentium, ut pluries respondit *sacra Cong.*

Etiam judex Delegatus ad universitatẽ causarum potest mulctare, *Gloss. in l. 2. de sportu. Cappell. Polos. decis. 275. n. 2.* Si verò sit delegatus ab inferiori, etiam mulctare potest; *Inn. in cap. 1. de offic. Delegãti*; Sed non potest ponere tantam pænam pecuniariam, quantam isti majores judices; sed arbitrabitur quantitas secundum qualitatem causæ; & fortè poterit mulctare usque ad aureos sex *l. 2. & l. eos C. modica mulcta, Graff. de pænis.*

7 Ex dictis percipe, mi lector, quàm graviter peccent Ecclesiastici judices, si dictas pænas pecuniarias non applicent neque locis delinquentium, neque locis piis suis, sed potius ad luxus, & conversationẽ & in propriam utilitatem; & potissimum, si, illas exigant pro criminibus tolerandis, non pro emendandis; & potius ut lucrum proprium, quam criminis emendationem venentur. Hinc *Isidorus* ait: *Cito violatur auro justitia, nullamque reus pertimescit pænam, quam scit pecunia posse redimere.* Pænæ enim compositio, tunc facienda est, quando ea pæna magis timetur quàm alia; Hinc divitibus cum magna cautela, & prudentia imponenda est; solet enim præstare occasionem delinquendi maximam; Unde text. *in cap. pauper. 11. q. 3.* habet, quod *nullã reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat*; Crescit namque *multitud. peccandi, cum redi-*

redi mendi spes datur, & facilè itur ad culpam; hi est venalis ignoscentium gratia, ut scribit *Arnobius lib. 7. adversus Gentes* secus esset ergà non divites. Et ideo commune adagium est inter nostros rusticos, ut cum sint ab aliquo provocati soleant dicere: O utinam, & Curia acciperet pro pœna paleam!

8 Sed modò nota ex *Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 34. n. 39.* quod triplex est forum, *Contentiosum*, quod etiam *externum*, & *publicum* dicitur, & est quando quis absolvitur à censuris, servata forma judicii, & solemnitate ab Ecclesia præscripta. Secundum dicitur *forum Pœnitentiæ*, seu *internum*, & est quando quis audita peccatorum confessione à peccatis simul, & à censuris absolvit. Tertium dicitur *forum Conscientiæ*, & est quando habens authoritatem ordinariam, vel delegatam, extra sacramentalem confessionem, censuris innodatum absolvit; Sed tamen in *foro secreto*, hoc est sine testibus, & forma judicii; quæ facultas absolvendi in foro conscientiæ dari potest extra confessionem; Quia censura, etsi culpam supponat, in se tamen culpa non est, sed pœna: Pœna autē ex natura sua non petit auferri in sacramento Pœnitentiæ.

9 Circa dictam conditionem, confessarius non absolvat pœnitentem, qui tenetur satisfactionem pecuniariam parti læsæ præstare, nisi debita satisfactione præmissa; & præcipuè, si facultas sit delegata cum hac clausula: *satisfactâ prius parte*. Quod si ea tunc commodè fieri non possit, debet pœnitens, præstare cautionem pignoratitiam; Quia pignus stat loco solutionis; Si non potest dare pignus, præstare debet cautionem fidejussoriam; Si verò etiam hæc sit difficilis, & quod non inveniatur, vel periculum subsit, ne delictum publicetur, præstanda est cautio juratoria, ut decernitur in cap. *eos, qui de sent. excomm. in 6.* & docent *Abbas, Sanchez, Leo. Cor. in. Bass. Bon.*

10 Dictus cautionis ordo, ut docet *Delbene de offic. S. Inquis. part. 1. dub. 66.* saltem est servandus in delictis Bullæ cœnæ: In aliis verò sufficere promissionem satisfaciendi.

11 Si verò debitum non sit pecuniariū, sed honoris, vel doctrinæ, tunc non tenetur pœnitens præstare cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam, sed sufficit si juramento spondeat, se restituturum, cum primum poterit, læsum honorem; vel deceptum ad suam doctrinam reducturum, *Suar. de cens. disp. 21. sect. 3. n. 1. Sanch. lib. 1. moral. cap. 13. n. 23. & Delb.*

12 Si autem postea cum possit, non satisfaciat, docent *Card. Fill. Hur. Suar.* reincidere in eandem excommunicationē, quia sub ea conditione conceditur absolutio. At alii cum *Nav. & Dicast. n. 381.* docent non reincidere, nisi qui absolvit, absolvat ad reincidentiam; quod solum habens ordinariam potestatem efficere potest, quia censura est absolutè sublata; Si autem pœnitens falsò dicat, se satisfecisse parti læsæ, absolvitur invalidè, nisi absolvens posset, & vellet absolutè absolvere.

13 Si verò pœnitens dubitet de satisfactionis obligatione, docent *Nav. Suar.* &c. pro foro externo posse absolvi; quia in hoc censetur peti satisfactio pro debito certo. In foro autem interno, si pœnitens certus sit, se damnum intulisse, & dubitet, an satisfecerit? tenetur satisfacere prius, quia possessio est pro obligatione. Si autem dubitet, an damnum intulerit? potest absolvi, quia possessio est pro libertate. Debet tamen habere propositum satisfaciendi, si aliquando constiterit, læsionem esse factam.

14 In impotentia satisfaciendi in præsens, & moraliter certò semper futura, absque spe potentiæ, ut pote frustranea, non est exigenda satisfactio. Dicta impotentia contingere potest ob impotentiam ipsius rei: ob irresolubile dubium circa qualitatem satisfactionis; & ob pertinaciam partis læsæ, quæ iustæ satisfactioni non vult acquiescere; Vide *Bon. de cens. disp. 1. q. 3. à puncto 9. &* 10.

CAPUT II.

De Juramento de parendo mandatis Ecclesiæ.

APOPHASIS.

1 *Pœnitens in articulo, vel probabili periculo mortis, aut in aliqua urgenti necessitate absolutus a censuris reservatis, debet jurare de parendo mandatis Ecclesiæ, quamprimum commodè possit.*

2 *Si confessarius ex malitia, vel ignorantia non petat a pœnitente juramentū de parendo mandatis Ecclesiæ, pœnitens etiam tenetur.* Cum

1 CUm pauca occurrant dicenda in hoc capite, breviter illud expediemus; Et primò dicendum, quod pænitens absolutus in articulo, vel probabili periculo mortis, aut in aliqua urgenti necessitate à censuris reservatis, debeat jurare de parendo mandatis Ecclesiæ; quod est item, ac de obediendo absolventi, nomine Ecclesiæ, absolutionem impendenti; & in futurum de se cavendo à crimine, ob quod censuram incurrerat, & ab aliis similibus delictis cap *de cætero de sent. excom.* Quod tamen juramentum exigitur in delictis gravioribus, puta Bullæ cœnæ, ab incendiariis, notoriis percussoribus clerici, &c. cap. *ex tenore de sent. excom.* Suar. *de cens. disp.* 19. *sect.* 2. *n.* 10. Sanch. 2. *decal. cap.* 13. *n.* 20.

2 Igitur si Confessarius ex malitia, vel ignorantia non petat hoc juramentum; quamvis pænitens maneat absolutus, tamen retinet opus parendi. Quia talis obligatio oritur ex jure sic præcipiente.

CAPUT III.

De obligatione comparendi coram superiore.

APOPHASIS.

1 *Tertium onus pænitentis absoluti a censura reservata, est comparere cum primum commodè potest coram reservante, nisi sit perpetuo impeditus.*

2 *Quis sit finis dictæ comparitionis?*

3 *Absolutus ab inferiori confessario in articulo mortis a censura reservata sine onere comparendi, adhuc tenetur se præsentare sub pæna reincidentiæ, nisi laboret invincibili ignorantia.*

4 *Tripliciter potest, quis absolvi a censura.*

5 *Absolutus in articulo mortis a censura reservata ab inferiori confessario, probabiliter tenetur cessante impedimento comparere coram superiore. Secus quando fuit absolutus ab habente delegatam jurisdictionem.*

6 *Quantum spatium temporis importet particula illa: Quamprimum, ne absolutus a reservatis ex aliqua causa ab inferiori confessario in eandem incidat censuram.*

7 *Jurans ex ignorantia se præsentandi in impedimento perpetuo, non tenetur se præsentare, si miraculosè cesset impedimentum.*

8 *Obligatus ad se præsentandum, probabiliter non satisfecit suæ obligationi si per procuratorem, aut per literas se præsentet.*

9 *Absolutus in articulo mortis ab excommunicati ne ob enormem, aut gravem clerici percussionem contracta, tenetur personaliter petere Romã; si potest sed ex sententia Laym. potest adire Legatum summi Pontificis.*

10 *Quotuplex sit sedis Apostolicæ legatus?*

11 *De potestate dictorum sedis Apostolicæ legatorum.*

12 *Confessarius simplex absolvens a censuris reservatis sine dictis conditionibus, validè absolvit, quamvis aliqui cum Delbene distinguant.*

13 *Impuberes percutientes Clericos, possunt absolvi sine onere comparendi.*

1 TErtia obligatio pœnitentis absoluti à censura reservata ex aliqua justa causa, est, onus comparendi coram Superiore reservante, ubi primum cessante impedimento commodè potest, cap. *eos, qui de sent. excomm. in* 6. Quod onus non exigitur a perpetuò impeditis, quia inutilis esset, ut docet Sanch. *l. cit. nu.* 25. neque ab incapacibus, nempe à sensibus destitutis, vel non habentibus ætatem pubertatis. An autem hæc obligatio procedat de sola excommunicatione, an etiam de quacumque censura? nempe de interdicto, vel suspensione; Et probabiliter tenendum de sola excommunicatione; quia in jure fit tantum mentio de excommunicationis censura, C. *eos, qui de sent. excomm. in* 6. Excipe nisi fuerit per cedulonem denunciatus.

2 Finis hujus comparitionis est, non, ut superior iterum absolvat, ut constat ex cap. *in dubium de sent. excom.* sed ut tollatur contumacia, cap. *de cætero de sent. excom.* Nec est finis, ut parti læsæ satisfaciat; aliter quando parti satisfactum esset, non deberet comparere coram Superiore, etiam post juramentum, cessante illius comparationis fine.

3 Quæres, an absolutus in articulo mortis ab inferiori Confessario à censura reservata sine onere comparendi, teneatur sublato impedimento se præsentare sub eadem reincidentiæ pœna?

Affirmant *Vasq. Henr. Sanch. Mazz. &c* Quia obligatio hæc non à Confessarii voluntate, sed à dispositione juris Eccle-

si astici dependet; ergo ex oblivione, vel malitia Confessarii cessare non debet. Excipe nisi pænitens laboret ignorantiâ invincibili; quia tunc quandiù durat ignorantia, excusatur à reincidentiæ pæna. quia ad hanc reincidentiam prærequiritur novum contumaciæ peccatum, quod non committit ignorans.

Nec officit quod dicunt adversarii nempe quod jus eam obligationem non imponit, nisi quatenus confessarius, medio exacto juramento, imponit; alias supervacaneum esset exigere juramentum, si illo secluso, adhuc obligatio comparendi consurgeret. Quia non ex vi juramenti; sed ex statuto Ecclesiastico ea obligatio provenit. Quod satis colligunt ex cap. *eos, qui de sent. excom.* Delb. &c.

4 Ubi nota ex *Suar. de cens. disput. 21. sect. 1. n. 62. & Sanch. lib. 2. moral. cap. 13. n. 28.* quod tripliciter quis absolvi potest à censura. Primò absolutè nullo imposito onere se præsentandi Superiori. Secundò cum onere se præsentandi sub pæna censuræ alicujus, similis præteritæ; quæ absolutio dicitur *ad reincidentiam*, in quam reincidit, si cum commodè possit se præsentare, intermittat. Tertiò quis absolvi potest à censura non perfectè, sed imperfectè, nempe ad aliquod effectum V. G. ad testandum, beneficium obtinendum; quæ propriè non est absolutio, sed suspensio alicujus effectus censuræ; quod solum potest fieri à summo Pontifice, ut docent cit. *Suar. & Sanch.*

5 At quod controvertitur modò, est, an absolutus ab inferiori in articulo mortis à reservatis, teneatur cessante impedimento, comparere coram Superiore?

Negant *March. Bass. & Claud. Millard.* apud *Dian. par. 5. tract. 14. resol. 59.* quando censura non est ad forum contentiosum deducta, sed est occulta, aut paucis innotescit. Quia, ajunt, nullo jure, tale onus imponitur; & ut constat ex *Trid. sess. 14. cap. 2.* in articulo mortis evanescit omnis reservatio.

Confirmant, quia absolutus in articulo mortis à reservatis sine censura non habet onus comparendi; quia pro illo articulo cessat reservatio; ita etiam pro reservatis cum censura, ex cit: *Trid.* cessat reservatio; ergo cessat onus comparendi. Secus ad tempus in articulo mortis non absolutè cessaret Reservatio, contrà *Tr.* indefinitè loquens: *Nullam esse reservationem in articulo mortis*; cui derogandù non est. Ita præter cit. docent *Cabassut. in compend. tract. 2. tit. 4. q. 7. Herinc. par. 4. disp. 6. q. 2. n. 17.* ajentes, oppositum esse impossibile.

Alii autem probabiliter cum *Nav. Sa. eb. Laym. & Bon. de cens. disp. 1. q. 3. punt. 3. n. 11. & Croix de pæn. it. n. 1623. 1693.* docent, talem absolutum teneri, tam in censuris occultis, quam notoriis, se præsentare corà Superiore, qui jure ordinario poterat illum absolvere, ut mandatum ejus recipiat, seque obedientem ostendat: decernitur in cap. *eos, qui de sent. excom.* & docet Ecclesiæ praxis. Non tenetur tamē pœnitens comparere, si absolutionem recipiat ab habente delegatam jurisdictionem absolvendi ab illa censura, etiam extra mortis articulum.

6 Sed quæres intra quod temporis spatium absolutus à censuris in mortis articulo, aut ex aliqua justa causa, teneatur cessante impedimento, se præsentare, ne in eadem incidat censuram?

Variant Doctores. Aliqui enim nimis strictè cum *Lugo disp. 15. de Euch. sect. 7.* habent, teneri intra triduum. Verum hæc tridui limitatio valde dura, & rigida videretur, præsertim in hac materia, ubi ad reincidendum in censuram, nova, & lethalis culpa, ac contumacia requiritur; ideo

Dicendum, quod talis sic absolutus à censura reservata, teneatur quamprimum commodè possit, brevi aliquo tempore, post cessationem impedimenti concesso se præsentare, adhoc ut possit sibi de necessariis consulere. Quod modicum tempus, præscribendum prudentis arbitrio, ratione temporis, loci, personæ, aliarumque circumstantiarum. Unde est probabile, quod quoties abest negligentia, & fraus, novaque mortalis culpa, & contumacia, etsi longius triduò protrahatur præsentatio, numquam habet locum reincidentiæ pæna; Cum hæc reincidentia sive nova contractio censuræ, prærequirat culpam lethalem, & contumaciam.

7 An jurans de se præsentando, ex ignorantia, in impedimento perpetuo, teneatur se præsentare, si miraculose cesset impedimentum?

Non tenetur se præsentare; Quia illud juramentum fuit nullum, tanquam de re im-

impossibili, & sic obligationis incapax *l. impossibilium ff. de reg. l. si stipuler. l. generaliter ff. de verb. obligat.* Nec ex reg. jur. in 6. *tractu temporis firmatur, quod jure ab initio nullum fuit.* Neque officit miraculosa cessatio impedimenti: Quia lex imponens onus comparendi, non adaequatur ad rem de raro contingentem; & nullatenus ad rem miraculosam.

Non tenetur poenitens perpetuò impeditus, se praesentare coram superiore, quando Confessarius ex ignorantia ab eo extorsit juramentum se praesentandi. Quia esset cum obligare ad impossibile; nec juramentum, aliquam obligationem inducit; quia sortitur naturam actus, cui adjicitur; estque accessorium ad dispositionem juris Ecclesiastici de se praesentando; sed lex Ecclesiastica non obligat perpetuò impeditum; ergo nec extortum juramentum.

Confirmatur, quia poenitens intendit se obstringere ad quod, ex jure Confessarius poterat obligare, & vicissim Confessarius ad illud intendit obligare poenitentem, ad quod jus Ecclesiasticum falso putavit obligare: Ergo si jus in tali casu ad praesentandum non obligat, neque Confessarius obligabit; quia confessarii obligatio dependet ab obligatione juris.

8 Iterum quaeres, an absolutus ab excommunicatione reservata cum onere se praesentandi, satisfaciat dictae obligationi, si per procuratorem, aut per litteras se praesentet?

Affirmant aliqui: quia quod per procuratorem facimus, per nos ipsos facere dicimus, ex text. *in cap. Episcopus dist. 18.* Ideoque verè poenitens dicitur comparere, *Caiet. Sil. Henr. Sanch. &c.*

Attamen negant cum *Nav.*, & *Sayr.* alii. Quia, cum sit obligatio personalis, non potest poenitens per alium se praesentare, si potest per se ipsum; & ob dictam rationem, si non possit per seipsum recurrere ad Superiorem, non tenetur per procuratorem, aut per literas, *Croix de Poenit. n. 1697. & Viva ad prop. 7. Alex. 7. n. 8.*

9 At in casu excommunicationis ob enormem, vel gravem percussionem Clerici, à qua absolutus in articulo mortis, cum onere comparendi, cum primum potest, tenetur personaliter, si potest, Romā petere (nisi obtinuerit facultatem, ut absolvatur ab Episcopo, vel alio) nec satisfit per procuratorem, sequendo sententiam Cajetani, & aliorum n. *ant.* allatam, ob peculiare hujus delicti gravitatem, odium, & poenam delinquentis, sicuti constat ex cap. *quod de his de sent. excom.* Quae dispositio non extendenda ad alios casus, ut docet Sanch. & Bon. *disp. 1. q. 3. punt. 3. n. 5.*

Addit etiam Laym. lib. 1. tract. 6. cap. 8. §. 7. n. 22. in casu gravis, seu enormis percussionis Clerici, posse etiam adiri summi Pontificis legatum, & ab eo absolutionē à censura Canonis obtineri; ideoque non abs re erit, si hic, aliqua tangamus de sūmi Pontificis Legatis.

10 Triplicis generis potest esse Sedis Apostolicae Legatus. Unus à *Latere*, scilicet S. R. Eccl. Cardinalis, cui aequiparādus est ille, qui missus est cum potestate Legati à *Latere*, etsi à *Latere*, vel *Cardinalis* non sit. Alius est Legatus non à *Latere*, sed missus cum ordinario officio Legati, sive *Nuncii Apostolici* ad aliquam provinciam, vel etiam ad Reges, & Principes. Tertius denique dicitur Legatus *natus*, cui ratione particularis Ecclesiae, nomen, & dignitas *Apostolici Legati* perpetuò competit. Et de his in cap. 1. *de off. Legati*; & de eo agit *Franciscus Leo in thes. for. Eccl. p. 1. cap. 2. n. 25.*

11 Primus nempe Legatus à *Latere*, praeter alia privilegia, quibus praefulget, habet, ut à die discessus ab Urbe usque ad reditum, absolvere possit omnes Clericorum percussores, ut docet Abbas in cap. *excomm. &c. Sil. Laym. &* alii.

Secundus Legatus, nempe non à *Latere*, absolvere potest cum in Provincia, vel Regno moratur, à censura Canonis omnes illius provinciae, vel Regni, ac Subditos illis Regibus, & Principibus, ad quos est missus. Unde Nuntius, seu Apostolicus Legatus, qui residebat Neapoli, credo, quod ex privilegio à summo Pontifice ipsi concesso, poterat absolvere omnes percussores Clericorum huic commissio subjectos.

Tertius demum potest sibi subditos absolvere, vel etiam alios juxta restrictionem, vel amplitudinem privilegii Apostolici, muneri, ac dignitati sua annexi Abbas in dicto cap. *excommunicationis.*

12 Si Confessarius simplex ex ignorantia, inadvertentia, aut ex alia causa, in mortis articulo, à censuris reservatis ab-

absolvit, intermissis di...is conditionibus, an talis absolutio sit valida?

Affirmant communiter cum *Suar.*, & *Sanch.* qui addit idem procedere in excommunicationibus Bullæ cœnæ; imo, & in absolutione extra mortis articulum, si adsit facultas absolvendi; licet talis absolutio sit illicita ob prætermissionem conditionum à jure requisitarum. Quia dispositio juris non inducit conditionem irritantem actum aliter factum.

Tamen aliqui cum Thoma *Delbene de offic. S. Inquis. par. 1. dub. 66. sect. 2. n. 6.* distingunt: quod quando absolutio datur ab eo, qui facultatem habet absolvendi à tali censura, tunc licet absolutio non sit licita, est quidem valida, ob rationem supradictam. Si verò absolutio sit collata ab eo, qui tantum habet potestatem delegatam, ut in casu proposito, tunc, ajunt, nec validam esse reputandam absolutionem, quoties constitutus in eo articulo nullâ excusatur impotentiâ.

13 Pueri verò doli capaces, percutientes Clericos, si non dum ad pubertatem devenerint, possunt absolvi ab Episcopo. sine prædicto onere, ut diximus *qu. 2. cap. 3.* Quod etiam est verum, etsi absolutionem postulet post pubertatem; Cum in delictis, tempus criminis, non sententiæ sit attendendum cap. *ult. de sent. excomm.*

CAPUT IV.

Quando absolvi valeat pænitens sine prædictis oneribus?

APOPHASIS.

1 *Casus in quibus potest absolvi pænitens sine prædictis oneribus.*

1 In duobus casibus pænitens potest absolvi sine prædictis oneribus. Primò si absolutio sit tantum à peccatis reservatis sine censura, nec sit satisfactio facienda parti læse, text. in *cap. ea noscitur, in cap. de cætero, in cap. non dubium de sent. excom. in cap. eos, qui de sent. excomm.* ubi loquitur de excommunicatione reservata absolvenda, non autem de reservatis sine censura, docent etiam *Cordula, Suarez, Sanchez,* & alii communiter. Nec Episcopus potest tale onus imponere, cum jure communi non sit adjectum, *Arriaga tom. 8. disp. 45. n. 23.*

Secundus casus est in absolutione obtenta vi Jubilæi aut alterius privilegii: Tunc enim absolutè absolvitur nomine summi Pontificis sine onere aliquo, servatis in jubilæo servandis, *Henr. Suar. Sanch. Bon. de cens. disp. 30. pun. 3. n. 15.* & textus in *cap. eos, qui de sent. excom. in 6.* tale onus imponit absolutis, stante impedimento, non vi jubilæi; in quo, sicut virtute alterius privilegii, iterum possunt absolutionem obtinere, sic se eximere ab onere se præsentandi, qui ex justa causa ante fuerunt absoluti à censura reservata cum onere se præsentandi. Quia prior absolutio non obstat quominus pœnitens possit novam absolutionem absolutâ obtinere, ut docet *Henr. lib. 6. de pæn. cap. 10. n. 5.* littera G. Tum etiam quia onus cõparendi pœnitenti impositum, in tantum viget, in quantum ipse intendit frui privilegio absolutionis obtentæ, ob causam necessitatis. Atqui pœnitens in hoc casu, non primo privilegio, sed secundo, idest concesso ratione Bullæ, intendit frui; ergo &c. *Sanch. Suar. Laym.* De aliis causis excusatibus à prædictis oneribus, sparsim dictum est supra. Ideo ad ulteriora procedendum.

QUESTIO VII.

De concessione facultatis absolvendi a casibus, & censuris reservatis.

1 Duobus modis fit delegatio, seu conceditur licentia absolvendi a reservatis, Directè, & Indirectè *Directè* fit cum conceditur facultas sacerdoti absolvendi pœnitentes reservatis obstrictos. *Indirectè* fit, cum datur pœnitenti licentiam eligendi confessarium, qui ipsum a reservatis absolvat. Et similiter tribus modis potest a superiore concedi facultas prædicta. Primò *absolutè*. Secundo *ad certum tempus*, vel *ad certas personas*, vel *delicta* Et demum *ad tempus incertum*. De singulis itaque agendum.

CAPUT I.

De facultate directa cõcessa absolutè

APOPHASIS.

1 *Potestas absolvendi à reservatis concessa absolutè, durat, donec positivo actu revocationis revocetur.*

2 *Quid sit privilegiũ, & gratia? ac etiam quid sit licentia, & demum in quo differat privilegiũ a gratia, & licentia?*

3 *Licentia duplex est Generalis, & Specialis. Ad absolvendum sufficit licentia verbalis.*

4 *Si plures superiores idem peccatum, vel censuram reservent, sufficit licentia utriusque ad absolvendum; dummodo sint inæqualis potestatis, & novum jus non condant. Secus si unus independenter ab alio reservet.*

5 *Si superiores sint æqualis potestatis, & quilibet reservet idem peccatum, etiam condendo novum jus, una est Rerervatio, & sufficit licentia successoris. Idem dicendum; si idem superior pluries repetat Reservationem.*

6 *Si inferior concederet licentiam absolvendi a suis reservatis, & illi etiam sint superiori reservati, tunc tollitur tantum Reservatio inferioris.*

7 *Si confessarius habet facultatē a Pontifice absolvendi ab aliquo casu reservato, non indiget licentia Episcopi, si ipsi etiam sit reservatus secus si casus sint diversi.*

8 *Si Pontifex concederet alicui Sacerdoti potestatē absolvendi omnes casus, quos ipse potest, tunc tollitur omnis Episcopi Reservatio. Sicuti etiam probabiliter; si diceret: concedo tibi facultatē ut possis absolvere omnes casus Pontificios.*

9 *Si Pontifex concedat facultatem absolvendi casus, quos sibi ipsi reservavit, si idem casus, sit etiam reservatus Episcopo, tunc potest absolvi. Secus si casus sint diversi.*

10 *Quando Pontifex in Bulla Jubilæi concedit absolutionē casuū Pontificiorum, possunt absolvi etiā Episcopales.*

1 Potestas absolvendi à reservatis concessa *absolutè*, durat donec revocetur positivo actu revocationis; ideoque etiam mortuo, vel amoto ab officio concedente, durat *Tamb. lit. 4. de pænit. §. 10. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 72.* Quia est gratia facta, & privilegium, quod non cessat mortuo, vel amoto ab officio cōcedēte.

2 Privilegium, seu gratia, est constitutio Legislatoris tribuens specialem aliquem favorem ad plures actus. Licentia vero; est gratia concessa alicui, per quam sibi licet, quod prius non licebat. Differt tamen privilegium à gratia, & licentia, quia hæ dantur ad unum, vel paucos actus privilegium verò se habet per modum cōstitutionis stabilis. Et ideo si strictè loquamur non sunt idem; cum gratia unico actu terminari possit. Differt etiam licentia ab approbatione, quia licentia, est gratia cōcessa; approbatio verò, est approbare id, quod prius factum est; quæ quotuplex sit, vide *Graff. lib. 5. consil. 17. n. 9.*

3 Licentia duplex est, una Generalis, Specialis altera. De prima agitur in *Clem. dudum de sepulturis*. Specialis, quæ ad nos spectat, est, ut dictum est quando datur licentia circa actum aliquem in specie. Licentia ad absolvendum, sufficit si fit verbalis; nec est necesse, ut cōcedatur in scriptis. Quia ad essentiam, & naturam gratiæ non requiritur scriptura; & omnis dispositio potest fieri verbo, nisi canon, aut lex requirat scripturam ad valorem actus, ut *Trid. sess. 25. cap. 5.* eam requirit in ingressu monasterii monialium.

4 Sed petes, cujusnam superioris licentia requiratur ad absolvendū peccatum, si plures superiores reservent illud idem peccatum?

Dico cum *Tamb. de methodo confessionis cap. 1. §. 16.* quod superiores idem peccatū, vel censuram reservantes, possunt esse vel æqualis, vel inæqualis potestatis. Si superiores sint inæqualis potestatis, & novum jus non condant; tunc quolibet ex dictis, reservationem auferente, jam casus non remanet reservatus, & utriusque licentia sufficit. Quia tunc una eademque reservatio firmatur, & repetitur. At si superiores sint inæqualis potestatis, & quisque vult condere suam legem, & novam reservationem, ut quando unus independenter ab alio reservat aliquod peccatum, plures sunt reservationes. Quia tunc jurisdictio confessarii ligatur à duabus legitimis potestatibus, idem peccatum reservantibus.

5 Si verò sint æqualis potestatis, & quilibet idest successor, & præcessor reservat idem peccatum, etiam condendo novum jus, una est reservatio, & sufficit licentia successoris; Vel si idem superior pluries repetat Reservationem illam, tunc idem dicendum; quia unica est reservatio, qua restringitur confessarii jurisdictio.

6 Si tamen inferior, V.G. Episcopus cōcederet licentiā absolvendi à suis reservatis, & illi casus sint etiam Pontifici reservati; tunc tollitur Reservatio Episcopi sed remanet illa Pontificis.

7 At si confessarius haberet facultatem à Pontifice absolvendi à casu aliquo reservato, non indiget speciali licentia Episcopi, si alia via sit ordinario reservatus.

Quia

Quia ablato majori ligamine, non remanet aliud minus. Secus dicendum si casus sint diversi; quia in *diversis non tenet consequentia.*

Nec obstat illud: *qui potest majus, potest minus:* Quia hoc non semper in *moralibus* & ex libera alterius voluntate pendentibus, valet.

8 Attamen cit. *Tamb.* pro majori claritate sic distinguit: Si enim Pontifex concederet, alicui sacerdoti facultatem absolvendi omnes casus, quos ipse absolvere potest, tunc tollitur quæcumque Episcopi Reservatio: Quia sũmus Pontifex omnes casus reservatos absolvere potest; Ergo & ille, cui concessit. At si Pontifex dicat: Concedo tibi, ut possis absolvere omnes casus pontificios, tunc etiam probabiliter docent, concessionem, amplè esse intelligendam, cum sit privilegium. Et idem resolvas de multiplicitate censurarum ob diversitatem præcipientium.

9 Si verò conceda licentiam absolvẽdi casus reservatos summo Pontifici, hoc est casus, quos sibi ipsi reservavit; tunc alia distinctio adhibẽda est; Si enim est, idẽ casus, tollitur omnis Reservatio, & potest absolvi. Quia Episcopus nõ potest restringere eam jurisdictionem, quam ample Põtifex concessit.

Si autem sint diversi casus, ut si summus Pontifex reservet incestum, & Episcopus stuprum, tunc confessarius absolvere non potest stuprum absque Episcopi licentia. Quia tunc Pontifex concedit illi tantum casus, quos sibi reservavit.

10 Ex dictis sequitur, quod quando Põtifex in Bulla jubilæi concedit absolutionem casuum pontificiorum, concedit etiam, quod possint absolvere, etiam à reservatis Episcopis, ut dicetur de interpretatione concessionum facultatum *quæst.* ult. *cap.* 1. *n.* 4.

CAPUT II.

An quando plures latæ sunt Reserservationis pœnæ pro uno peccato, tollantur per unicam facultatis concessionem, & absolutionem?

APOPHASIS.

1. *Si plures Reservationes, latæ sint ab eodem superiore, una sublata, omnes tolluntur per unicam absolutionem.*

2. *Si Reservationes latæ sint à Superioribus inæqualis potestatis, tunc facultas superioris sufficit ad tollendam reservationem inferioris, & nõ e cõtra*

3. *Si Episcopus reservaret aliquod peccatum sine censura, si postea Papa illud idem reservaret, cessaret Reservatio Episcopi.*

4. *Si in patratorem alicujus delicti plures censuræ reservatæ, latæ sint à multis superioribus æqualis potestatis, omnes tolluntur per unicam concessionem, & absolutionem.*

5. *Si plures censuræ reservatæ, latæ sint à multis superioribus inæqualis potestatis, tot sunt, & incurruntur censuræ quot sunt ferentes; modo quisquis censuram tanquam suam tulerit, & intenderit condere novum jus, & pœnam imponere.*

1 Si plures latæ sint Reservationis pœnæ ab eodem vel ab æquali superiore, tũc una sublata omnes tollũtur. Quia hujusmodi reservationes, licet materialiter sint plures; formaliter tamen censetur unica, hoc est unica jurisdictionis negatio; & consequenter per unicam facultatis concessionem, & absolutionem, omnes tolluntur sicuti & multiplici concubitu cum eadẽ fœmina non contrahuntur plures affinitates. Nomine autem ejusdem superioris intelligi debet, non tantũ, qui Reservationem tulit, sed etiam qui eadem potestate fungitur, uti successor, & prædecessor.

2 Si verò plures Reservationes latæ sint à multis superioribus diversam potestatem habentibus, puta ab Episcopo, & Papa, tunc certum est facultatis cõcessionem ab Episcopo obtentam, non sufficere ad tollendam Reservationem à Papa inductam, quæ est altioris potestatis & in eam nihil juris habet Episcopus. Unde dempta Episcopali Reservatione, adhuc Papalis remanebit. *Nav.* & *De Lugo de Sacram. Pœnit. disp.* 20. *sect.* 8. *n.* 149. qui docet, longè esse diversam rationem Reservationis Papalis, & Episcopalis simul, respectu ejusdem delicti. Nam quamvis ablata Reservatione Episcopali, non tollatur Papalis, tamen vice versa ablata Papali, tollitur etiam Episcopalis.

3 Imo S. Cong. jussa *Clem.* 8. anno 1601. apud *St. phanum Quaranta* in *sũma Bullari*, verbo *cas. reser. n.* 14. prohibuit, & decrevit, ne de cætero Episcopi sibi reservẽt casus sedi Apostolicæ specialiter reservatos. Unde si Episcopus reservet sibi ali-

 quod

quod peccatū sine censura, & postea Papa illud idem reservet, Episcopi Reservatio omninò cessaret. Quia ob Reservationem Papalem statim intelligitur ablata Episcopo facultas absolvendi ab illo peccato, De Lugo Mascar. & alii. Dixi absque censura, quia si reservatæ culpæ esset annexa censura, videretur dispar ratio; ideo

4 Quæres demum, an quando in patratorem alicujus delicti, plures latæ sint censuræ reservatæ, unica ablatā, omnes tollantur?

Dico quod quando plures censuræ reservatæ, latæ sunt à multis superioribus eandem potestatem habentibus, ut supradictum est, omnes per unicam facultatis concessionem, & absolutionem tolluntur. Quia sicut ferentes censuram, eo casu etsi materialiter sint multi, formaliter tamen in potestate, & in ordine ad inducendam obligationem, censentur unus; ita etiam latæ ab ipsis censuræ, etsi materialiter sint plures, formaliter tamen censentur unica & potius videntur esse plures leges censuram ferentes, eundemque actum prohibentes, quam plures censuræ, & consequēter una ablata, omnes tolluntur.

5 Si verò plures cēsuræ latæ sint à multis superioribus diversa potestate fungētibus, tot sunt, & incurruntur cēsuræ, quot sunt ferentes; modò quisque censuram tulerit tanquam suam, & intenderit novum jus ferre, novamque imponere pœnam; & consequenter potest pœnitens ab una absolvi, altera remanente. Quare si Episcopus sententiam excommunicationis tanquam suam, & à se latam contra ingredientes septa monialium decernat; hæc diversa, & distincta, quæ per constitutionē Greg. 14. decernitur, habenda erit. Quia authores sunt diversi, neque eadem potestate fungentes, ut successores, & prædecessores; & proinde ablata Reservatione Episcopali, non tolleretur Papalis, & è cōtra. Sayr. Egid. Suar. Fill. Conin. &c.

Dixi tanquam suam; quia si Episcopus ferret eam excommunicationem, tanquam per innovationem, & publicationem illius, quæ lata est per constitutionē Papalē jam eidem cum illa censenda est; consequenter contrafacientes unicam excommunicationem reservatam ex unico facto incurrerent DD. cit. cum Nav.

CAPUT III.

De delegatione directa, concessa ad certum tempus.

APOPHASIS.

1 *Licentia absolvendi a reservatis concessa ad certum tempus, durat usque ad tempus designatum, & præfixum, nisi positivè ante revocetur. Nec cessat, re, ad hæc non integra.*

2 *Facultas absolvendi a reservatis concessa per annū, durat usque ad eandem diem termini sequentis anni, et si non non sit improbabile, quod dies termini non computetur in termino.*

3 *Quando potestas, est concessa ad determinatas personas, aut delicta, confessarius non potest alias personas præter determinatas, aut delicta alia absolvere.*

4 *Docent nonnulli, quod confessarius, cui concessa fuit licentia absolvendi a reservatis semel in hebdomada, si in una hebdomada non sit ea usus, potest in alia bis uti, sed non eadem die.*

5 *Petens licentiam absolvendi determinatam personam sua mente conceptam, probabiliter potest absolvere aliam diversam personam.*

6 *Facultas absolvendi a reservato, probabiliter extenditur ad alios casus ante absolutionem commissos, & potissimum, si sit concessa per modum privilegii. Secus docent aliqui quando est concessa per modum casus necessitatis.*

7 *Facultas concessa cum determinato criminū numero aut concessa in casu particulari, etiā probabilitur extenditur ad alia post obtentam facultatem commissa excipe casum percussionis clerici.*

8 *Pœnitens invalide confessus confessario habenti limitatā, quoad tempus, facultatem, illo tempore elapso, remanet probabiliter reservata, si scienter, & dolosè egit.*

1 Licentia, seu facultas concessa ad certum tempus, V.G. per mensem; per quindecim dies, per unam, vel duas vices &c., durat usque ad tempus designatū; nec cessat ante tempus præfixum, nisi positivo actu revocetur; Neque si res non sit adhuc integra; ut si confessio ob aliquam causam non potuit compleri in tempore præfixo. Quia tunc cum sit cœpta confessio intra tempus statutum, radicem in delegato (ut jura ajunt) sit jurisdictio. Igitur licentia con-

concessa super casus reservatos, intelligitur de unico actu completo, *l.boves §.hoc f. rmone ff. de verb. sign.* Ideoque si pœnitens obliviscatur de aliquo reservato, potest iterum ad confessarium revertere. Et hoc docent valere, etiam si pænitens peracta confessione, ante communionem committeret reservatum. Quia licentia V.G. concessa pro una vice intelligitur de unico actu perfecto, idest ante communionem, cui est confessio præambula, *Graff. de cas. res. er. lib. 1. append. aur. cap. 7. n. 50. & 51.*

2 Licentia absolvendi à reservatis cōcessa ad annū, V.G. à 1. die Januarii 1730. ex *Tamb. de conf. res. r. cap. 10. n. 3.* durat usque ad diem 1. Januarii 1731. Quamvis alii cum *Pellizz.* doceant durare usque ad diem 3. Januarii. Quia dies termini non computatur in termino.

3 Quando facultas est concessa ad certas, & determinatas personas, vel tantum pro certis delictis, tunc confessarius non potest alias personas à determinatis, aut ab aliis criminibus absolvere.

4 Sed an confessarius, cui concessa fuit licentia absolvendi à reservatis semel in hebdomada per mensem, si in aliqua hebdomada, non sit licentia usus, an poterit bis ea uti in alia hebdomada dicti mensis?

Docent aliqui posse, tamen non eadem die; Quia pro illo mense non est expleta deputatio, sed durat. Nec potest bis in eadem die, quia *ly. semel in hebdomada*, non afficit diem, sed actum accessus ad confessiones audiendas. Unde non potest bis, puta, mane, & post meridiem?

5 Quæres denuò, an petens licentiam absolvendi determinatā personam, sua mēte conceptam, valeat absolvere aliam diversam personam?

Negant aliqui cum *Bordono res. reg. n. 38. & Aver. de pœnit. quæst. 17. sect. 6. §. 3.* quorum fundamentum est. Quia licentia pendens ex voluntate superioris, respicit illum pro quo petitur, quem respectum nequit subditus confessarius mutare; Nam subditus nequit mutare, quæ pendent ex volūtate superioris; ergo nequit transferri de persona ad personam.

Sed alii probabiliter affirmant, quia finis superioris concedentis licentiam, est, indulgere confessario, tribuendo illi facultatem, ut possit absolvere personam, quam vult, quæcunque illa sit; ideoque nō respicit determinate personam mente cōfessarii conceptam, nisi confusè, & ab ipso determinandam. Sicuti si Princeps indeterminatè concederet mihi licentiam liberandi aliquem in vinculis detentum, possem, quem volo liberare; etsi in petitio. ne statuerim determinatā personā liberare

6 Quæres demum, an obtenta facultas absolvendi pænitentem à casu reservato, extendatur ad alios similes casus, si in eos idem pænitens post obtentam licentiam, ante absolutionem prolabatur?

Affirmative docent *Sanchez in moralibus lib. 4. Fill. Finellus*, *Dian. & Bon. de legibus disp. 1. q. 3. pun. 7. §. 1. n. 11.* Et quidem tum ante petitionem, tum post facultatis concessionem commissis. Quia petitio, & concessio tacite intelliguntur de iis, & similibus casibus, qui post illam concessionem clavibus bona fide subiicientur; Et etiam, quia privilegium, omnibus consideratis, censetur conferre ad salutem animæ, ne peccator sordescat in delictis, etiamsi inde per accidens peccandi ansam arripiat. Et dicta sunt vera, sive petitio absolvendi sit generalis, sive specialis cū expressione peccatorum, sive facta sit à cōfessario, sive à pœnitente. Quia talis concessio, cū sit favor, & gratia, amplianda est.

Tamen *Vingadht* cum *Jacobo Mancino* docent, quod quando facultas conceditur per modum privilegii tunc, ajunt, facultatem censeri concessam pro peccatis commissis, & committendis. Quia privilegium respicit tempus præsens, & futurū. Quando verò datur per modum *casus necessitatis* (ut in præsentiarum) dicunt: quod dicta censetur tantum concessa pro illis peccatis, quæ pœnitens habet, dum licentiam petit; Quia hœc censetur esse mens superiorum, & ita responderent, si de his interrogarentur.

7 Idem probabiliter dicendum est si talis facultas sit cum determinato criminū numero. Quia mens superioris præsumitur pro illa vice velle pænitenti indulgere, ut optatam obtineat peccatorum remissionem: & sic talis concessio ad peccata etiam post obtentam facultatem commissa potest extendi. DD. cit. Idem etiam dicas de facultate concessa in casu particulari absolvendi aliquem à censura, vel dispensandi in irregularitate ob datas rationes. Excipe tamen casum percussionis Clerici (in quo fieri debet judicium de gravitate, vel levitate percussionis . . . . : etiam.

etiam excommunicationem ob procurationem abortus fœtus animati, effectu secuto, in quo vinculo tollendo, requiritur specialis cōfessarii deputatio, ut diximus in *casu tertio cum censura*.

8 Difficultatur modò, an pœnitens invalidè confessus V. G. quia ob verecundiam tacuit aliquod peccatum reservatū confessario, cui data fuit limitata facultas E.G. à primis vesperis nativitatis usque ad diem octavam, possit postea à quocunque confessario, ab illo reservato absolvi?

Grassius *lib.5. de pœnit. & remiss.consil. 13.à n.1.* asserit posse absolvi. Quia per licentiam semel à Prælato subditis concessam, omnia peccata desinunt esse reservata, & sunt solubilia, Textus in *l.cum ex causa, C. de remiss.pign.cap. quidem, cap. plac. t de convers. conjug.* ubi obligatio semel extincta nunquam reviviscit.

Sed postea idem *Grass.à.n.5.* inclinat in negativam partem, asserens, quod authoritas, quoad casus reservatos, non extendatur ad non confessa. Probat 1. quia authoritas fuit concessa, ut quis possit absolvi: & absolutio necessario præsupponit confessionem; Ergo cum quis non fuerit confessus peccata reservata, fit quod per authoritatem illam primævam, non desierunt esse peccata reservata. 2. quia fraudulenter fecit contra mentem superioris, qui ideo spontaneè, & motu proprio hanc dedit facultatem, ut possit quisque purâ conscientiâ accedere ad sanctissimam Eucharistiam; Sed iste impura conscientia accedit, quia ex iniusta causa dimidiavit confessionem, ergo ei fraus, & dolus patrocinari non debet. 3. quia quando conceditur cum tempore determinato, finito tempore, extinguitur authoritas.

Probat 4. quia quando datur facultas ad aliquid faciendum, perditur, non faciendo cum potest; sed in hoc casu authoritas fuit concessa confessori usque ad diem octavam, qua authoritate cum uti posset pœnitens, noluit; Ergo illa fuit extincta. Cū enim fuisset concessa limitate, limitatum habet effectum *l. in agris, ff. de acq.rer. dom.* Idem docet *Bon. de Sacram. Pœnit. disp.5. quæst.7. sect.5. pun.5. §.7. n.9.* cum multis aliis dicens, quod pœnitens, qui confessus est invalidè superiore habenti facultatem reservatorum virtute jubilæi, non remanet absolutus quo ad Reservationem; Quia virtute jubilæi conceditur facultas absolvendi verè pœnitentes. Si autem pœnitens sit confessus superiori facultatem habenti extra jubilæum; Tunc remanet absolutū quoad Reservationem peccatorum manifestatorum in cōfessione quia satisfecit fini Reservationis. & confessarius debitam medicinam, & satisfactionem adhibuit vide cit. *Bon. & dict. disp. 3.q.4.cap.4.n.9.*

Concedit tamen dictus *Grass.* posse absolvi, si fecerit confessionem fictam ob alias causas V.G. ob defectum contritionis, propositi, doloris &c. Et *Viva de jubilæo quæst.11.art.ult.* ait, quod bona fide absolutus invalidè, si non confiteatur sacrilegè, probabiliter remanet immunis à Reservatione censurarum, & casuum reservatorum. Vide in dicta *disp.3.quæst.4. cap.4.n.7.*

Dixi supra *spontaneè, & motu proprio*, quia dictus *Grass.* assignat discrimen inter authoritatem concessam *motu proprio* ab illa quæ fuit concessa *ad petitionem* aliorum. Quia in primo casu superior videtur habuisse intentionem, ut ea facultate possit uti, si rectè, & ritè confiteatur. At in secundo per concessionem factam pœnitenti, suæ authoritatis, statim desierunt peccata esse reservata; Unde licet ex defectu contritionis, confiteatur, vel non velit illa facultate, uti, pro nunc, potest uti quando vult; Quia ordinarius absolutè illam concessit. Neque obstat, quod dicta authoritas extendatur etiam ad peccata reservata nō confessa; quod verum est, ait, quando illa non confiteretur per oblivionem. Secus in nostro casu ubi malitiosè tacuit.

CAPUT IV.

De delegatione directa, concessa ad tempus incertum.

APOPHASIS.

1 *Quibus formulis solent concedi licentia ad tempus incertū, & quando expiret?*

2 *Facultas concessa sub formulis donec mihi placuerit; voluero, vel ad meum beneplacitum, et si videatur revocari eo ipso, quod non adest voluntas, & beneplacitum superioris; tamen, ut talis potestas pereat, debet a superiore revocatio intimari ei, cui dicta facultas concessa fuit.*

3 *Concessio sub dictis formulis, docent cum Sanch. expirare post mortem concedentem-*

dentis, aut amotionem ejus ab officio; etiam si adsit volitio amoti.

4 *Quado facultas est concessa ad beneplacitum sedis Apostolicæ seu Episcopalis, tunc durare perpetuò asserunt, nisi a successore fuerit revocata.*

5 *Alii vero dicent, concessiones sub formulis n.2. concessas, non expirare per mortem concedentis, aut amotionem ejus ab officio, nisi, a successore, vel ejus superiore positivè revocentur; & explicant cap. si gratiosè.*

6 *Obtinens facultatem impersonaliter absolvendi aliquam personam, potest illam absolvere, & absolvi.*

1 Concessio ad tempus incertum his formulis concedi solet: Concedo tibi facultatem absolvendi à reservatis, donec aliter ordinavero, donec revocavero, vel usque ad aliud &c. In his enim formulis, ut Superior concessionem tollat, debet positivè revocare; aliter perseverabit, & concessio talis durat post mortem concedentis, vel amotionem ejus ab officio; sicuti non expirat re non adhuc integra, idest illa facultate à Confessario non dum in actu radata, *cap. si nulla de præbendis in 6.* sed in utroque casu illa concessio est gratia, iam facta, non facienda, ergo &c. Vingadht *de conf. reser.*

2 Si verò Superior dicit: concedo tibi facultatem absolvendi donec mihi placuerit, voluero; ad meum beneplacitum; quamvis doceant, quod in his formulis videtur non debere necessario interponi actum positivum voluntatis, ut Superior concessionem revocet; sed revocabitur eo ipso, quod voluntas, & placitum Superioris non adfuerit. Tamen ut delegatio, seu potestas absolvendi legitimè pereat, debet à Superiore revocatio intimari ei, cui dicta potestas concessa fuerat per nuncium, sive per edictum; aliter Confessarius licite, & validè potest absolvere, communiter docent cum *Sanch. lib. 3. de matrim. n. 12. & 13.*

3 Et circa supradictas ultimas formulas, nempe ad *meum*, vel *nostrum beneplacitum*, an durent post mortem concedentis, vel amotionem eius ab officio? In duas classes dividuntur Doctores, alii cum *Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 52.* docent, talem concessionem expirare per mortem concedentis, vel amotionem eius ab officio. Quia concessio facta per tales formulas, requirit, ut perseveret continuata volitio, & concedentis beneplacitum, atqui post mortem, non volitio, non placitum, nec beneplacitum adest concedentis; ergo, &c. & ideo in *cap. si gratiosè de rescriptis in 6.* Sic habetur: *Si gratiosè tibi à Romano Pontifice concedat r, ut beneficia, quæ tempore suæ promotionis obtimbas, posses usque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere, hujusmodi gratia, per eius obitum:* (per quem ejus beneplacitum omninò extinguitur) *eo ipso expirat.* Et post amotionem ejus ab officio, etiamsi adsit volitio, est illegitima, & impotens ad conservandam jurisdictionem; Quia amplius Superior non est. Vide dicenda *n. 5.*

4 Secus autem si usque ad Sedis Apostolicæ, seu Episcopi beneplacitum gratia, seu licentia ipsa concedatur. Tunc enim quia sedes ipsa non moritur, durare perpetuò asserunt, nisi à successore fuerit revocata. Demum si cupitis scire, quando revocantur privilegia, quæ dantur cum clausula: *ut non censeantur revocata, nisi de iis fiat de verbo ad verbum mentio.* Vide *Barb. de clausulis, clausula 43. n. 17.*

5 Alii enim cum *Castr. Pasq. Hur.* &c. docent concessionem *nu. 3.* dictam non expirare per mortem concedentis, aut amotionem ejus ab officio, donec à Successore, vel ejus Superiore positivè revocetur. Ratio est quia exto illæ formulæ significent, debere permanere volitionem concedentis, ut concessio perseveret: Tamen si non revocetur hujusmodi voluntas, *habitualiter*, & morali modo manet; Quia dum quis non retractat voluntatem aliquid faciendi, dicitur in illa habitualiter persistere, & morali modo: Cum ergo concedens, qui è vita discessit, vel amotus est ab officio, non retractaverit voluntatem, in eadem permanere dicendum est. Unde hæ postremæ formulæ coincidunt cum primis.

Atque ideo ad *cap. si gratiosè*, in quo habetur, quod concessio gratiæ ad beneplacitum, expirat morte concedentis, dicunt, quod est verum in materiâ ambitiosa, & restringibili, cum loquatur de materia multum restringibili, nempe de beneficiis vacaturis, quando scilicet Pontifex concedit alicui gratiam, ut provideatur de beneficiis, quæ vacabunt pro tem-

tempore, quo ipsi Pontifici beneplacit um erit: quæ concessio vult expressè, ut solum intelligatur de beneficio vacaturo, dum vivet ipse Pontifex, ut non præjudicaret Successori, cui competit conferre beneficia, quæ suo tempore vacant. Et idem est de officiis temporalibus. Et ideo nihil est contra nos, *Sanch.& Tamb.lib. 4.de Pœnit.cap.4.§.10.*

6 An obtinens facultatem impersonaliter absolvendi aliquam personam, possit eam absolvere,& absolvi?

Affirmant *Arriaga Aver.& Diana par. 3.tract.4.resol.142.* Quia tunc non est data facultas absolvendi pœnitenti determinatè. Nam concessio est impersonalis; & sic est concessa Confessario, vel pœnitenti indeterminatè, determinando ab ipsis. Ideoque petens, valet determinare personam pœnitentis absolvendi, & Confessarii absolventis; ideoque seipsum ut absolvendum determinare, & eligere Confessarium à quo absolvatur. Sicque petens facultatem absolvendi pœnitentem indeterminatum, valet pro suo libito aliquem absolvere. Quia tunc non excedit fines concessionis, neque alterat Superioris voluntatem, *Bord.Aver.& Quarti.*

CAPUT V.

De Delegatione indirecta,

APOPHASIS.

1 *Confessarius obtinens facultatem eligendi sibi confessarium, potest ipse confessarius eligere confessarium, ut absolvatur. At si petens non indiget, non potest illam alteri pœnitenti concedere.*

2 *Pœnitens habens licentiā eligendi sibi confessarium, qui eum absolvat, probabiliter est directè absolutus, & si ex ignorantia certiorem non fecit confessarium de tali licentia; Tamen contrarium tenet Tamb.*

3 *Si pœnitens post obtentam licentiam, ut absolvatur a reservatis, nulla alia reservata committat, docent per illam licentiam posse absolvi post plures annos, etiam si mortuus, aut amotus fuerit ab officio superior, qui eā concessit.*

4 *Incidens in reservata ob confidentiam licentiæ obtentæ, vel obtinendæ, potest absolvi, nisi contrarium exprimatur in licentia, vel nisi restricta sit ad tale, vel tale peccatum.*

Quando licentia concessa est absque ulla mentione peccati, etiam si concessa sit pro una vice, potest absolvi peccatum iterarum ante absolutionem.

1 Confessarius pœnitens obtinens facultatem, ut eligat sibi Confessarium, potest ipse Confessarius eligere Confessarium ut absolvatur. Quia tunc se habet ut pœnitens cui concessa fuit facultas eligendi sibi Confessarium, *Villalobos, Aver.Dian.Arr.Flor.Lug. &c.* At obtinens facultatem, ut absolvatur ab approbato Confessario, si non indiget, non potest illam alteri pœnitenti concedere; quia nequit lic entia pendere ex voluntate pœnitentis, neque excedere fines concessionis, cum nequeat subditus Superioris voluntatem alterare.

2 An autem pœnitens habens à Superiore licentiam eligendi sibi Confessarium simplicem, ut eum absolvat à reservatis, sit directè absolutus, si ex ignorantia non certiorem fecit Confessarium de tali licentia, ideoque bona fide eum absolvat?

Quidam cum *Suar.*, & *Merolla* apud *Tamb.§.2.n.10.* affirmant, quia effectus licentiæ, seu privilegii, nequit per ignorātiam confessarii impediri. Sed hæc sententia non placet *Tamburrino* docenti, neminem acquirere ullam jurisdictionem, sive contentiosam, sive voluntariam; nisi illam acceptet, sed confessarius hic electus, cui non manifestatur, ipsum electum fuisse, non dum acceptavit jurisdictionem; ergo non potest juridice absolvere; & sanè si sacerdos simplex electus, & approbatus ab Episcopo fuisset in confessarium, si deinde noscat electionem, bona fide absolvat, nō esset valida absolutio, quia non dum acceptavit jurisdictionem; ergo pariter in præfato casu.

3 Quanto autem tempore possit pœnitēs expectare post obtentam licentiam, ut absolvatur.

Dico, quod si pænitens post obtentam licentiam, ut absolvatur à reservatis, nulla alia reservata committat, posse per illā licentiam absolvi, etiam post plures annos ac etiam si mortuus, aut amotus fuit ab officio superior, qui illam concessit. Quia quando gratia est alicui concessa sine limitatione, nec est addicta tempori, non expirat morte concedentis, sed per se est perpetua, nisi positivè reprobetur. *Quintan.ad.Lug. Sanch.* & alii apud *Tamb. de cas.*

cas.reser.§.3.n.1. vide etiam dicenda *quæst. ult.cap.2.n.1.*

4 Valide absolvuntur peccata reservata in confidentiam licentiæ commissa, nisi contrarium expresse exprimatur in licentia; vel nisi sit data tantum ad absolutionē talis, vel talis peccati. Ratio est 1. quia confidentia non tollit potestatem, & licētia obtinenda, vel obtenta est pura, & illimitata, nec debet restringi, quia illa restrictio esset ociosa, cum minuat facultatem confessarii, & pœnitentis, & interpretanda est in dubio, ut uniformetur juri Divino, quo verè pœnitens semper absolvi valet; secus neque posset absolvi peccans spe Divinæ veniæ, & tamen debet omnino absolvi, si verè eum pœniteat. 2. quia delinquens spe immunitatis, gaudet immunitate; ergo etiam delinquens spe, vel intuitu absolutionis obtinendæ, absolvi valebit si verè eum pœniteat; cum illa spes non sit peccatum de novo reservatum, *Tamb.Sanch.Led.S.Lag.Molf.Sātarel.Dia. Villalob.*, & *Aver.* contra *Rō 2.variarum*, *cap.2.n.26.Bon.disp.4.de leg. q.2.pun. 6.§. 5. n.52.* Idem docet *Viva de Jubileo quæst.11.art.3.n.1.*

5 Si verò licentia absque ulla mentione alicuius peccati concessa est, potest absolvi, etiamsi (ut docet *Tamb.*) addatur *pro hac vice*, dummodo peccatum reservatum, sit iteratum ante absolutionem. Quia talis concessio non se arctat ad sola commissa, & sensus est; *una vice illum à reservatis absolvas*. Vide dicta *quæst.7. cap.3.n.7.* & dicenda *quæst.ult.cap.2.n.4.*

QUÆSTIO ULTIMA.

De Interpretatione legis Reservationis, & concessionum facultatis absolvendi a casibus, & censuris reservatis.

Quia concessio facultatis absolvendi a reservatis potest variis modis concedi, ob cujus varietatem, non semel confessarii delegati innumeris anguntur scrupulis, & dubia multa circa tales concessiones oriuntur; ideo meritò in hac quæstione de facultatum interpretatione agendum.

CAPUT I.

De Regulis servandis in interpretatione facultatis absolvendi a reservatis.

APUPHASIS.

1 *Primæ regulæ sunt: primò, quod privilegia, & favores latè interpretanda sunt; & secundò, quod in generali concessione non veniunt ea, quæquis interrogatus in specie, verisimilius non esset concessurus, nec veniunt universim, quæ exigent speciali mentione.*

2 *Intellectus ad regulā 16. jur. in 6. Odia restringi, & favores convenit ampliari. Ideoque favores sunt ampliandi ad proprietates verborum, tā naturalem, quàm civilem, nisi specialis aliqua ratio cogat.*

3 *Quamvis conveniāt omnes, quod potestas absolvendi à reservatis circa potestatem ordinariam, sit latè interpretanda: Tamen circa delegatam, quia dubitant DD. ideo est a tenore concessionis, vel petitionis, Judicio prudentum interpretanda.*

4 *In facultate absolvendi ab omnibus censuris, intelliguntur reservatæ, & in facultate data in jubilæo, intelliguntur etiam reservatæ Episcopo.*

5 *Potestas absolvendi ab omnibus censuris, tam a jure, quā ab homine, probabiliter extenditur ad omnē speciē censurarum, etiam reservatarum; non tamen specialiter per hominem latas; nec ad eas, quæ speciali indigent mentione.*

6 *Potestas absolvendi a reservatis Sedi Apostolicæ, involuit facultatem absolvendi a censuris eisdem annexis. Secus de reservatis ab Episcopo (nisi aliter constet) & in foro contentioso; quamvis etiā de his probabiliter sit tenendum oppositum.*

7 *Licentia generalis concessa Parocho absolvendi omnes suos parochianos, extenditur etiam ad reservata.*

8 *Si Episcopus concedat aliquem casum reservatum, & postea addat: & omnem meam potestatem, tunc extenditur ad alios non expressos, sicuti si dicat: Concedo tibi meam facultatem, excepto tali casu.*

9 *Si Prælatus dicat Sacerdoti: Concedo tibi facultatem audiendi confessiones*

nocerum subditorum, & eos absolvendi, non extenditur ad reservata.

1 CONcessio facultatis absolvendi, est materia favorabilis, atque ideò latam interpretationem admittens; ideoque, post datas regulas interpretationis Legis reservationis, *disp.1.q.1.cap.3.* quæ est pœnalis: modò in hac quæstione trademus regulas pro favorabili materia concessionis facultatis absolvendi à reservatis. Igitur primæ regulæ, sunt illæ duæ juris quas tradidit Dominus *Viva de Jubilæo quæst.2.art.ult.n.2.& quæst.11.art.3.à n.1.* nempe, quod *privilegia, & favores latè interpretanda sunt*. Et quod *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis interrogatus in specie, verisimilius non esset concessurus*, ex cap *in generali juris in 6.*

Nec veniunt universim, quæ indigent speciali mentione; Sic in generali concessione, veniunt casus Bullæ cœnæ; & in casibus Bullæ cœnæ non venit hæresis, nisi exprimatur.

2 Ex quibus datur etiam intelligentia ad regulam 16. *Jur.in.6. Odia restringi, & favores convenit ampliari*. Nam in Lege favorabili ampliatur ad proprietatē verborum tam *naturalem*, quàm *civilem*; ideoque in Lege favorabili (non verò in dispositione hominis privati) nomine filii, veniunt etiam adoptivi, imo etiam nepotes. Sic Christus dicitur filius Abrahæ. Et nomine legitimi, venit etiam legitimatus, & nomine masculini, venit etiam fæmininum: & nomine religiosi, venit novitius. Sic fæmina percutiens Clericum incurrit excommunicationem Canonis *si quis suadente*, & Novitius gaudet exceptione, & privilegio canonis, & fori, quo gaudet religiosus: Sic si filiis concedatur aliquod privilegium post mortem parentum, extenditur etiam ad filios adoptivos, & ad mortem civilem parentum, ut si mittantur in exilium, aut fiant religiosi. Excipe cū *Suarez*, & aliis nisi specialis aliqua ratio cogat in sensu strictiori favorabilem legem accipere.

3 Et quamvis concessio licentiæ, seu facultatis absolvendi à reservatis circa potestatem Ordinariam sit latè interpretanda, ut conveniunt omnes cum *Tamb.de cas.res.n.13.* Tamen circa potestatem delegatam dubitant Doctores cum dicto *Tamb.* docente, quod licentia sine personarum expressione, sit largè interpretanda; Quia respicit bonum commune: Attamen si exprimantur personæ, tunc etiam probabiliter docet, quod si licentia concedatur in gratiam confessarii cui superior vult favere, esset largè interpretanda: Si verò concedatur in gratiam pœnitētis, tunc esset strictè interpretanda. Sed melius est, à tenore concessionis, vel petitionis, judicio prudentum, rem decidi.

4 Unde resolves, quod quando datur facultas absolvendi ab omnibus censuris intelliguntur reservatæ. Sicuti in facultate data in jubilæo absolvēdi ab omnibus reservatis, intelliguntur etiam casus, & censuræ reservatæ ordinariis; locorum, *Croix de cens.n.132. Dicast.Viva de Jubilæo quæst.11.art.2. n.1. cap.super de sent. excom.*

5 Potestas absolvendi ab omnibus censuris à jure, quàm ab homine latis, extenditur probabiliter ad omnem speciem cēsurarum, etiam reservatarum. Quia per ly *omnibus*, plus conceditur: aliter, ut habet cit. *Viva*, nihil plus concederetur, quàm quando datur facultas absolvendi à censuris. Tamen non extenditur ad censurā specialiter per hominem latam: quia non est credibile, in tali concessione generali permitti turbationem authoritatis judicum. Neque extenditur ad illas, quæ indigent speciali mentione, ut sunt censuræ in Bulla cœnæ reservatæ, quæ speciali modo reservantur.

6 Facultas absolvendi à reservatis sedi Apostolicæ, involvit facultatem absolvendi à censuris eisdem annexis, aliter inutilis esset concessio, cum non posset absolvere à nullo reservato, cum omnes habeant annexam censuram, & propter illam reserventur. At si Episcopus concedat alicui potestatem absolvendi à reservatis, ea non extenditur ad absolutionem à censuris sibi reservatis. Quia à *diversis non fit illatio*. Casus autem, & censura distincta sunt, & in jure reservante Episcoporum, non sunt conjuncta, quæ omnia procedunt, nisi aliter constet de mente cōcedentis, quæ in foro *pœnitentiæ* sufficit. Secus in foro *contentioso*, ubi præcisè, stādum est verbis concessionis, *Suar.Nav. Graff.* &c.sed.

Tenendum cum cit. *Viva*, quod facultas data ab Episcopo ad absolvendum à reservatis, probabiliter etiam se extendit ad eos qui habent annexā censurā. Quia no-

nomine casuum reservatorum comprehēduntur etiam censuræ illis adnexæ. Et de facto talis est hujus Diœceseos praxis, ut diximus *disp. 1. quæst. 1. cap. 3 n. 7.*

7 Si Episcopus concedat Parocho generalem licentiam excipiendi confessiones omnium parochianorum, in ea comprehēditur facultas absolvendi, etiam à reservatis: alioquin, ut docet *Graff.* gratis facta esset concessio.

8 Idem dicendum si Episcopus concedat aliquem casum reservatum, & postea generaliter addat: *& omnem meam potestatē*; Tunc cōcessio censetur extēsa ad cęteros nō expressos; Quia significatio antecedens, significat generale verbum subsequens. Et idem dicendum si dicat: *Concedo tibi omnē meam facultatem, excepto tali casu*; quia exceptio firmat regulam, hoc est generalem concessionem, in casibus similibus.

9 E contra si Episcopus, vel alius Prælatus dicat sacerdoti: *Concedo, tibi facultatem audiendi subditorum meorum confessiones, & eos absolvendi*; tunc non censetur concedere facultatem absolvendi à reservatis; Quia non intelliguntur concessa specialia in generali verbo. Idem dicunt aliqui apud *Cabrinum in Elucidario casuum reservatorum par. 1. resol. 37.* Si Episcopus dicat, *se concedere suam authoritatem*; Sed quoad hoc meritò negant alii.

CAPUT II.

Quomodo intelligatur, in Reservatione, concessio facultatis sub hac formula: Pro hac vice tantum?

APOPHASIS.

1 *Si facultas pro una vice tantum concessa, determinetur ad casum in petitione concessum, tunc docent usum talis facultatis, posse differri etiam ad multos annos.*

2 *Si facultas ratione subjectæ materiæ sit talis, ut ad casus, & consimiles censuras extendi possit, debet obtenta facultate uti in tempore intra quod moraliter possunt verificari illa verba pro hac vice tantum.*

3 *Quantum temporis moram importent illa verba: Pro hac vice tantum.*

4 *Facultas concessa sub dicta formula, extendi potest ad casus, & censuras similes post petitionem contractas.*

5 *Confessarius qui petit ab Episcopo facultatem absolvendi aliquem pœnitentem pro una vice, probabiliter reputandus est inclusus etiam ipse confessarius petens, nisi excludatur.*

1 Docent 1. quod si facultas à superiore concessa sub formula; *pro hac vice tantum*, sua natura, vel ex concedentis intentione, sit talis, ut determinetur, & restringatur ad casum in petitione concessum, ut in casu percussionis Clerici, vel abortus fœtus animati, tunc ajunt, posse usū talis facultatis differri etiam ad multos annos. Quia semper illa vigebit usque ad confessionem peccati in petitione enarrati, & illa particula, poterit tunc verificari, *De Lugo disp. 20. de Penit. sect. 8. n. 126.*

2 Docent 2. quod si dicta facultas ratione subjectæ materiæ, talis sit, quæ ad casus, & censuras similes extendi possit, non potest pœnitens legitimè differre usum talis concessionis, sed uti debet obtēta facultate intra tempus, quo moraliter loquendo possunt verificari illa verba: *pro hac vice tantum.*

3 Et quamvis nullus Doctor determinet quantum temporis moram importent illa verba: omnes tamen resolvunt, id pendere à judicio confessarii, tum a circumstantiis occurrentis necessitatis. Imo doctissimi viri docent, quod cessante legis impedimento, non possunt usum talis facultatis ultra viginti dies, vel integrum mensem post obtentam licentiam, differre.

4 Probabiliter facultas concessa sub dicta formula: *Pro hac vice tantum*, extendi potest ad casus, vel censuras similes post petitionem contractas; Quia licet facultas, sit sub illis terminis concessa, non tamen amittit rationem gratiæ, & privilegii, quod respicit tum tempus præsens, tum futurum: præter quam quod illa verba: *pro hac vice*, non respiciunt tantum peccata, tunc commissa, sed unicam absolutionem ab illis, & similibus peccatis quæ tempore absolutionis bona fide clavibus subiiciuntur *Graff. Pellix. Nazzucch. par. 4. resol. 110.* & *Tamb.* docet, quod quādo licētia est obtenta pro una vice, quamvis videatur dari pro quocumque legitimo tempore; si nova reservata admittat: Tamen intelligendum, dari licentiam pro tempore præsenti, judicio prudentis.

5 Sed an confessarius, qui petit ab Episcopo facultatem, ut quidam pœnitens pro

una vice à reservatis possit absolvi, sit repetendus inclusus etiã ipse confessarius?

Quamvis negativæ sententiæ videantur adhærere Graff. & Mazzuch. disp. 1. q. 2. diff. 2. n. 8. qui versiculo. Ex modo tamẽ sic habet: Quoties pœnitens est sacerdos, videtur concessio intelligenda tantum de absolutione activa, & consequenter confessarium in obtenta facultate non comprehendi; & ideo non posse ea pro se uti.

Cæterum magis communiter docent, in tali facultate putandũ esse inclusũ, & ipsũ petentẽ. Quia cũ talis concessio sit gratia, & beneficiũ Principis, ideo latè interpretari tàm pro activa, quam passiva facultate convenit, nisi excludatur ipse petens, vel talis concessio limitaretur tantum ad absolutionem activam, Alphonsus de Leone citatus a Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 142. & Card. De Lugo disp. 20. de Pœnit. sect. 8. n. 119.

CAPUT III.

An licentia absolvendi à reservatis extendatur ad commissa post licentiam obtentam? & an obtenta indefinitè comprehendat reservata cum censura?

APOPHASIS.

1 *Quando facultas absolvendi à reservatis restringitur ad peccata commissa tempore, quo petitur à Superiore, non extenditur ad peccata commissa post obtentam licentiam.*

2 *Si licentia sit concessa indefinitè, & si sit data pro una vice, extenditur ad commissa post licentiam.*

3 *Facultas absolvendi à reservatis obtenta indefinitè, comprehendit reservata cum censura.*

4 *Habens facultatem absolvendi à reservatis Episcopo, etiam potest absolvere à casibus specialiter Episcopo de jure reservatis, si in facultate expressum sit; secus si nihil sit expressum.*

5 *Facultas absolvendi à reservatis indefinitè durat prorogato termino approbationis.*

1 Asserunt permulti, quod si facultas pro reservatis restringatur ad peccata commissa tempore quo petitur à superiore; tunc nõ extẽditur ad peccata reservata cõmissa post obtentam licentiam: patet in specialis terminis. Nam licentia non operatur ultra mentem concedentis; igitur, si ad præterita restringatur intentio concedentis, ad futura non extenditur; sicuti concessa pro Incestu, nõ extenditur ad alium casum reservatum.

2 Si verò facultas indefinitè sit concessa; etsi dicatur pro una vice absolvere posse, vel pro una confessione; Tunc talis licẽtia sive sit data confessario, sive pœnitenti, comprehendit etiam futura commissa post concessam licentiam usquequò pœnitẽs absolvatur, Bon. disp. 5. d. legib. quæst. 3. pun. 7. §. 1. n. 11. Joannes Propositus contra Vgol. Barb. & Aver. absolutè negantẽ, & consentit Viva de jubilæo quæst. 2. art. ult. putantes, quod favor concessus particulari personæ derogans legi communi, habeat rationem dispensationis, quæ est odiosa, & strictæ interpretationis. Probatur, quia licentia indefinitè obtenta, non respicit tempus; ergo se extendit ad omne tempus usquequò effectu consumatur. Quod non respiciat tempus, patet; quia non habet verbum alligatum tempori (& verbi est significare cum tempore) sicuti etiam se extendit ad omnem casum reservatum, si à superiore ad unum casum non fuerit limitata; ergo tam ad patratum ante, quàm post obtentam licentiam.

Nec officit, quod pœnitens commodo absolutionis, potest libentẽr in alia labi. Nam nec per hoc posset frui jubilæo, in quo latior absolvendi facultas. Et currit in istis: Si superior voluisset expressisset & censetur concessum favore libertatis, nec prohibitum invenitur.

3 Licentia absolvendi à reservatis obtenta indefinitè comprehendit reservata cũ censura, ut docet Aver. de Pœnit. quæst 16. sect. 4. §. 2. Quarti &c. contra Nav. Quia sub genere, & continetur species; & casus reservatus est genus ad culpas, & censuras; ergo facultas absolvendi in genere contrahitur per suas species reservatorum; & etiam quia interpretatio est facienda contra illum, qui poterat se clarius explicare. Igitur si superior poterat se explicare, quod concederet tantum absolutionem à peccatis, & non à censuris nec se explicuit, facultas indefinitè comprehendit culpas, & pœnas absolvendas, ut quis consequatur absolutionem peccatorum. Vide dicta disp. 1. quæst. 1. cap. 3.

4 Ex dictis oritur dubium, an habens facultatem absolvendi à reservatis Episcopo, etiã specialiter, valeat absolvere à casibus de jure Episcopo reservatis?

Primitus quædam crimina erant summo

mo Pontifici reservata, quæ hodie Pontifices voluerunt, esse tantum Episcopo reservata, ut percussio clerici lethalis, levis, non tamen gravis, & enormis, abortus ex Bulla 8. Greg. XIII. & delicta Papalia occulta de quibus *Trid. sess. 24 cap. 6.* exceptis reservatis in Bulla cœnæ trãseunter notatis.

Ad difficultatẽ respondetur distinguendo. Nam vel in facultate absolvendi à reservatis expresse dicitur *ut absolvatur ab omnibus etiam à jure, & consuetudine reservatis;* Vel tantum dicitur ut *absolvatur à reservatis.* Si primũ, dico posse, quia verba debent aliquid operari, & nihil operantur, exclusis de jure Papalibus, reservatis Episcopo, modo dicto: Non enim est aliud jure in specie Episcopo reservatum. Si secundũ, dico non posse, quia specialia exprimenda sunt modo speciali, ut sunt illa flagitia specialia; & sic in generali dispositione non veniunt, *l. oblig. ff. de pign. Barb. de potest. Ep. all. g. 52.*

5 Et facultas absolvendi à peccatis indefinite, durat prorogato termino approbationis, ut docet *Bord. tom. 2. resol. 39. n.* 80. Patet quia prorogatio termini ante elapsum terminũ, non est novus terminus, sed idem; & sic nõ est nova, sed eadem approbatio, constat ex *l. sed si manente, ff. de precario.* Unde prorogatus in officio, non dicitur novus, sed idem officialis, *Bart. in rub. C. inter emptorem, & venditorem, n.* 9. & in *l. dies cautionis, ff. de damno infecto Abbas* in cap. *ie causis* 3. *d. potest. De leg. Lason, & Natta lib. 1. consil. 56. n. 2.* Unde concluditur, syndicandum judicem prorogatum ante lapsum primi termini, non post; Quia si syndicaretur in primo termino, syndicaretur durante officio contra textum in *l. pars litterarum, 48. ff. de iudiciis, Carav. ritu* 295. *n.* 6. et patet ex *Pragm. prima Regni de Syndicatu officialium.* Sicuti ergo prorogato ante lapsũ termini officio, sunt prorogatæ ejus qualitates; ita prorogata appellatione ante lapsum termini, est prorogata facultas absolvendi à reservatis ei annexa. Constat etiam ex *l. item quæritur* 51. *§. finali Boerius decis. 2*[illegible] *n.* 14.

CAPUT IV., & ULTIMUM.

An quando in facultate absolvendi à reservatis apposita est hæc clausula: integra confessione audita *dato, quod confessio defectu integritatis sit invalida, an tunc pœnitens liber remaneat à Reservatione?*

APOPHASIS.

1 *Si in facultate absolvendi à reservatis sit apposita clausula:* integra confessione audita *etsi confessio defectu integritatis sit invalida, probabiliter pœnitens liber est à Reservatione. Secus dicendum si non sit integra ex parte confessarii absolutio.*

Affirmative ad prædictum dubium, probabiliter est respondendum. Quia clausula illa censetur apposita, ut consulatur integritati confessionis, quæ sæpe numero absque iusta causa dimidiatur; ideo aliquãdo addi solet illa clausula, ut sciant confessarii, quod quoties à reservatis volunt absolvere, teneatur integram peccatorũ confessionem audire. Quia ad tollendam Reservationem requiritur integritas absolutionis ex parte cõfessarii; quæ facultas, cum sit delegata illi cum hac essentiali conditione, non potest eam dimidiare. Igitur si pœnitens aliquod mortale scienter, & sine iusta causa retineat, licet confessio tũc defectu integritatis sit invalida, erit tamen probabiliter valida, quoad rationem Reservationis ex parte confessarii, qui directè intendit absolvere quantũ potest, & pœnitentem à Reservatione liberare. Vide etiã dicta *quæst. 4 cap. 2. n. 7.*

Et ad meram denique, D. O. M. auspicante, ad eiusdem perennem gloriã, & honorem, nec non Ss. Trinitatis, Deiparæ Virginis, ac Divi Petri Apostolor. Principis, in cujus Eccl. licet indigne, Rectoris perfungor officio, opus hocce de casib. reserv. conduxi, celeri, qua potui, agilitate diu, noctuq; pluribus annis in eo elaborans, atque lucubrans Manus quodcumq; sit hilari, festinantique suscipite animo, & si quid erroris in eo offenderitis, aut præter Orthodoxæ Eccl. sensum, ut fraterna charitate corrigatis, mihiq; benignè condonetis, sicut in prologo, ità in epilogo exoro, obsecro, & obtestor.

Pro Chòronide tandem, o perdocti benigniq; lectores, sciatis oportet huiusce operis Authorem mihi inscio, ac prorsus ignaro Hieronymo Cianci, ob sui ipsius absentiam, curam pro Typi mendis castigandis demandasse: Quapropter vos precor, ut dum nonnulla cõperitis, quæ quidem excidisse fateor, me miseratione dignum putetis ob characteris exilitatem, tenuitatemque Valete.

F I N I S.

INDEX ALPHABETICUS

Resolutionum omnium, quæ in hoc Opere continentur.

Abortus.

cia, &

 sive

Ca-

Cau-

rea

N n tenui-

Con-

Conversatia sponsorum.

Pa-

Non

Finis Legis.

Finis

fuit

In

Legislator.

Legitimus.

Lex.

Libellus famosus.

Licentia

Locus

Magia

Malum

Maleficium.

Qui

Re-

Pec-

Epi-

FINIS.

S. R. M.

SIGNORE

Giuseppe Severini umilmente supplicando espone alla R. V. M., come desidera dare alla luce un libro intitolato *Criterium Casuum reservatorum &c.* Opera del Reverendo Rettore D. Gio: Battista de Giacco; Pertanto il supplicante ricorre dalla Vostra R.M., e la priega degnarsi commettere la revisione à chi meglio li parerà, per poterne percepire poi le solite licenze, e della grazia &c.

D. U. J. D. D. Castrensis Scaja Professor in Universitate Regii Studii videat, recognoscat, & in Scriptis referat &c. Neap. 14. Novembris 1736.

D. Archiepiscopus Panor.

Cum librum, cuius inscriptio; Criterium casuum reservatorum &c. a Reverēdo D: Joanne Baptista de Giacco consc riptum, jussu Illustr. & Reveren. Archiepiscopi Panormitani regii Cappellani majoris in hoc regno sedulo legerim, nihilque in eo quod aut regiis juribus adversaretur, aut moribus bonis, reprehenderim non parva utilitate iis futurum, mihi videatur qui sacramentales excipiunt confessiones adeo publicis typis posse mandari existimo. Neap. X. Kal. Octobris 1736.

Attenta relatione Reverendi D. Donati Cyrillo Revisoris Ecclesiastici imprimatur: Neap. 23. Martii 1739.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISSIMO SIGNORE

Giuseppe Severini stampatore supplicando espone, come desidera stampare un libro intitolato *Criterium casuum reservatorum*, Opera del Reverendo D. Giovanni Battista de Giacco; per tanto supplica V.Em. degnarsi commettere la revisione à chi meglio li parerà per la solita licenza, ut Deus

Reverendus D.Donatus Cirillo revideat,& in scriptis referat. Neap. 22.mensis Octobris 1737.

Carminus Episcopus Antinopolitanus Vicarius Generalis.

D.P.M. Giptius Canonicus Deputatus

Illustriss., & Reverendiss. Domine

Ut primum hoc onus à Dominatione sua Illustriss.& Reverendiss. mihi injunctum est, ut hujus libelli lectiones, pręferentis Titulum: *Criterium Casuum reservatorum*, qua potuerim mentis attentione, examini subjicerem, summo gaudio, summaque lętitia perfusus est Animus meus, tum quod mihi nullo virtutum ornamento, nullaque famæ commendatione conspicuo, honor delatus sit, qui nonnisi gravissimis, & in virtute pręstantissimis viris, deferri soleat: Tum quia in tali libello nil censura dignum, nil quod fidei Dogmata lædere posset, aut offendiculum aliqua ex parte humanis actionibus parere valeat, auc u-pari potuerim. Quinimo Opusculum hoc singulari eruditione, exquisitis Doctrinis, & affluenti sapientię, & consiliis segete scatere animadverti. Ex hoc enim opusculo Presbyteri omnes præcipue illi, quibus Animarum Cura, & directio demandata est, quid agere debeant, quo consilio dubiis, & ingruentibus Animarum anxietatibus consulere possint, abundantes Doctrinas, & dilucidas explanationes haurire possunt. Cum igitur Libellum hunc præstantissimis Doctrinis, singularibus documentis ab omni Censuræ labe immunibus, imo peritissimis Canonum Auctoribus undique respersum agnoverim, illum pro commodiori Sacerdotum usu, ac Animarum utilitate Typis demandari, non solum dignum, sed necessarium judico. Quod totum felici omine eventurum esse speramus, si illius evulgationi non solùm annuere, sed auctoritatem suam impertiri dignetur.

Neapoli 25. Novembris 1737.

Pag. 110. disp.2.quæst.1.c.6.post n. 86. Si visitati elegerint præstare procurationem in pecunia, quæ superfit pro moderato victu Episcopi, an quod superest debeat ab Episcopo restitui visitatis?

Affirmativam sententiam tenent Gen. in Man. Cap. 35. n.3. Riec. in praxi par. 4. resol.149.Nald.in summa verb.visitare. n.10.apud Paulum Squillante de oblig.& priv. Episc. par. 1. Cap. 3.n. 39. Quia pecunia potest licitè accipi pro Sumptibus tantum moderatè faciendis, Cap. Felicis; Ergo quod superest est restituendum, alias Episcopus nõ evitaret pœnas recipientis ultra procurationem. Nam si de victualibus nihil (ut dictum est) deferre potest; neque poterit de pecunia, quę in locum victualium subrogata esse videtur.

Pag. 113.l.c.post n. 100.,& proprie post decretum Provinciale D. Caroli.

Et doctissimus Squillante Canon. Neapolit., & Generalis minister supremę Inquis.postea,anno 1654.7.Decembr.electus meritissimus Episcopus Theanensis in tract. de oblig.& priv. Episc. par. 1. Cap. 3. n. 57. docet, Notarium Visitationis non posse aliquid recipere pro labore impenso in actis, scriptura, seu processu visitationis, sed tantum potest accipere competens Salarium pro Copia actorum, seu decretorum visitationis, ab iis tamen, qui ea petunt. Quia cedit in eorum commodum, Gav. in praxi Visit. 5. a. Alvarus Pelagius de planctu Ecclesię &c.

pag. 148.dis.2.q.1. Cap. 14. post n. 6.

Hodie facultas reducendi missas, commutandi; easque moderandi, est reservata summo Pontifici, vel S.Cong.Conc. Trid. ut initio decreti de celebratione missarum sub Vrbano VIII. die 21. Iunii 1625. apud Squillante de privil. Cler. Cap. 4. n. 36.

pag. 183 disp.2.q.2.c.4.post n. 17.

Quando Causa dispensationis in jejunio, & comestione Carnium est dubia, posse eo stat pro pręcepto.

pag. 233.disp.3.q.4. Cap. 2. post n. 2.

An sufficiat licentia tacita ad obtinendam facultatem absolvendi à reservatis?

Ordinarius videns, & tacens Sacerdotem audire Confessiones subditorum, si non Consentiat interius, an valeant Confessiones illę?

Negant Ledes.&c. Quia non habet iurisdictionem. At Sanchez existimat esse validam. Quia ratihabitio de præsenti, reputatur in jure, & apud peritos vera licentia; & Concurrit licentia à legitimo superiore, eiusque nullitas est occulta, atque ita adest Communis error cum titulo pręsumpto. Sicuti est valida concessio facta excommunicato vitando, qui ut docet Sanch. disp. 22. n. 9. & Bon. de matrim. quęst. 2. pun. 9. n. 32. potest audire Confessiones valide in loco, ubi est occulta excommunicatio Ob errorem communem.

pag. 247.disp.3.q.5.c.2. post n. 5.

Si simplex Sacerdos in sua ordinatione non accepit potestatem iurisdictionis absolvendi à peccatis; quęritur, an tunc posse absolvere in articulo mortis?

Et docent cum Squillante de priv. Cler. Cap. 1. n. 16. Suar. Sanch. Vasq; Nav. & Bon. de Sacr.pan. disp. 5. q. 7. n. 9. quod eo casu simplex Sacerdos absolvit valide, sed non vi Characteris Sacerdotalis tantum; sed quia habet iurisdictionem delegatam in eo articulo ex concessione Ecclesię.

pag.261. disp.3.q.7.c.3.post n.3.

Admissus, seu approbatus cum limitatione temporis, & loci; si audiat Confessiones non obstante tali limitatione, invalide absolvit. Excipe si tantum restringatur locus, v.g. in sua Ecclesia. Quia iurisdictio voluntaria ubique exerceri potest, nec per restrictionem loci, tollitur iurisdictio; sicuti tollitur dum adest limitatio personarum, & temporis Bord. resol. 36. n. 34.

Gra-

Graviores in prælo lapsus.

ERRATA	CORRIGE
Principi in dedicatione Versiculo 2.	Princeps
Testuca in præfatione Columna 2. vers. 43.	Festuca
Debilesque in præfatione erga finem col. 1. Vers. 1.	Debilisque
Incestum pag. 7. col. 2. vers. 33.	Incestus
Dictionem pag. 25. col. 1. vers. 48.	Directionem
Extremo pag. 27. col. 1. vers. 12.	Externo
Tiberati pag. 28. col. 1. vers. 11.	Liberati
Conficit pag. 40. col. 2. vers. 30.	Coniicit
Egit omnia possibilia, ut non possibilia, p. 53. col. 2. vers. 19.	& egit omnia possibilia
Sinclusa pag. 58. col. 2, vers. 45.	Inclusa
Donatus pag. 59. col. 1. vers. 44.	Donati
21. pag. 61. col. 2. vers. 44	23
Submorsicuen pag. 64. col. 1. vers. 21.	Submersionem
Doceret pag. 66. col. 1. vers. 23.	Deceret
Illati pag. 71. col. 2. vers. 18.	Illatio
Statutas pag. 82. col. 1. vers. 30	Statuas
Edibiles pag. 85. col. 2. vers. 36.	Odibiles
6. pag. 86. col. 2. vers. 2.	7
Pænalem pag. 89. col. 1. vers. 1.	Papalem
Inservierit pag. 89. col. 1. vers. 36.	Non inservierit
1335. pag. 99. col. 2. vers. 41.	1735
Exigit pag. 113. col. 1. vers. 18.	101 exigit
Mandas pag. 113. col. 2. vers. 33.	Mandans
Casus pag. 121. col. 2. vers. 1.	Casue
Fat pag. 126. col. 2. vers. 1.	Fiat
Creuntes pag. 132. col. 2. vers. 11.	Coeuntes
Quando pag. 132. col. 2. vers. 26.	Quomodo
Omnis pag. 141. col. 2. vers. 49.	Annis
Nationens pag. 160. col. 1. vers. 39.	Nationes
Axis pag. 166. col. 2. vers. 54.	Alis
Puto pag. 176. col. 2. vers. 55.	Non puto
Temperanti pag. 180. col. 1. vers. 44.	Temperamenti
Quadragesimam pag. 281. col. 1. vers. 50.	Quadragesimum
Ræ pag. 188. col. 1. vers. 37.	Iris
Christo pag. 188. col. 2. vers. 1.	Chisto
Sine pag. 191. col. 2. vers. 28.	Sine fine
Sodomitorum pag. 199. col. 1. vers. 16.	Sodomitarum
Crescit pag. 199. col. 1. vers. 34.	Arescit
Veretur pag. 199. col. 1. vers. 38.	Verentur
Dispositum censetur pag. 200. col. 2. vers. 52	Dispositum de uno censetur de altero
Animalia pag. 202. col. 1. vers. 53.	Animalia terrestria
Anima pag. 203. col. 2. vers. 2.	Animal
Lactem pag. 204. col. 2. vers. 27.	Lacteum

ERRATA	CORRIGE
Si non dormiat pag. 205. col. 1. verf. 40.	Si non dormiat cum uxore
Libertatem pag. 212. col. 1. verf. 15.	Liberalitatem
886. & 886. pag. 222. col. 1. verf. 37.	884. & 886.
Detenum pag. 228. col. 1. verf. 31.	Detentum
1693. pag. 231. col. 2. verf. 32.	1593.
1724. pag. 231. col. 2. verf. 39.	1624.
Illam pag. 236. col. 1. verf. 26.	Poteft illam
Et si pag. 241. col. 1. verf. 39.	Et si non
Commiferat pag. 242. col. 2. verf. 9.	Incurrerat
Quando pag. 251. col. 2. verf. 7.	Quindam
Suadente pag. 251. col. 2. verf. 13.	Suadente abfolvere
Sacramenta pag. 251. col. 2. verf. 36.	Sacramentum
Gigantem pag. 251. col. 2. verf. 45.	Giganteum
Secernat pag. 260. col. 1. verf. 39.	Decernat
Fit pag. 260. col. 2. verf. 54.	Fixit
Superioré pag. 262. col. 1. verf. 59.	Superiori
Delegatus in verbo delegans in indice Verf. 33.	Delegans

